


Ælfredi Magni
ANGLORUM REGIS
Invictissimi
VITA TRIBUS LIBRIS COMPREHENSA,

A Clarissimo

D^{NO} JOHANNE SPELMAN

Henrici F. primum Anglice conscripta, dein Latine reddita, & Annotationibus illustrata

Ab Ælfredi in Collegio Magnæ Aulæ Universitatis Oxoniensis *Alumnis.*



OXONII
E THEATRO SHELDONIANO.
Anno Dom. CIↃDC.LXXVIII

Imprimatur.

JOHANNES NICHOLAS
Vice-Can. Oxon.

Augusti 2do 1678.



Augustissimo Monarchæ

CAROLO SECUNDO

Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Fidei Defensori, &c.

Serenissime Princeps,

Plurima sunt, quæ nomini tuo soli hanc qualemcunque historiam jure meritoque asserant. Ab Illustrissimo Authore Parenti tuo sanctissimo dicata, inter reliquam ejus supellectilem, licet serius fortasse, tibi obvenit. Neque quidquam rationi magis consentaneum est, quam Ælfredum Ælfredi vera & naturali, eaque multiplici successione, unico hæredi; Regem scilicet celeberrimum Regi pariter celeberrimo, & imperii hujus conditorem ejusdem instauratori & vindici commendare. Uterque vestrum bello atrocissimo, & in ipsis patriæ visceribus pene oppressus, & ab hostibus in latebras & abdita compulsus, raro numinis beneficio, gloriosior exiit. Uterque pacem, leges, suaque omnia subditis restituit: ipse vero, non Anglis solum (quod gratissimi agnoscimus) sed & Europæ (Christiani orbis arbiter) bella cruenta extinguere, motusque componere, sategisti. Uterque patriam hanc nostram novis pulcherrimisque ædificiis, commercio, & artificum ingeniis augere & ornare maximopere contendit. Architecturæ uterque tum navalis tum militaris consultissimus, adeo ut etiam in arte peritos longo post se intervallo relinquat; no-

visque inventis ipsam disciplinam provehat & illustret. Uterque Imperii Metropolim, urbem vere Regiam, ab incendio reparavit, & è cineribus novam excitavit Phoenicem. Uterque per mare Septemtrionale ad Indos navigationis compendium quæsivit. Uterque demum Academiam hanc, & literarum hoc studium fere intermortuum, feliciter resuscitavit; & è grassantis barbariei manibus eripuit & vindicavit. Et ob hæc impense nobis gratulamur occasionem, qua tibi totique mundo monstrare possumus, quam grato humilique animo hæc recolamus; nosque conatusque nostros Majestatis tuæ pedibus suppliciter provolvamus,

Regum clementissime,

Subditi tui humillimi

Ælfredi in Collegio Magnæ Aulæ Universitatis Oxoniensis Alumnorum successores.

LECTORI.

Consilium nobis capientibus vitam resque gestas Maximi, tum Collegii nostri, tum hujus Universitatis, nec non & Anglorum Imperii Conditoris texendi; materiamque tanto ædificio necessariam undique conquirentibus, tandem oblata est Historiæ hujus, quam nunc damus, opportuna facultas. Oblatam summa cum aviditate, authoris celebritate lætati arripuimus. Ex adversariis enim illustrissimi Domini Henrici Spelmanni, rerum antiquarum studio maxime inclyti, à filio Patrem (si diuturniorem ipsi vitam Deus concessisset) eruditione superaturo concinnata est. Authoris famæ (quod serio dolemus) & vitæ brevitas & tristis seculi tumultus infeliciter novercabantur: haud vulgare tamen tum doctrinæ tum diligentiæ suæ specimen edidit Psalterium Davidis Saxonice glossatum. *Opus, dum instituerctur, latine scire cupientibus; nunc vero Saxonice studiosis, exoptatissimum. Historia hæc, alterum industriæ suæ & patrias versus antiquitates zeli opus, belli nostri civilis initio ab ipso confecta præloque parata, temporum iniquitate, & authoris intempestivo obitu, ad hoc usque tempus sine nomine, sine luce, sine spe pene oppressa jacuit. Author ipse inter tumultuum initia Regi Oxoniæ adsistens, ex ejus favore propriisque meritis nihil non sperare jussus, & ad secretarii munus omnium applausu designatus, dum in Collegio Ænea-Nasensi studiis diligentius operam navabat à morbo castrensi tunc grassante correptus, die Jul.* 25. *anno-que* 1643. *summo cum omnium dolore fæliciorem vitam ingressus est; vir acerrimi judicii, comptissimi ingenii, & probatissimæ morum suavitatis. Quale vero rei Antiquariæ subsidium & ornamentum intercisum sit, hæc, quæ nunc in publicum damus, abunde testabuntur. Quorum licet ipsemet nonnulla (modo editioni adfuisset) immutaturus videretur; nos tamen integra, sicut ab ipso profecta sunt, publicanda (lingua solummodo mutata) curavimus; ut exteris etiam Res nostræ, & Herois incomparabilis virtutes innotescant, & humanæ perfectionis exemplum alienos æque ac nostros in admirationem rapiat. In traducendo etiam gnari quantillum in aliena opera liceat, sedulo cavebamus, ne sensum Authoris transgrederemur; abunde officio perfuncti, si ex Anglicana bona non pessimam Latinam fecerimus historiam. Huic cautelæ debetur, quod etiam errores, & ea quæ in hujus Universitatis præjudicium Author scripserit, retinuimus; & perperam scripta medicari potius, quam tollere, maluimus. Reservata itaque Authori clarissimo laude sua integra, quæ vel addenda, vel omittenda, vel corrigenda videbantur, annotationibus seorsim potius inserere, quam vel Authoris methodo, vel dissertationi detrahere libuit.*

Esse tamen nonnulla in Annotatis fatemur, quibus lectorem facilem pereptamus. Nonnunquam enim repetere cogimur, quæ prius in ipsius tracta-

tractationis contextura habebantur; & conjecturis (licet nusquam sine verisimili fundamento) aliquoties indulgemus: utrumque inviti sane, & proinde parcissime, utpote ab Historicis jejune nimis & indiligenter res nostras tractantibus coacti. Si quis ab historia (dixit olim Polybius) auferat quare, quomodo, quibus consiliis, & quem ob finem res gestæ sint; quod reliquum est, voluptatis fortasse aliquid, eruditionis vero minimum lectori afferet. Nostri sane nuda factorum commemoratione plerunque contenti, reliqua omnia, sive ob ipsarum rerum, sive meliorum literarum, sive Historicorum officii, ignorantiam, fere intacta prætereunt. Viri certe indocti, rebus agendis versati & iis præsentes, melius multo, quam doctissimi, sed negotiorum imperiti, & judicant & scribunt. Vitæ vero solitariæ dediti quanto pietate & devotione præstantiores, eo minus rebus sæcularibus assueti; & proinde quanto optimi Religiosi, *tanto pessimi omnium Historici. Quod si Reges nostri scriptores rerum suarum nacti fuissent pares, & idoneos (quod Græcis & Romanis Ducibus rara felicitate contigit) minime dubito, quin eorum gesta (præcipue vero regis Ælfredi, utpote seculi negotiosi maximæ partis) vel summorum imperatorum factis, non modo similia verum etiam æqualia, viderentur.*

Quæ Reges nostri antiquiores præstiterint ex unico Beda cognoscimus; scriptore tum fideli tum erudito; sed qui provincia sua fere contentus pauca admodum de secularibus, plurima de negotiis Ecclesiasticis, tradidit. Neque Rex noster, historiæ huic, dum eam in vernaculum transtulit, quidpiam, quod in aliis suis traductionibus solet, è suo addidit. Adeo ut cuivis conjectari promptum sit, neminem, præter Bedam solum, gesta temporum antiquiorum descripsisse. Sed cum Ælfredus Regum Saxonicorum facta scripsisse dicatur; verisimile est, ipsum in illum codicem, quæ præter Bedam haberet, rejecisse. In Chronico Saxonico *occurrunt aliqua, quæ apud* Bedam *frustra quæruntur. Hoc autem, quod codice bono destitutus edidit doctissimus Wheelocus, addita etiam (sed oscitanter facta) interpretatione latina, si à medica quapiam manu ad primævum nitorem & sanitatem restitueretur (quod desperandum non est) nescio quænam vicinis gentibus par habeat antiquitatis suæ monumentum. Ab eruditissimo Vossio (de Historicis latinis p. 361.) collectum dicitur ab Ælfrico, docto illo Abbate: Quod de aliqua parte verosimile: nescio autem annon & aliqua pars ante ipsum extiterit. E Westsaxonibus, qui primus illud compilare cœpit, fuisse videtur; sed excepto ab Authore primo posteriora sæcula à diversis, suo quodque tempore, usque ad Stephani Regis ætatem, adjecta videntur. Eo usque enim in aliquibus exemplaribus historiam deductam esse accepimus. Eadem cura indiget Ethelwerdus, cui præter stili tumorem (seculi potius quam Historici vitium) obfuit exemplar, quod in multis locis intelligere non est. Præter jam dictas, nullas novi generales nostrarum rerum historias temporibus Saxonum Scriptas. Quas ad Monasterium Croylandense spectabant*

edidit

edidit Ingulphus, interspersis tamen de Regibus nostris aliquando narratiunculis, quæ toti Historiæ lucem adferunt.

Princeps vero noster, singulari numinis favore, & posteritatis commodo, cum tot eruditos mundo exhibuerit, unum etiam vitæ suæ morumque elegantem præconem æque ac fidelem testem, Asserium Menevensem, sortitus est. Et hoc quidem impense ei gratulamur, quod ad informandos mores, virtutemque illustrandam, facem valde splendidam, quasi è specula, prætulerit: Sed ad experientiam ex aliorum consiliis capiendam (quod Historiæ munus est, ut optimum, sic difficillimum) haud multum expedierit. Asserii vero liber ex Chronico (cujusmodi satis copiosum de rebus Britannicis & Saxonicis scripsisse dicitur) & morum Regis descriptione constat; & proinde Vita, *non autem* Historia *recte nuncupatur. Vir fuit (sive* Episcopus Menevensis *aut* Shirburnensis, *sive Monachus) devotus proculdubio & eruditus; neque de fide ejus in his, quæ narrat, dubitari potest. Dolemus tamen non ipsi melius, quam Chronico Saxonico, vel Ethelwerdo editionem cessisse. multæ sunt lacunæ, multi errores, etiam qui antiqua exemplaria defædarunt. Non hic de Codice, quem secutus est Reverendissimus Parkerus, loquor; quem antiquitatem, quam præ se fert Archiepiscopus, tenere non arbitror. Sed de iis etiam, quos sequutus est exscriptorum nostrorum Antiquissimus* Florentius *(Bravonius)* Wigorniensis; *qui, cum anno* 1119. *obiisse dicatur, & perinde exemplaribus antiquis usum fuisse necesse est, errores tamen plures continet: qui & hodie reperiuntur in Chronico Saxonico & Asserio. Utrumque enim transcripsit, & è Codicibus haud multum à nostris discrepantibus.*

Et hinc est, quod Lectoris favorem adhuc obtestamur, si quid scilicet in temporis assignanda ratione vel errasse, vel vacillasse nos aliquando contigit. Quod in tanta authorum nostrorum discrepantia effugere non potuimus. In iis, quæ ad Regis nostri ætatem & actiones pertinent, nonnulla præstitimus; quo successu Lectores judicent. Esse tamen aliquas fatemur difficultates quas conciliare nimis arduum arbitramur. Quales sunt Æthelbaldi mors, num anno 860 *vel* 861. *acciderit. Unde dependet Ælfrediani Regni epocha, quam aliqui ad* 871. *alii ad* 872. *referunt; ejusque obitus etiam, quem* 898, 899, 900, 901. *varii authores evenisse statuunt. Quod veritati magis affine credidimus, in unicam rejecimus tabulam inter Appendices collocatam. Quæ ideo magis arridet, quod & externorum supputationes haud infeliciter suffragantes habeat.*

Elenchus

ELENCHUS

Contentorum in Libris

DE

Ælfredi Magni Vita.

LIBRO PRIMO.

§ 1. *HEptarchia Saxonum in Tetrarchiam primum, tandem in Monarchiam transiit apud West-Saxonas,*

2. *Quibus imperavit Æthelwulphus:*

3. *Cujus filius natu minimus Ælfredus Romam Quinquennis missus,*

4. 5. 6. *A Papa Leone IV confirmatus, & in Regem unctus est;*

7. *Denuo una cum Patre eodem duodennis reversus, ibique per annum moratus, iterum à Pontifice in Regem consecratus & coronatus est.*

8. *Æthelwulphus per Franciam rediens secundas nuptias contrahit cum Juditha, Caroli Calvi filia; quam dum Reginam declarat*

9. *Æthelbaldus ejus filius, una cum proceribus aliquot, adversus eum conjurat. Rex cum filio regnum partitur, & moritur;*

10. *Parum de Ælfredo testamento cavens.*

11. *Æthelbaldus, Æthelbertus, Æthelredus ejus filii, quisque suo ordine & successione, regnant,*

12. *Ælfredo sine literatura educato, industrio tamen, gnovo &*

13. *Literarum cupientissimo.*

14. *Dani Angliam invadunt,*

15. *Ductu Hinguar & Hubba;*

16. *Et primo East-Angliam:*

17. *Ubi equos nacti discedunt, &*

18. *Eboracum inopinato aggrediuntur; & Nottinghamiam.*

19. *Unde West-Saxonum metu Eboracum repetunt; & inde East-Angliam, adversus Regem Edmundum, à quo Patrem eorum Lothbrocum occisum falso suspicabantur.*

20. *Tempus ibi conterunt, donec aliis popularium suorum copiis adaucti East-Anglos magno prælio superant, Regemque Edmundum barbare trucidant,*

21. *(Qui pro martyre habitus est)*

22. *Et Regnum ipsum penitus subigunt.*

23. *Novus Danorum exercitus sub Bacsago & Haldeno Redingam occupat;*

24. *Ubi obsessi*

25. *Sese liberant, & ad Ashdowne ingenti prælio vincuntur,*

29. *Ab Ethelredo precibus, cum prælium instaret, intento,*

27. *(Occisis Bacsago & quinque Comitibus)*

28. *Fratre ejus Ælfredo, maximo victoriæ momento.*

29. *Dani novo supplemento firmati, Basingæ, & Mertunæ Saxones pellunt.*

30. *Ethelredo mortuo succedit Ælfredus,*

31. *Pugnat cum Danis ad Wiltunam,*

32. *Et cum iis paciscitur. Qui inde Londoniam, Torksciam, Reptunam se conferunt; Burrhedumque Merciorum Regnum deserere cogunt.*

33. *Adeo ut West-Saxones soli Danorum furoribus resisterent.*

34. *Quibus tres alii Reges cum novo exercitu accedentes*

35. *Werehamum inopinato occupant;*

36. *Ælfredo tamen obsididibus & juramento spondent se è West-Saxonia abituros.*

37. *Fidem*

37. *Fidem vera fallentes Exoniam agrediuntur; quas*

38. *Ælfredus prosequitur, & sæpius cum iis confligit. Interim*

39. *Ralla Angliam cum classe appellit, brevi autem deserit, & in Franciam trajicit*

40. *Ælfredus classem adornat. & cum Danis præliatur.*

41. *Navem unam magnam capit, & 120. minores submergit.*

42. *Alia etiam classis 120. navium partim tempestatibus demersa, partim à Regiis cæsa cum Danis Exoniam auxilia portarent. Unde Rex & à tota West Saxania eos pellit.*

43. *Qui lentis itineribus exeuntes Chippenhamiam improviso capiunt.*

44. *Saxones assiduo appulsu novarum examinum fatigati, & pene exhausti, alii se submittunt, alii voluntarie solum vertunt,*

45. *Rex ipse se abscandit.*

46. 47. *(Cujus secessus causam quidam Historici severius quam par est interpretantur.)*

48, 49, 50, 51. *Non tamen cessat Danis molestiam creare;*

52, 53. *Donec visa divino confortatus;*

54. *Et Hubba, suique exercitus excidio, & corvo (signo eorum Magico) intercepto.*

55. *Rex spei plenus.*

56. *Danarum castra (citharœdi persona) speculatur;*

57. *Et reversus exercitum tacite cogit.*

58. *Qui mirabiliter Regis conspectu, & oratione animatus in*

59. *Danas irruit, quarum plurimis occisis, reliqui in castellum quaddam compulsi post aliquot dies se submittunt;*

60. *Quos Rex clementer accipiens, eos, qui Baptizari noluerint, Regnum cogit deserere.*

61. *Gothrumnum vera & e principalibus Ducibus triginta ad baptismum valentes suscipit.*

62. *Iisque East-Angliam, & Northumbriam concedit.*

63, 64, 65. *Legesque præscribit,*

66. *Ut ea Regna sub Ælfredo tenerent.*

67. *Hi è West-Saxania egressi Cyrencestriam adeunt.*

68. *Inde East-Angliam. Quo tempore novus Danorum exercitus sub Hastingo Rege Thamesin ingreditur, quibus cum Gothrumnus se iis sociare renuit, statim in Franciam transeunt.*

69. *Rex tranquillitatis nonnihil adeptus classem parat, & cum Pyratis confligit.*

70. *Dani è Francia reversi Rateestriam obsident, sed Regis adventantis metu præda relicta rursus in Franciam discedunt.*

71. *Rex litorum tutamini se applicat, recentemque exercitum priusquam terram attigerint, cædit;*

72. *Fugati tamen alias ex East-Anglia sibi sociantes inopinato Regis classem aggressi, damnum ei inferunt,*

73. *Pacem tamen postulant, & discedunt. Rex urbes direptas & incensas restituit.*

74. *Fines munit, militiam ordinat.*

75. *Reversi in patriam Angli una cum Danis Regis in obsequium se dedunt.*

76. *250 navium Danicarum classis è Francia Cantium appellunt & Apledoram muniunt.*

77. *Et Hastingus cum aliis 80. prope Miltanam consedit,*

78, 79. *Quibus Dani incolæ adversus Regem rebellantes se conjungunt.*

80. *Contra eos Rex statim proficiscitur:*

81. *Ii vero Castra deserentes Cantium prædantur.*

82. *Quorum partem Rex intercipit Farnhamiæ.*

83. *Alii cum Hastingo se muniunt Beamfleteæ, ut Merciam prædentur.*

84. *Danas Regii Merciam usque insequuntur. Interim Dani ex East-Anglia West-Saxoniam invadunt, & Exoniam obsident.*

85. *Quam Regis adventu territi deserunt,*

86. *Et navibus se committentes Cicestria terram adeunt, à civibus vero plures eorum cæsi & eorum capta naves.*

87. *Regii Beamfletam (Hastingo prædatum cum exercitu abeunte) oppugnant, capiuntque Hastingi uxorem, binos filios,*

88. *Qui novis datis obsidibus liberantur;*

89. *Reliquiæ Shoburiam muniunt, & prædatum exeuntes Buttingtonæ obsidentur, & funduntur.*

90. *Qui tamen evaserant Leicestriam inopinato diripiunt, & relinquunt;*

91. *Inde Cambriam septentrionalem invadunt. Magnaque præda onusti Essexiam per Northumbriam revertuntur, & per Scam amnem naves ducentes prope Hartfordiam consident.*

92. *Quos Londinenses frustra aggrediuntur.*

93. *Rex vero ipsos circumsidens, &*

94. *Aquam fluminis subtrahens, naves in sicco relinquit.*

95. *Dani aufugiunt, & Quatfordiam in agro Salopiensi diripiunt.*

96. *Quo tempore pestis sævissima grassatur, multique Regiorum Ducum & Procerum moriuntur.*

97. *Dani exercitum solvunt, parsque in Franciam navigat.*

98. *Pars pyraticam sub Sigeferto prædone Northumbro sed sine successu exercet.*

99 *Rex Danos rebelles Northumbriæ mulctat.*

100. *Eique Cambriæ reguli se submittunt.*

101. *Conclusio demonstrans Alfredum totius Angliæ & Cambriæ fuisse Monarcham.*

LIBER II.

1 ÆLfredus (ut dictum est) Monarcha absolutus.

2 *Leges ex omnium gentium institutis collectas;*

3. *Æquissimas condit;*

4. *Quarum licet maxima pars interiit, quædam tamen extant,*

6, 7 *Quæ ad tria capita revocantur.*

8, 9. *Et sunt clementissimæ, cum in iis raro crimina morte puniantur.*

10. *Et unica de successione possessionum aut hæreditatum sanciatur.*

11. *Etiam sacerdotes, æque ac reliqui peccantes pœnis pecuniariis subjiciebantur.*

12. *Adeo ut Rex sibi suprematum asseruisse videatur.*

13. *Judicium duodecim virale instituit:*

14. *Et ut unusquisque suspectus sponsoribus de se bene gerendo caveret.*

15. *Et uti equorum, boum & similium venditor non nisi sua venderet.*

16. *Excommunicatos etiam legis beneficio privat; aliaque multa instituit, unde leges nostræ communes sive municipales originem trahunt.*

17, 18. *Ut Latrociniis caveretur.*

19 *Regnum in commitatus, centurias, & decurias partitur;*

20, 21. *Statuens ut in qualibet decuria decennaris pro se mutuo singuli sponderent.*

22, 23, 24 *(Ostenditur Ælfredum dictæ partitionis fuisse authorem.)*

25. *Vicecomitem in quolibet comitatu instituit,*

26. *Et actionum formulas,*

27. *Mirabili successu.*

28. *Notitiam totius Regni sui condit,*

29. *Conventus itidem, comitativos, centuriatos, decuriales,*

30. *Insuper recognitionem fidejussorum de pace tenenda:*

31. *Et visum Franci-Plegii.*

32. *Plurimaque commoda ex hisce institutis, maxime comitiorum Decennariorum & Letarum percipit.*

33. *Quæ quidem instituta novis coloniis accommodatissima videantur.*

34, 35. *De ministris idoneis prospicit; (qui*

36 *Officio suo fungendo acriter student.)*

37. *Et de viris doctis & piis; qui tum*

38-41. *Verbo*

38.41. *Verba, tum scriptis, maxime rythmicis & parabalis populum instruerent,*
42.44. *Quibus & rex ipse mentem acriter intendit: & plurima scribit,*
45. *Quarum aliqua etiamnum restant; earumque specimen*
46, 47. *Datur.*
48. *Banas literas restituere conatur, accersitis*
49, 50. *Johanne Erigena.*
51. *Grimbalda.*
52. *Aliisque è variis locis & regionibus.*
53, 54. *Asserio & Johanne Menevensibus.*
55. *Werefrida Episcopa Wigorniensi,*
56. *Plegmunda Archiepiscopo postea Cantuariensi.*
57. *Dunwulfa Episcopa Wintaniensi.*
58. *Wulfsiga, Athelstana, Wereberto, Wereolpha,*
59. *Precipue Sancto Neato.*
60. *Rex subditis instruendis operam dat,*
61. *Et libris traducendis.*
62. *(Testatur ejus Epistola & Wulfsigum)*
63. *Scholisque fundandis,*
64. *Et Universitati Oxaniensi;*
65. *Et militia ardinanda.*
66, 67. *Pratores etiam sive Prasides Provinciarum constituit,*
68. *Classem instruit,*
69. *(Quales vera fuerint naves non adeo facile concipitur)*
70. *Etiam naves cammercia usitatis cammadiores comminiscitur.*
71. *Et Ochtherum investiganda breviori ad Indos itineri versus Eur-Aquilonem adhibet,*
72. *(Qui fuerit iste Ochtherus)*
73. *Artes manuales fovet.*
74. *In omnibus suis negotiis prudentium opera & cansilio utitur,*
75. *Quas in bina cancilia statuit; primum publicum, sive regni statuc*
76. *Alterum secretius,*
77. *Preter ea etiam ad majora & magis publica negotia, Parliamentum.*

LIBER III.

1. *Dignitas sive autharitas regia qualis ante ipsum;*
2. *Regnum ornat,*
3, 4. *Condit & reficit civitates, oppida, castella,*
5. *Inter reliquas Londinum,*
6. *Wintaniam, & alias plurimas,*
7. *A Danis direptas & incensas,*
8. *Novum ædificandi modum (è Saxis sc. quadratis) docet.*
9. *Arces etiam & Castella,*
10. *Classem, Manasteria.*
11, 12, 13. *Unum in Athelneja ubi dilituerat,*
14. *Alterum Shaftsburia,*
15. *Et Wintania,*
16. *Quod postea ad Hidam traductum est,*
17. *Cæteris tamen per totam Regionem universalis quidam benefactor.*
18. *Maxime Episcopatibus Dunelmensi, Shirburnensi, Manasterio Glastoniensi,*
19. *Et Episcapatus Wigorniensi.*
20. *Scholas instituit Oxaniæ,*
21. *(De quarum fundatione ad disputandum digreditur usque ad*
49. *Apalogiam pro ea, quod huic controversiæ se miscuerit.)*

50. *Initium*

50. *Initium Academiæ Cantabrigiensis.*
53. *Quales, quotve fuerint ædes ab eo Oxoniæ institutæ*
54. *Fundationis ratio & modus*
55. *Quinam fuerunt primi Professores,*
56. *Quales Scholarum dotationes.*
57, 58. *Scholæ aperiuntur, & dedicantur Rege ipso ibidem præsente.*
59. *Palatia regia restituit, & condit; villas etiam & grangias,*
60. *Accuratus & diligens in operibus & artificibus ordinandis & disponendis.*
61, 62, 63. *Familiam suam instituit & ordinat.*
64. *Musicos quærit exquisitos,*
65. *Itidem Aucupes, Venatores,*
66. *Gemmarios, aliosque fabros aurarios & argentarios.*
67. *Coronam imperialem sibi fieri curat.*
68, 69. *Dignitatem & honorem equestrem solenniter confert.*
70. *Rex ita omnibus instructus, ut singulis natus videretur.*
71, 72. *Ejus pietas & devotio*
73. *In qua valde regoloris & constans dimidium redituum Deo vovet,*
74. *Alias etiam partes pauperibus, Monasteriis, Scholis, Cœnobiis etiam transmarinis.*
75. *Quo modo reliqua distribuerit.*
76. *Et quantum temporis Dei cultui consecraverit;*
77. *Quod cereis incensis mensuravit,*
78. *Quos laternis defendit*
79. *(Digressio de ejus voto)*
80.
81. *Morbum aliquem sibi immitti à Deo postulat etiam juvenis orationi deditus.*
82. *Deus preces ejus audivit.*
83. *Devotioni in bellis intentus,*
84. *Quam & aliis persuasit & docuit.*
85. *Qualis fuit temperamenti.*
86. *Prima literas discendi occasio.*
87. *Quæ transtulerit vel scripserit,*
90. *Commentarios actionum suarum,*
91. *Quale ei ingenium & mores.*
92. *Qualis ob alienis habitus, etiam à Patriarcha Hierosolymitano.*
93. *Maxime vero Romano Pontifice.*
94. *Ejus mors.*
95. *Testimonia de ejus vita & moribus.*
96. *In Sanctorum Catalogum inseri meruit*
97. *Num Romanorum opinionibus conformis?*
98. *Regis uxor & proles.*

In supplementum vero Historiæ rejiciuntur ad finem Appendices quædam.

1. *Encomia* Ælfredi *a Reverendo Chalcedonensi in libro, quem* Flores Historiæ Anglicanæ *inscripsit, collecta,*
2. *Testamentum Regis* Ælfredi *à Reverendissimo Parkero & Camdeno editum.*
3. *Præfatio* Ælfredi *in Pastorale Sancti Gregorii à se in linguam Saxonicam traductum.*
4. *Brevis quædam Chronologia ab ipso Rege (ut videtur) scripta.*
5. *Ætatis, rerumque gestarum* Ælfredi *Chronologia.*
6. *Periplus* Ohtheri, *ut &* Ulstani *ab* Ælfredo *in Præfatione traductionis suæ Orosii Historiæ descriptus.*
7. *Stemma* Ælfredi, *quo demonstratur Regem nostrum serenissimum esse ipsius Ælfredi verum & legitimum hæredem, prout asseritur libro tertio §. ultimo.*

TAB. I




EX TABELLA ANTIQUA IN COLLEGIO UNIVERSITATIS DICTO



Ex antiquis lapidibus in Collegio ÆNEA=
=NASENSI supra portam Refectory.

Burghers sculp.




TAB. II.



EX ECCLESIA OPPIDI SANCTI ALBANI.






TAB. III.




TAB. IV
























HERIG
E:RMO
HERE
MODM



TAB. VI.






TAB.VII.





Annotationes ad Tabulas.

AD PRIMAM

PArva illa capita lapidibus opere antiquo & admodum rudi exculpta, reperta dicuntur cum eruderarentur fundamenta *Aulæ Regiæ* (quam Ælfredus olim fundaverat) ut ibidem nova Collegii *Ænei-nasensis* ponerentur. Quod non solum constans ab ipsa Collegii institutione traditio, sed & Matthæus de Windsor in Chronico suo licet obscure testatur. Primum illorum capitum fuisse *Ælfredi* nulli dubium est; alterum vero nescitur. Subtus quidem scriptura recenti dicitur fuisse *Johannis Erigenæ Scoti*; magis autem verisimile est (cum ille Malmsburiæ non Oxoniæ legisse narratur) fuisse vel alterius Johannis, vel Asserii, vel Sancti Neoti. Præter conjecturas nihil habemus.

Ad Tabulam Secundam.

1. PRimum caput satis infabre in muro Ecclesiæ oppidi *Sancti Albani* etiamnum (prout credimus) depictum cernitur. Cum omnibus vero Monasteriis & Ecclesiis majoribus aliquid emolumenti Rex noster contulisse dicatur; neque solent homines, nisi egregii benefactoris memoriam effigiei honore prosequi; vero simile est Regem nostrum quippiam eximii versus Monasterium Sancti Albani præstitisse.

2. Binas imagines, prout una habentur inter alias Saxonum Regum in fenestra bibliothecæ *Collegii omnium Animarum*, exhibuimus. Desumptæ autem ab aliquibus (quam vere nescio) ab *Ecclesia Beverlacensi* dicuntur. Prima est ipsius *Ælfredi*, altera vero nepotis sui Æthelstani Magni; de cujus devotione, & versus *Sancti Johannis Beverlacensis* Ecclesiam liberalitate, nullus silet Historicorum. Cum autem omittatur *Edwardus* Æthelstani pater, verisimile est etiam illi Canonicorum Ecclesiæ vel Cœnobio aliqua contribuisse Ælfredum; & cum tanta Sancto *Cuthberto* contulerit, contribulem suum B. Johannem (maxime si verum sit, quod Oxoniæ licet nondum Ælfredianæ studuerit) non omnino præteriisse. Fuisse autem *Æthelstanum* Malmsburiensis à quodam illi coævo refert *statura justa*, *corpore deducto*, *capillo flavo*, *filis aureis pulchre intorto*; liber vero Beverlacensium Clericorum, ipsum *Nigrum* fuisse appellatum tradit.

De

De Nummis Saxonum.

Reliquæ Tabulæ ſunt nummorum, quos nemo adhuc, quod noverim collegit, evulgavit, vel illuſtrare conatus eſt. Quamvis autem illorum temporum cognitioni, vel rerum geſtarum *Hi*ſtoriæ, perparum conferant; juvat tamen patrum ora vultuſque, mores itidem & exempla cognoſcere, neque eruditione omni inanes reperientur. De his autem univerſim ſunt notanda. Nummi Saxonum vel plerique argentei, vel pauci ex æreis, ad nos pervenerunt. Tres tantum videre contigit ab eruditiſſimo & humaniſſimo viro D[re] Nic. Johnſton, Medico Pontifractenſi, communicatos, eos parvos quidem, nec niſi ex majori parte æreos. Argenteos autem habuimus aliquos majores, qui unum è minoribus *&* tertiam partem circiter valebant, quales fortaſſe à noſtris Groats, hoc eſt denarii magni, licet poſt adventum Normannorum primus eos cudit *Edvard.* IV. teſte Hardingo. Alios communes, quos majores noſtri peneȝaꞅ, noſtri Pennies appellant. *Eo*rumque unus tribus noſtris fere æquatur. Eorum quinque *ſolidum* unum ſive ꞅcilling valebant; 48 vero ſolidi ſive ꞅcillingaꞅ, hoc eſt 240 peniȝaꞅ, libram unam conficiebant, noſtrorum denariorum 720, hoc eſt Shillings 60 præter propter. Triginta vero denarii Saxonici mancuſam (mancꞅ ſive mancuꞅ) fecerunt. Quare cum quadringentas libras Ælfredus noſter dotem filiæ ſuæ ſtatuiſſe dicitur, è noſtris 1200 dedit. Dani Oris utebantur, quarum valor ignotus, ſi non & incertus eſt. Duplices fuiſſe videbantur, minores, quæ 16 denarios, majores quæ 20, valebant. Mihi ſane veriſimile videtur eas nummos non fuiſſe cuſos ſive argenteos ſive aureos, ſed tantum computatitios, ut apud noſtrates Noble, Marke & ſimilia. Nullos enim unquam (licet Saxonicos plurimos) videre contigit. Danici vero, quos habemus (Canuti ſc. Hardecanuti & Haroldi) ſunt ejuſdem cum Saxonicis formæ, & magnitudinis.

Denarii ſive Pennies frequentiſſime, licet non ſemper, ea ratione notati ſunt, ut in 4 partes æquales dividi poſſunt. Unde fit, ut Halfpenny (obolus ſive dimidium denarii) dicatur, & Farthing, ſive quadrans *i. e.* quarta pars Denarii. Henricus vero primus imperavit *obolos* & *quadrantes* fieri rotundos. Quoniam (inquit *Hoved.*) *ante ſua tempora cum obolum vel quadrantem vellent, denarium in binos vel quatuor partes diruperunt.*

Regibus autem noſtris plures erant ædes Monetariæ. Sicut & nonnullis Magnatum, præcipue Epiſcoporum, in urbibus illuſtrioribus flandi, feriundi, nummos privilegium indultum erat. Æthelſtanus

dicitur

dicitur habuisse Londini ejusmodi domos octo, Wintoniæ sex, Lewisiæ, *H*astingis; *H*amptoniæ, Werhamiæ, singulis duas: Cicestriæ unam; Rhoffæ tres (binas Rex, unam Episcopus.) Cantuariæ septem (Rex 4. Archiepiscopus 2, Abbas unam.) Proceres etiam idem prorsus privilegium sortiti videntur. Unde fit, quod eorum nomina, sicut & aliquando urbium, & præter hæc vix aliqua in altera parte nummorum visa sunt. Tenues autem & fere bracteales sunt eorum nummi, utpote falsariis minus obnoxii.

Notandum est quod Ingulfus scribit fol. 518. *Manus Saxonica ab omnibus* Saxonibus & Merciis *usque ad tempora* Regis Ælfredi, *qui per* Gallicanos *Doctores omnibus literis apprime instructus erat, in omnibus chirographis ustata, à tempore dicti Domini Regis desuetudine viluerat: & manus Gallicana, quia magis legibilis & aspectui perdelectabilis præcellebat, frequentius indies apud Anglos omnes complacebat.* Ex hoc testimonio observare licebit

Literas illas, quarum aliquæ in nummis cernuntur non fuisse Runicis admodum dissimiles; neque eas subito & uno quasi impetu desuevisse; sed paulatim, nec omnino tempore Ælfredi.

Etiam veteres Francos, addo & Italos, literis Saxonicis fere fuisse usos; hoc est iis, quæ ab Ælfredo in has terras sunt invectæ. Quod eorum temporum codices Manuscriptos legentibus manifestum est; & quanto Saxonicis characteres sunt similiores, tanto iis temporibus viciniores. Adeo ut ex iis de Antiquitate plurium Scriptorum conjecturam haud incertam fieri notarunt viri in hisce rebus periti.

ƿ Saxonum est nostrum W, revera autem V consonans dempta parte inferiori. Eadem etiam utriusque literæ vera & antiqua pronunciatio esse videtur. Sic Vir ƿeꝛe vallum ƿall. via ƿæȝ. vidua ƿiðȝe. &c. Sic Vespasianus à Græcis sonum literæ sequentibus est Οὐεσπασιανος & similia: Đ est D aspiratum, sicut þ (unde nostri etiamnum the, that, scribunt) th. priorem characterem prorsus perdidimus, licet etiamnum potestatem in plurimis vocibus (ut thine, tooth's, quæ differunt à thine, tooth) retinemus.

Tabula Tertia.

NUmmi in hac Tabula descripti reperti sunt Aprilis 8. anno 1611. in loco Harkirk dicto in paroecia *Sephtoniæ* Comitatu Lancastriæ; & habentur tum manu descripti in Bibliotheca C.C.C. Oxon. tum ære incisi & excusi.

Primi sunt *Denarii Sancti Petri* dicti, quia in festo *Sancti Petri ad vincula* solvi solebant, primitus quidem in usum & sustentationem Anglorum in Schola Saxonica Romæ studentium, postea vero in usum

&

& commodum ipsius Papæ de quo copiosius dicendi alibi dabitur occasio. Notandum autem est Polonos etiam denarium Sancti Petri pro lampadibns (de qualibet scilicet domo & familia obolos 3. & avenæ cribrum) Pontifici Romano pependisse. Anno vero 13 : 8. mutatam fuisse hanc consuetudinem, & quemlibet rusticanum pro capite suo obolum unum solvisse. In hoc denario cudendo nostrates imitati sunt Romanos, qui nummos, ludorum aliorumque occasionum particularium gratia, fabricarunt,

Quid per 8, & 9, significetur, divinare non possum, Sanctum namque Neglinum fuisse aliquem, & Eboraci in veneratione habitum, nunquam audivi. Si nummi fuerint magni arbitrarer fuisse Scillings, sed cum ipsos non viderim, prorsus ignoro.

Decimus non est *Æthelwulfi* Regis, cum *Plegmundus* post ejus obitum Archiepiscopus factus sit; sed alius quispiam *Comitis* vel *Ducis*. In umbilico alterius partis visitur figura, unde desumi videntur Insignia hodierna Archiepiscopatus Cantuariensis.

Cum *Ælfredus* noster maxima versus Sanctum *Cuthbertum* veneratione ferebatur, verisimile est nummi undecimi parte altera Sancti istius nomen inscribi. Notandum vero est semper scribi *Ælfred*, & non *Alfred*, neque *Alvred*.

Quid per 14 significetur ignoro, conjector vero fuisse *Ælfredi* Northumbrensis, cum literæ illæ ex antiquis fuisse videntur.

16 fuisse cujusdam *Æthelstani* nobilis sub *Ælfredo* videtur, vel *Guthrunni* illius, qui ab *Ælfredo* in Baptismo *Æthelstani* nomen accepit.

24, & 25, *Deoruuald* & *Deora* arbitror esse *Deirorum* sylvam, & *Deirorum* forte regionem. Hodie autem *Deoruuald* videtur Dork-wolds dici. Adeo priorem nummum *Beverlaci* tunc temporis in illa regione florentissimi fuisse cusum arbitremur, posteriorem in usum *Deirorum* sive *Eboracensium*.

26, 27, 28, 29; *Ælfredi* nostri fuisse nummos existimo, & in memoriam & honorem Sancti *Eadmundi* East-Anglorum regis fabricatos In 26; *Winfrid* Dux fuisse videtur, non sancta *Winefreda*. In altera parte 27 *Odonis* monetæ perperam R L I A notatam arbitror. In aversa 28 IOM A M videtur monetarii nomen.

Ad 29, Binos reperio sanctos *Æadwinos*, Regem unum Northumbrensem, quem verisimilius est hic intelligi, alterum vero Monachum. In versa parte *Badi moneta*. *Badi* potius viri nomen fuisse existimo.

30 Non intelligo, nisi forte Cunetio designetur, quod tamen non est verisimile.

31; *Christiana Religio*: *Berengarius* Rex. 32, *Christiana Religio*. *Hludowicus* Rex. 33. observetur vera scriptio, *Carlus* Rex Francorum.

Non

Non enim dicitur *Carolus* à charus, sed est Carl vocabulum Septentrionalium *virum* significans.

Tabula Quarta.

NUmmi in hac & sequenti Tabula habentur in erudita penu Domini Johannis Cotton, unde plerosque descripsit Speedus. Plerique etiam reperiuntur apud virum optimum, & Antiquariæ rei tum studiosum, tum fautorem egregium, Eliam Ashmole.

Primus est *Æthelwardi* Regis West-Saxonum, circa annum 726. Ex altera parte *Eadmund* literis antiquis.

Secundus est *Cutbredi* fratris Æthelwardi, cujus Regnum anno 740 incepit. Princeps erat strenuus, & triumphator egregius. De EABA nihil restat.

Tertius est BEORMERIC, Ducisque sui (ut arbitramur) Eelhsard; de quibus nulla apud Historicos nostros occurrit mentio, quod & de aliis etiam accidit; existimo Ipsum fuisse Regulorum aliquem Regi alicui majori feudatarium.

Quartus videtur fuisse SYCFRID, talis vero notatur fuisse Anglorum Rex anno 696 Sebbæ frater, cujus facta ab Historicis non memorantur.

Quintus est *Offæ* Regis, cujus nummi satis frequentes; bini vero fuerunt, unus East-anglorum anno 701. pulchritudine corporisque agilitate celebratus, *Ecclesiæ* Westmonasteriensi multa contulit; octavo Regni sui anno, seculi hujus deliciis famaque spretis, Romam se conferens vitam religiosam Ingressus est. LULLA nomen apud Saxonas valde usitatum, tres enim *Lullæ* Concilio Clovesshoensi anno 803 subscripserunt, & *Lullus* nominatur Sancti Bonifacii In Archiepiscopatu Moguntinensi successor, *Magnatum* suorum aliquem designare non dubito. Occurrunt inter ceimelia Domini *Eliæ* Ashmole bini etiam nummi *Offæ*, qui diversa nomina ex altera parte continent; priori hæ inscribuntur literæ ϵ† UVAL, sed adeo In circuitu, ut nescitur quæ prima, quæ ultima. Quod & de secundi literis etiam dicendum D† A† ALM†

6um Speedus existimat fuisse *Andredi* Regis Northumbrorum circa ann. 800.

7us est BEORNUULF Merciorum Rex anno 821. admodum bellicosus; qui acerrimo prælio apud *Ellendon* ab *Egberto* devictus, ab East-Anglis non longe postea occisus est. Hujusce Regis alius est nummus apud sæpe nominatum amicissimum Dominum Ashmole, sed paulo aliter scripto nomine BERHVVL REX & in parte aversa DENEHEAN.

8us est *Ludicani* Regis Merciorum 824. qui ab *Egberto* devictus paulisper supervixit: alterius partis inscriptionem non intelligo.

9us est *Berhtulfi* Regis *M*erciorum anno 838, sed West-Saxonibus tributum pendentis. *Hic* Danorum invasione vexatus *R*egni tumultibus vitam privatam prætulit.

10us est BURGRED, *R*ex etiam *M*erciis ab *Æ*thelwolfo impositus, ejusque gener Danorum fugiens rabiem cum uxore *Ethelswitha* Romam deserto imperio perrexit, ibique vitam religiose finivit, uxor vero Papiæ in *M*onasterio monialis defuncta est. Apud Dominum Ashmole alius hujusce regis occurrit nummulus, qui ex altera parte ab hoc diversus est, illius enim est *M*oneta TATA, noster vero est MONETA VVHNE.

11, *Audulfius* sive *Aldulfius E*ast-Anglorum *R*ex anno 664. Nihil præter ipsum nomen, regnandique tempus apud Authores occurrit; videtur tamen ex altera parte nummi, victoriam sibi à Christo exaltato augurantis, fuisse Princeps pius & strenuus.

12, *Plegmundi* Sancti illius & Venerabilis Archiepiscopi Cantuariensis. EGMOND cujus moneta esse dicitur, Nobilis cujuspiam, vel monetarii sub Archiepiscopo.

13, *Eodberedtus* nomen erat duorum *Cantiæ* & unius *Northumbrorum* Regis, quis vero eorum monetam hanc cuderit, minime constat. *Draco* videtur fuisse omnium fere Septentrionalium signum imperatorium. Si tamen hic sit Draco.

14, EAURED idem fuisse videtur qui numero 6. cum eundem *Euduinum* magnatum aliquem habuisse versa pars testetur.

15, COENUULF *R*ex *M*erciorum XIII. omnibus virtutibus belli pacisque ornatissimus. Binos hujus nummos possidet Dominus Ashmole, neuter vultum, sed ꝏ, Mercium scilicet denotantem repræsentat, & ex altera unius habetur EAETMOD: ex alterius EOBA, sed quoddam nomen literæ in circulo scriptæ efficient lectoris esto judicium. Notandum vero ipsum *Diademate* Imperatores Græcos fuisse imitatum, quod & OFFA etiam præstitit.

16, OFFA REX à Speedo existimatur esse magnus ille *M*erciorum *R*ex &

17, EENDRYD ejus *R*egina, ꝏerciorum. EOPA nescitur. Non enim fuisse videtur filius ille *Wibbæ* Regis Merciorum secundi, cujus nepos *Æthelbald* Merciæ imperavit circa ann. 716. Neque filius *Ingilsi* fratris *Inæ West-Saxonis*. De tertio vero *Eoppa* non audivi; sed cum sit inter Saxonas nomen satis familiare, existimare possemus ipsum fuisse Comitem vel Nobilem aliquem, nisi inusitatum esset effigies eorum nummis Regum inscribere.

18, EGGBEYRHT REX primus fuisse videtur Anglorum omnium

um *Monarcha Ælfredi* noſtri avus. DEBUS comes fuiſſe videtur qui *Monetæ cudendæ* poteſtatem habuit.

19, ÆLFRED REX; è literarum illarum conjunctione (quam Moderni Ciphram appellant) in illis temporibus uſitatâ, qua Northumbriæ quidpiam ſignificari videtur, & aliis conjecturis motus, hunc *Ælfredum* Northumbriæ Regem illum eruditum fuiſſe arbitror.

20, IEDYERD REX *Senior* dictus *Ælfredi* noſtri filius. Ex altera parte forte legendum eſt *Arneri* (Dux quiſpiam vel Comes) RONCOFER opidum ſatis magnum ab *Edwardo* noſtro & ejus ſorore vel ædificatum vel reſtauratum.

Tabula quinta.

21. ÆTHELSTANUS *Ælfredi* Nepos. R. BIORNEARD HOLOND CINING F. Hoilandiæ Lincolnienſis agri partis Regulus.

22. ANLAF CYNING R. YARAN MONETA. Fuit autem *Anlaf*, ſive *Analavus* Sihtrici filius, Gurmundi cognatus. Fuit autem *Sihtricus* vir ferox admodum & ſuperbus; nam cum anteceſſorum Regum potentiam rugatis naribus deriſiſset, *Æthelſtani* affinitate ultro. ſupplicibus nunciis expetiit. *M*alms. Huic ſororem ſuam *Editham* in uxorem dedit *Æthelſtanus*, cum qua non ultra annum unum, Chriſtianus tamen illius perſuaſione factus, in vita parmanſit. Poſt cujus obitum *Editha* vitam religioſam amplexa eſt, ſed ejus filius *Analafus* bellum, una cum *Godefrido*, & *Conſtantino* rege Scotorum adverſus *Æthelſtanum* acerrime geſſit, quo victus & ſubjugatus eſt.

23. CEOLNOTH *Archiepiſcopus* dictus the good Bishop. R. DIALA MONETA DORObernenſis.

24. EADMUND REX. R. EADMUND *Martyr*. Iſte *Eadmund Edwardi* Senioris filius, & *Æthelſtani* frater fuiſse videtur. Vir fortitudine, pietate, & conſilio vix alicui regum noſtrorum ſecundus. Sancti *Edmundi Martyris* honori cœnobium conſtituit oppidumque totum ei conceſſit; quod inde nomen St. Edmonds burie adipiſcebatur.

25. EADRED REX. R. UNBEIN MOneta. *Edwardi* filius 6. Patri fratribuſque haud impar, primus Northumbrenſis regni poſseſſionem pacificam adeptus eſt.

26. EADWIG REX. R. HERIGER MOneta. *Edmundi* filius.

27. EDGAR REX ANGLORUM. R. LEOFSIG MOneta HAMptonienſis. *Edmundi* filius dictus *pacificus*, de quo plurima ſcripſerunt Hiſtorici.

28. EADWEARD REX. R. HEREMOD *moneta* pileum gerens diademate cinctum, *Edgari* filius, à noverca *Elfrida* barbare, inſidioſe, trucidatus *Martyris* nomen & honorem obtinuit.

29. ÆTHEL-

29. ÆTHELRED REX ANGLORUM. R. FOLCHEARD MOneta NORÐumbrorum. *Manus* è cælo inter A & W, Similes bini habentur è penu D. Eliæ Ashmole, quos ultimos in hac tabula reddidimus in priori. TUNA MONETA EAXE EST forte *Eaxenceſter.* altero quid denotetur non ſatis capio.

30. EADMUND REX. R. forte *Eadward.* Hic videtur *Edmundus* quem *ferreumlatus* appellarunt, *Æthelredi* filius, bellator egregius & fortiſſimus.

31. CNUT REX. R. NODꝨINE ꝽONETA *Canutus, Magnus* dictus, ſeneſcens diademate cinctus, è Danorum ſtemmate Regum noſtrorum primus.

32. HAROLD REX. R. SLIWINE ON THEOW. *Haroldus Canuti* filius nothus.

33. AARDACNUT REX. R. ELFWINE ON RICE. *Canuti Magni* filius.

34. EDWARD ANGLORM. R. dictus hic *Confeſſor*, Regis *Edmundi ferreum-latus* filius Anglus.

35. HAROLD REX. R. SWAFA ON LINCOLN. Filius hic erat *Godwini* Comitis potentiſſimi, à *Guilielmo* Normanno victus & occiſus, Anglorum Regum ultimus.

Tabula Sexta.

NUmmi in hac Tabula expreſſi habentur aliqui in Bibliothecæ Bodleianæ Archivis, aliqui apud nos, alii apud D. *Eliam Aſhmole*, reliquos nobis communicavit vir humaniſſimus & Antiquariæ rei ſtudioſiſſimus Dr. *Nic. Jonſton, M*edicus Pontefractenſis.

1mum arbitror fuiſſe *Æthelredi Æ*theluulf. F. Ælfredi noſtri fratris. v. Tab. vii. num. 9. dicitur autem *Rex Anglorum*, non quia unus potentiſſimorum Regum, quos Beda ſic appellat & quorum aliqui (*Ethelbertus* ſaltem) ſe *Reges Anglorum* nominarunt: ſed quia poſt *Egbertum* avum, ipſe etiam *omnium Anglorum Monarcha*.

2dum Interpretari nequeo.

3tius videtur eſſe *Edwardi Senioris*. R. LEFWINE ON LINR. Forte Lindiſſi comes.

4. ÆTHELSTAN. Altera pars obſcurior eſt quam ut ea interpreter.

5tus videtur eſse *Edwardi Confeſſoris* & *Scrobesburiæ* (Shrowsbury) ſignatus.

6, 7, 8, ſunt *Canuti* Magni. Segmen vero capitis ejus pyramidale, an fuerit caſſis, pileum, an corona, mihi non liquet. *Andronicum* obſervat Nic. Choniates (p. m. 276.) geſtaſse pileum acutum piramidis inſtar deſinentem. Ut hinc etiam, prout & in multis aliis, pateſcat quantopere noſtri Græcos imitati ſunt. Quamvis autem *Canutus* poſt

post coronationis solennitatem, anream gestare coronam nunquam sustinuisse dicatur, sed eam Crucifixi capiti imposuisse, in nummo tamen 37 hujus tabulæ, sicut & in alio Domini Ashmole corona liliis ornata cinctus cernitur. R. 6ti FARTHEIN MoneTa OEOForwic, sive *Eboraci* ubi etiam 7, 8, & 38; 35 autem *Lundoniæ*, 36 *Theotfordiæ*, cusi videntur. Habentur etiam nummi *Canuti* hujus prout 30 hujus Tabulæ (& alii apud Dominum Ashmole) caput diademate cincti, cujus altera parte habetur LEODMER ON RIIC ulfcester forte. 31. vero LVFFWINE ON DOFre sive Dubri.

9nus videtur esse *Haroldi* secundi filii *Godwini*. R. BRVNSTAN ON LOT, quis fuerit locus penitus ignoro.

10, 11, videntur esse *Edwardi Confessoris* corona imperiali ornati, quemadmodum in hac Tabula cernuntur etiam *Edvardus Senior*, *Haroldus* & alii, more Imperatorum Orientalium; nostrates vero Cyning-helme, hoc est, *Regiam Galeam* appellarunt, qualem nescio an ullus alius Regum Septentrionalium tulisse cognoscatur. Reges Franciæ usque ad tempus Francisci primi, omnes aperta corona fuisse usos testantur ipsorum Historici. Adeo ut Reges nostri tanquam summi Imperatores in Regnis suis semper habiti sunt. Quod & ulterius constat, cum ab ipsis pilam & sceptrum cruce insignita gestare videmus. Staurophoros autem istiusmodi globulos, ut supremi testimonia juris summi terrarum Domini (Græcorum maxime Imperatores) gestare solebant. De Justiniano Suidas. *Sinistra manu fert globum crucem eo infixa; significante, quod per fidem in Christi crucem terræ Dominus sit factus. h. e.* Quod terræ dominium à Christo Rege Regum, & Domino dominantium immediate obtinuerit. Quod & è sceptris, quæ in dextris portarunt, adhuc clarius patescit; quæ talia fuisse cernimus (num. 17, 29, 31, 32, 33, 34. sicut & alii plures apud Dominum Ashmole) qualia sunt *peda Archiepiscoporum*, supremorum scilicet Ecclesiæ gubernatorum; utpote qui non ab hominibus, neque per homines, sed à Crucifixo solum authoritatem suam acceperint.

12. R. LEOFWINE ON BRIhtstow fortassis. 13 vero *Wal.* forte *Walingaford.*

14 est ECGBERTI inter binas cruces, quo modo etiam & nonnulli Imperatorum Orientalium stantes cernuntur.

15. R. præter WVLFARD Ducis sive Comitis nomen nihil intelligo.

16 videtur esse *Edwardi Senioris*. Ex altera parte videtur legendum OTHL RIG MONeta RING orne. Apud Dominum Ashmole hujusce Regis nummus servatur, in cujus versa parte legitur HVSCARLONE E. Huscarli dicebantur *Domus, homines*, sive *familia Regia*, in quorum usus vel quorum authoritate nummus iste percussus

d vide-

videtur. Apud eundem servatur nummus ejusdem Principis galeati. R. ARNERIR ON EOFERwic. *Eboracum* scilicet.

17 videtur *Edwardi Confessoris* coronati, sceptrum cruce Archiepiscopali insignitum gestantis.

18. R. EBORACA Civitas REGNALD MONeta.

19. R. WVLNOTH MOneta EOFRWic.

20. R non intelligo.

23. EVNAARE Quis fuerit apud Historicos nostros non constat. Parte adversa literæ insaberrime factæ OXFORdiam denotare videntur, possidetur autem nummulus iste æreus à Dre Johnston.

24. Quidnam fuerint HERRED & HEARETH nescio, sicut & quinam significentur per 25um

De 26 superius actum. 27 satis est manifestus.

28 est *Æthe*LVVLFI REgis, caput diademate sive fascia gemmis, ut videtur, ornatâ cincti. Hoc ornamenti genus *Constantinus* Magnus inter *R*omanos primus usurpasse dicitur: sed & eundem morem secutos fuisse nonnullos Wallorum sive Britannorum regulos, ab eorum *H*istoriis patet. Consule Annales Brit. p. 27. ubi tres filii *R*oderici Magni, *Anarawd*, *Cadel*, & *Mervyn* appellantur y tri twisoc talaethioc *i. e.* tres principes coronati; quia scilicet supra pileum vel galeam gestarunt fimbriam auro & gemmis intertextam, qualem ipsi Talaeth appellant. Nobilis autem *R*ex ille *Æthelstanus* diademate, non vero corona aurea usitata, coronatus dicitur à Geof. *M*onumeth. l. 9. c. ult.

29 est *Edwardi Senioris* corona imperiali, casula etiam, & sceptro staurophoro, more Imperatorum Orientalium, insigniti. Cujusmodi etiam alius habetur à Domino Ashmole. Apud ipsum cernuntur alii hujus (ut videtur) *Edwardi* absque figura, sed in parte adversa ducum variorum nominibus (quales sunt VVLFGAR, supra cujus nomen est quoddam ædificium sive pallatium sive Ecclesia.) Multas urbes & pallatia restituit Edwardus, & in allicujus structura istius Vulfgari opera usus videtur. BOIGA. HEREMOD. ERIGER MOneta.

De 30 & 31. supra actum est.

32 & 34, *Edwardi Confessoris* esse videntur. In priore notandum est, quod illa quatuor avium interstitio brachiorum crucis collocatarum figura, insigniis, à sequiori tempore West-Saxonum Regibus attributis, originem dedisse videtur. *H*ujusmodi nummi plures apud Dominum Ashmole videri possunt.

Tabula Septima.

HUjus Tabellæ nummorum pars à semper memorando Domino Ashmole nobis transmissa. Reliqui apud nos habentur.

Primus quem *Ælfredum* designat, sicut & *Oudig*, nescimus.

Secundus

Secundus obſcurior eſt, quam qui à me interpretationem ſortiatur.

Tertium & quartum *Petri denarios* eſſe nullus dubito.

Quintus *Haroldi* Cnuti filii eſſe videtur, & ex altera parte GOÞRIC ON THEOTFORD, Comes, ut videtur, *Theodfordienſis*.

Sextus eſt *Cuthredi* Regis Cantii: de quo ſupra dictum eſt.

Septimus eſt *Ædeluulphi* Ælfredi noſtri patris. R. BRID Comitis *Moneta*.

Octavum eſſe *Æthelredi* Edgari filii, nomen *Godwini* famoſi illius *Comitis* Cantiani extra dubium relinquit.

Nonum arbitror fuiſse *R*egis noſtri fratris *Ætheredi*, ſic enim & non *Æthelredi* in Ælfredi teſtamento & alibi ſæpius appellatur, ex altera parte videtur eſse OZGVT MO On LINC *olniæ*. *H*abetur etiam apud nos alius ejuſdem nummus in cujus parte averſa legitur EADPOLD MO CÆNT. in utroque autem ſe Regem Anglorum nominat; adeo ut Ælfredus noſter primus non fuerit totius Angliæ Monarcha.

Et ne nimium vacaret hæc tabula addidimus aliquot antiquos Regum Scotorum nummos, de quibus ita Hardingus *fol.* 42.

Also afore the fifthe King Henries daye
Their silver Coyne was as it ought to bee
The Kings face loked on side all waye
To his Soveraigne Lord of England as I see
Which to have been hetherwarde of egalite
unto their Lorde thei have of new presumed
To looke even furth, whiche would nowe bee consumed.

Nihil autem in iis intellectu difficile, primus *Alexander* fuiſse videtur, ille quem *ferocem* nominarunt.

Addidimus inſuper tres nummulos æreos, è literarum cum Runicis ſimilitudine *Danorum* vel *noſtratium* fuiſse non ſine probabilitate conjectati. Quos tamen ſi quis *Punicos* vel *Siculos* eſse contenderit, cum iſtiuſmodi fere characteres à Paulo Paruta editis nummis Siculis tribuantur, litigare de incertis operæ pretium non duximus.



Ælfredus Magnus.

PRIMUS LIBER AELFREDI REGNUM

Bellis & rebus adversis implicitum exponit.

PRÆFATIO.

SI Principatum alicujus Regum nostrorum, qui stabile jam & adultum Imperium tenuerunt, literis mandare suscepissem; haud longius quam ab ipso statim Antecessoris obitu, res ejus gestas initium enarrandi caperem. Cum enim negotia describantur seculi à præcedentibus non multum discrepantis, quo scilicet eadem personarum actionumque series continuaretur; generalis quædam notitia lectori conjectandi ansam, quid inde sit sibi expectandum, facile suppeditaret. Cum vero jam aggrediamur historiam Principis longâ vetustate submoti, Regumque nostrorum, ut ita dicam, primi; adeoque Regni ipsius natalium: & proinde cum explicandi sint alii mores, & instituta seculi huic nostro longe dispatis, & præ Historicorum inopiâ vel incuriâ nobis vix comperti; si non necesse est, at maximè saltem intererit, istorum temporum faciem, quæ pridem in oblivionem abiit, primum ob oculos ponere: ut si non integra & manifesta, vera tamen, eorum notio in animis lectorum efformetur. Intellectus enim in ignoti tramitis obscuritate ambiguus, & errori obnoxius est, & semel errans, quo ulterius progreditur, semper à veritate longius evagabitur; nisi luminis, utcunque exigui, veri tamen, ductum amplectatur. Sed & Lectoris animus præparandus est, ne dum sibi effingat aliam negotiorum faciem, alias actiones, alium prospectum, quam res ipsa patitur; veram gestorum

storum

ftorum notitiam, etiam antequam cognofcat, rejiciat; falfaque expectatione lactatus feriam experientiam, & folidam judicii informationem vel negligat, vel contemnat. Ideo fcilicet, quod diffimili inftituto, & diverfa adminiftrarentur ratione, ab ea, quam fibi temere in animum induxerat: adeoque falfæ notitiæ præjudicio deceptus, etiam fructu excidat, quem ex eorum cognitione folido ufus judicio percipere potuiffet.

2. *Quamobrem licet à nobis haudquaquam expectandus eft æque ftabilis aut inconcuffus Reipub. gubernandæ modus, ac qui hodie vifitur in Imperio jampridem confirmato; cujus nullæ partes officii neceffarii minifterio deftituuntur: non tamen ita tenuiter, abjecteque fentiendum de Ælfredo (cujus vitam hic molimur) ut res ab eo geri memoratas, ipfi tamen non aliter competere, quam ut Civitatis totius acta, quæ Principis aufpiciis attribui folent, ftatuamus. Adde, quod ipfum bellum (rerum tunc temporis fere omnium caput & fumma) nec ea fagacitate, nec tam accuratis confiliis ex alterutra parte adminiftratum eft, quam hodie fieri folere videmus.* * *Siquidem aftus illi & ftratagemata prifcis feculis ufurpata, poftquam infufa Barbaries Europam longe lateque devaftârat, è medio jampridem exceffêrant: & quamvis literarum ope nobis inftaurata, vix tamen ante percrebuerant, quam ab adinventa Typographia multis poft feculis in vulgus publicarentur: adeo ut temporibus iftis, de quibus nunc agitur, mortales non ab Anteceſſoribus*

* Dixiffem potius rebus geftis defuiffe fcriptores, quam res geftas fcriptoribus. Nam cum illorum temporum Hiftorias fere fcripferint viri Religiofæ & monafticæ vitæ dediti; qui ftratagemata, bellique momenta & minutias nec cognofcerent, nec cognita intelligerent; quique proinde Chronica tantum & annales nobis tradiderint; mirum non eft ea propemodum intercidiffe. Nec tamen penitus interciderunt, cum ex hac ipfa hiftoria in prælio Eddandunenfi aliifque non femper viribus, fed aliquando arte etiam, præliatum lector facile obfervabit. Certe nec ipfæ belluæ cornu vel ungue utcunque & abfque omni artificio utuntur. Neque maxime barbaris (præfertim cum de vita agitur) deeffe aftutiam, imbecillium & impotentium fere unicum refugium, fatis manifeftum eft; maxime cum ingenii viribus rei gerendæ occafionem captantis, non arti vel inftitutioni, regulis aut methodo debeatur. Certe fi qui adeo barbari ut ingenio in bellis uti nefcirent, non fuere Saxones noftri; gens (quantum è primis eorum Hiftoricis liquet) periculis, bellicifque laboribus terrâ marique educata, nec aliunde quam raptu & præda ab ipfamet pueritia fuftentata & enutrita. Ignofcant Lectores fi è Witikindo, Urfpergenfi, aliifq; hiftoricis cujufdam Saxonis, in concinnando belli adverfus Thuringos pretextu, calliditatem paucis propofuero. Saxonibus Thuringiam navigiis invafuris occurrentes Thuringi, eorum adventu territi, fubitoq; armati, & quid fibi vellent, quidve ibi negocii haberent quærentes, refponfum tulerunt; ipfos effe Mercatores; & res, quas fecum attulerant, vendendi vel commutandi copiam petere; maxime vero cibaria iis deficere. Thuringi, hoc refponfo accepto, mercandi negotium diftulerunt, & victui neceffaria parce admodum venum expofuerunt. Saxonibus longo tempore hac ratione languentibus, neque bellandi prætextum fortitis; è navigio prodiit Ducum aliquis monilibus, armillis, annulis, auro demum gemmifque, quantum fieri poterat, ornatus: cui occurrens Thuringus, & quid, inquit, fibi volunt tot ornamenta macilento tuo & ftrigofo collo dependentia? profunt, refpondet Saxo, ut mihi victum famelico comparem. Et nos, inquit Thuringus, fame & penuriâ laboramus, neque, quo tuæ neceffitati fuccurratur, habemus. Et fi moriendum eft, refpondet Saxo, ecquid mihi proderunt, quas huc attuli, divitiæ? quare des mihi, quo vita aliquantulum fuftentetur, tibique quæ cernis accipe. Imo vero, ait ille, terram tibi dabo, quæ fepulturæ fufficiat; ecce tumulum, cape quantum velis, defque mihi tua monilia. Accipe, inquit Saxo, finuque pulvere repleto in naves redit. Ubi comitum & popularium rifu exceptus, filentio facto, ecce, inquit, quem tamdiu expetiviftis, bellandi prætextum. Terram appellite, pulveremque hunc quam tenuiffime fparfum tentoriis occupate. Terra hæc noftra eft, hanc ego auro argentoque meo comparavi. Saxones fubito egreffi terrâque huc illuc fparsâ caftra fubito muniverunt. Thuringi mirati hoftilem hanc invafionem refponfum tulerunt, Saxones in terra propria metari, eamque velle etiam totis viribus defendere. Quo refponfo convicti Thuringi regionis parte pacem mercati, Saxonibus ingreffum dedere. Plures ejufcemodi narrationes apud eofdem hiftoricos occurrunt. Sed neque aftus vel plures, vel fubtiliores poft Typographiam inventam, fed explicatiores tantum. Etiam Antiquorum ftratagemata nobis fuiffent incognita, nifi Polyæni aliorumque ante Typographiam inventam induftria pofteris ea confervaffet. Qui tamen non adeo multa, pro antecedentium præliorum numero, congeffiffe videantur.

fuis rerum gerendarum notitiam acceperunt; sed plane Tirones inter ipsa negotia experientiam sibi, & posteris documenta, quibus velut certis principiis & fundamentis ad Imperii sui disciplinam condendam uti possent, acquirere cogerentur. Ipsis interim hominibus impolitis omnia domi bellique simplici quodam & inartificiali ferebantur modo: in quibus, ut necessitas plerumque consilium suggessit, ita fors & casus passim exitum imposuerunt.

3. *Nulla tunc temporis, vel rara admodum, cum vicinis principibus negotiatio: quinam essent, quidve agerent, vel molirentur, raris constabat commerciis. Unde sæpius contigit, ut imparatus populus cum improviso sed parato hoste dimicare cogeretur: ut pauci, iique tumultuarii, milites infinitis gentium copiis opponerentur: denique ut reparata continuo grassatorum, agmina & integros, & jugiter submissos advenas idem incola sustineret, virtute sola & vigilantia indefessa munitus; nec aliter sæpe instructus, quam prout obviam eundi ardor, & consilium Ducis temporaneum tulerunt. Invasio certe Danorum vere æstimata non tam bellum diceretur, quam devastandi quidam æstus, & universalis omnia diripiendi sitis undique furibunda. Ecquid enim aliud expectari poterat à populo immani barbaroque, qui tam fidei & honestatis, quam humanitatis & Religionis expers, nihil non ad effrænatæ libidinis suggestionem gerebat? Ingenio durus & ferox, inter angustias natus, adeoque quodlibet ausurus, prædæ paratæ nusquam non imminebat impotenter avidus; neque satur desistebat, nisi cum forte lassus ad novas vires resumendas, vel periculi imminentis metu aliquantulum interquiescebat. Pax nulla, nullæ induciæ (quibus vel periodis, vel pausulis mitius inhumana bella geruntur) nisi parumper; scilicet aut ubi clades aliqua novo prælio absque milite succenturiato grassatores impares reddiderit; aut deprædandi crapula insatiabilem populandi appetitum aliquantulum hebetaverit. Quoties enim hæc accidissent, successit pacis qualiscunque species tantum, non autem pax vera vel stabilis; quam eatenus tantum ratam habuit hostis perfidus, quoad aut vires nocendi deessent, aut alibi major acquirendi spes effulgeret.*

4. *Sciendum autem est, quod ex quinque gravioribus plagis seu flagellis, quibus hanc Insulam castigatam memorant, (Romanos intelligo, Pictos-Scotosque, Saxones, Danos atque Normannos) hæc pestis Danica (quæ Ælfredo nostro tam gravis incubuit) omnium extra controversiam acerbissima censeatur. Certe Romanus victor plus beneficii secum attulit, quam calamitatis. Britannos nimis constat, ad extremam humanitatis depravationem lapsos, à nullo scelere abstinuisse, in quod ingenium humanum semel incitatum præceps ferri solet, aut pravorum affectuum servi mutuo se provocant. Quibus hunc in modum contaminatis, voluit Deus, ut & aliis solet Gentibus, experiri; quantum Naturæ leges (quarum maximam partem illustrabant interpretes Romani) proficerent ad animos eorum ex tam atroci barbarie in*

mitius revocandos. Quamvis autem humanior hic cultus sine cæde & sanguine haud restitueretur, minoris tamen stetit, quam intestinum illud bellum, quod averterat. Nam servitus illa, quæ cladem Britannorum excepit, re vera, nisi post aliquot secula, non admodum gravis insederat. Et si gravior quidem fuisset, pace tamen, humanitate, & literis subinductis abunde compensata est. Donec Justicia Divina (post clementiam & animi patientiam frustra adhibita & supra modum læsa) utrumque populum in jus vocare statuit; & rationem exigere, cur Legis notionibus; quas à * *natura satis manifestas haberent, vitam minime conformem instituissent; neque Deum, quatenus ipsis innotuerat, laudibus, ut par erat, debitoque cultu prosequuti fuissent. Tum demum tremere, & fatalem diem sibi imminere Romanum præsensit Imperium. Et quemadmodum in corde vehementius oppresso spiritus vitales ab extremis corporis artubus introrsum revocati, cæteras quidem partes deserunt, ut principem conservent; aut id si minus efficere possint, unà mortem oppetant. Haud secus victor ille populus in extremo deliquio positus, & undiquaque oppressus, ut ruinam sibi instare sensit, ad magnas variasque profectiones Britannos secum rapuit. Nec lectissimos quosque tantum, aut pubis florem; verum Universum prope genus exhausit virile. Qui partim cum Romanis ad internecionem deleti, partim in alias Regiones (Armoricam præcipue) traducti, reditûs ad unum omnes fuerunt exortes. Cæteri domi resides, fæces populi, rude & inutile vulgus, animis jacentes, nec ab ingenio, nec à virtute satis ad sui defensionem erecti, cum imbelles undique paterent obnoxii, Pictis-Scotisque (quod secundum flagellum diximus) introitum præbuere; quorum crebris & violentis incursionibus aliquantisper infestati sunt.*

5. *Britanni sub id tempus amplioris cujusdam beneficii divinitus participes facti erant, veræ scilicet Religionis; quæ aliquamdiu sui delectatione captos eorum animos delinierat. Verum cum brevi facti fuerint immemores, quid ab iis tanto beneficio donatis vicissim esset expectatum, tum demum Deus acriorem se gratiæ spretæ, quam antea rationis contemtæ, vindicem præbens, adeo gravi eos supplicio affecit, ac si cæteris nationibus iræ suæ exemplum eos statuere voluisset. Cum scilicet ab iis ipsis gentibus, quas auxilio sibi adversus hostes accersierant, post 400 fere annorum bella & ærumnas, tandem non superati modo, aut in servitutem redacti, sed quodammodo extirpati, & ab hæreditatis maxima parte excisi sunt. Nisi quatenus reliquiæ, satis quidem pro loci illius angustiis numerosæ, in extremas Insulæ versus Occiduum mare procurrentes montosas partes coactæ, specimen factæ sunt Divinæ tum clementiæ tum justitiæ in ipsis elucentium.*

* Non satis capio, cur Author noster Legis Naturæ violationi has calamitates potius attribuat, quam Christianismo vel recusato, & Professorum ejus persecutioni (quod Augustinus, Orosius & plerique Christianorum Patres constanter asserunt); vel ejusdem præceptis neglectis aut spretis. Apud Britannos enim, sicut & maximam Romani Imperii partem, dudum ante Saxonas ingressos veræ Religionis cultus & externum saltem exercitium vigebat.

6. *Fa-*

6. Fatalis hæc plaga, numero tertia, Saxonum Anglorumque manibus, qui Britannorum ab ipsis exactorum in locum successerunt, fuit inflicta; hi post consimilem Illuminationem in consimilem Apostasiam revoluti graviores etiam, quam ipsi Britanni, (diversâ licet ratione) pœnas pependisse reputantur[a].

7. Saxones

[a] Mallem Anglos, Saxonas, & Jutas Cimbricæ Chersonesi tanquam Aborigines censere; hoc est, eos, qui primi sedes ibi post diluvium, sive per Scythiam pedestres, sive à Getis vel Germanis, vel aliunde navigiis eo delati occuparunt; quàm per incertas conjecturas è nominibus plerasq; desumtas tempus terere, & studiosis inutilem & incertam operam facessere. Saxonas Witichindus, Lipsius, aliique viri docti dictos existimant à quodam Sicarum, vel cultrorum in anterius curvatorum genere, quibus in bellis utebantur, & Seaxes prout Belgæ hodierni Suissen, & Somersetenses nostri ipsum vocabulum adhuc retinentes chopping-seare pro cultro majori diffisorio, quæ Ansaria forte dicebatur, usurpant. Sed iisdem armis, si non & omnes Germani (quod tamen verisimile est) at Daci certe pugnare solebant. Horum unius Effigiem



è Columna Trajana exhibemus, cum braccis & gladio, prout ab antiquis Historicis, non ut à modernis Heraldis (qui acinaces ipsis attribuunt) describuntur. Saxones autem aliis etiam armis utebantur; hastâ scilicet, brevique parma, qualia Germanis etiam tribuunt Imperatorum numismata. *Vestiti erant*, inquit Witichindus, *sagis, & armati longis lanceis, & subnixi stabant parvis scutis, & cultellos magnos ad renes habebant*. Angli quidem, qui Custodes erant Palatii, cubiculique Imperatorum Orientalium, Barangi dicti, e-

 rant

rant πολυπελέκεις. Sed an hæc erant arma aulica & satellitum, an vero Gentilitia, & an ad ornatum magis vel pugnam adaptata, sicut & quales illæ fuerint secures sive bipennes, non satis constat; Neque quo tempore ad illud satellitium acciri cœperint; cum ante Comnenos circa an, 1070, de iis non legamus. v. Annam, Alexiados, l. 2. Choniat. l. 2. Codin. c. 7. Alii vero Saxonas appellatos volunt, quasi Sacæ-sons, *i. e.* filios Sacarum. Quos Ptolomæus, Ammianus, & ante ipsos Strabo, in Scythia non longe à Ponto-Euxino collocant: quosque ex Asia per Scandiam in Cimbricam Chersonesum, Duce Wodeno, commigrasse moderni asserunt. Sed cum Hengistus, à Britannis circa An. Christi 450 accersitus, non nisi quartus à Wodeno asseratur; talis transitus (qui vix ante A. C. 300 fieri potuit) à nullo è tot Historicis, tunc temporis undique scribendi materiam corradentibus, traditus fidem vix invenit. Quod si quis istiusmodi genealogiarum authoritatem prorsus elevandam censeat; me repugnantem non habebit. Maxime cum in iis à Noacho ad Hengistum unde-viginti tantum, cum tamen ab Abrahamo ad Christum 42, & quorundam valde longævorum successiones numerentur. Sed hoc intelligi velim de iis, qui Wodenum vel Geatam saltem præcesserunt; nam de iis, qui eos sequuntur, cum Danorū, & Norwegorū historici satis cum nostris conveniant, non est par ratio omnes eos rejiciendi, v. l. 1. §. 2. C. Sed nec usquequaq; convenit unde nostrates in Britanniam venerint: Angli à Tacito Mediterraneorum Suevorum, non Cimbrorum, natio recensentur. Et Dresdæ sub effigie Ducis Saxoniæ (ni fallor) IV, versus hi leguntur.

Ausus in extremis hic regnum condere terris,
Quod per. secla ratum plurimâ deinde stetit.

Ac si è Ducatu Saxoniæ Hengistus oriundus fuisset; quem tamen alii Phrisium sive Frisionem nominant, & alii Westphalum.

Si mihi sortem in urnam conjicere liceret, Gentes hasce dicerem fuisse Cimbrorum pagos. Vel forte Cimbros ipsos non unam fuisse gentem, sed maximam vel præcipuam, cui Romanæ ditionis invasio incubuit: forte & nullam; Sed invasores illos sibi Cimbrorum, *i. e.* Virorum fortium sive Bellatorum nomen assumsisse. Eosque tum bellandi, judicandi, & vivendi consuetudine, tum linguâ & armis cum Teutonibus, Danis, Suecis, Norwegis, & plerisque Septentrionalibus populis convenisse. Et huic conjecturæ, præter ea, quæ ab aliis afferuntur, astipulari videntur nomina Scutis Ducum captivorum in arcu Marii prope civitatem Arausicanam insculpta. Nondum evanuerunt, imo clare leguntur, MACVR- NDILLVS. BODVACVS. VDILLVS. quæ etiam ab hodiernis Anglorum nostrorum appellationibus minimum abscedunt. Primus autem Ptolomæus (circa A. D. 150) Saxonum expresse meminit ad ostia Albis incolentium: Sed præter ipsum nomen aliud nihil apud ipsum occurrit. Neque ulterius quippiam de iis reperimus usque ad annum 280. quando C. Carausius Hiberno-Menapius sub Dioclesiano & Maximiano bellis navalibus, propulsandis sc: Saxonibus & Francis mare infestantibus, apud Bononiam Galliæ præficiebatur. Sed cum partes hasce Britanniæ & Galliæ ab istorum prædationibus defendere debuerat, rebus suis magis quam publicis consulens, neque curæ suæ commissa tutatus est, neque à Pyratis ablata vel veris possessoribus vel ærario computavit; sed ipse, Latronum Latrocinator & Piratarum Pirata, quæ illi à Provincialibus extorserant, dimissis ad ulteriora scelera prædonibus, in privata commoda expressit. Et spoliantium spoliis ditatus Britanniæ regimen adversus Imperatores Romanos, associatis, quos expilaverat, barbaris, sibi asseruit. Saxonas Piraticam suam continuasse exinde constat, (Am. Marcel l. 18. & 23.) quod Julianus 800 naviculas parasse dicitur ad frumentum è Britannia securè adversus Saxonas & Francos transportandum. Et quod Britanniæ defendendæ à crebris Saxonum descensionibus Præfectum littorum Saxonicorum, hoc est Saxonibus obversorum, constituerint Romani. E quorum numero Nectaridium & Balcobaudem à Saxonibus occisos idem (l. 26. & 27.) testatur Marcellinus. E quibus testimoniis consequi videtur, Saxonas à Ptolomæi seculo fines suos plurimum dilatasse: adeo ut eo tempore, quo Hengistus Angliam invasit, anno circiter 450, totam maris oram ab Albi ad Rhenum possidisse dicantur; illudque mare nunc Saxonicum nunc Cimbricum appellari. Claudianus de victoria Alarici agens,

—Te Cymbrica Thetys
Divisum bifido consumis Rhene meatu.

Gens Saxonum (inquit Ethelwerdus) [Cymbrorum pars] *in tota erat maritima à Rheno flumine usque ad Doniam urbem, quæ nunc vulgo Dane-marc appellatur.* Prioribus enim habitaculis nomen veteris Saxoniæ (Eald-Saxe) relinquentes, & Albim fluvium transvecti partim, in Suevorum sedes paulatim concesserunt, tempore Theodorici Regis Francorum. v. Ursper. Chron. ubi nunc Saxoniæ Ducatus; partim in Frisiam & Bataviam jam à Francis derelictam se receperunt. Franci enim, qui prius penitissimas illas Frisiæ paludes insederant, & Bataviam occuparant, (ut aiunt aliqui) sub Constantio Chloro, Constantino Maximo, ejusq; filiis, vel in leges recepti, & ad deserta Galliarum colenda translati; vel ferro sibi in uberiores regiones viam aperientes; vel, ut Zosimus ait, à Saxonibus pulsi Bataviâ cesserant. Videntur autem Franci eodem fere tempore in Gallias sibi subjugandas penetrasse quo Saxones In Britanniam (circa an. C. 450) cum scilicet bini fratres pro Francorum Regno dissidentes, unus ab Attila, alter ab Aëtio sustinebantur, & sub iis militabant. Saxonum finibus tantillo tempore tam spatiose dilatatis, verisimile non est ipsos in Britanniam prolis nimium luxuriantis missionem fecisse; sed (quod ab optimis Authoribus Paulo Diacono, Beda, Gilda, Witichindo, Ethelwerdo, traditum est) à Britannis fuisse accersitos; & consilio haud imprudenti. Nimirum propter famam fortitudinis, reliquarumque virtutum, quæ iis à Scriptoribus illius sæculi attribuuntur. Sane qui gravia passi maxime iis adversabantur, haud alia ipsis scelera quam feritatem & superstitionem imputarunt: quæ in gente bellicosâ, Religionis Christianæ adeoque civilitatis ignarâ, pro fortitudine & Religione haberi mirum non videbitur. Ab Adamo Bremensi citantur aliquot de iis testimonia, quibus dicitur Saxonum fuisse gentem ferocissimam, virtute & agilitate terribilem. *Erant*, inquit, *inquieti nimis, & finitimorum sedibus infesti, domi vero pacati, & civium utilitatibus placidâ benignitate consulentes. Generis ac nobilitatis suæ providissimam curam habentes; nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum, connubiis infecti, propriam & sinceram, tantumque sibi similem, gentem facere conati sint. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum, comarumque color, sicut in tanto numero hominum, idem pene omnibus. —Legibus ad vindictam malefactorum optimis utebantur. Et multa utilia, atque secundum legem natura honesta, in morum probitate studuerunt habere:*

qua

quæ eis ad veram beatitudinem promerendam proficere potuissent, si ignorantiam creatoris sui non haberent, & à veritate culturæ illius non essent alieni. ——Et notabilis est pœna, quam adulteris infligere solebant, prout in Epistolâ Sancti Bonifacii ad Æthelbaldum regem habetur. *In veteri Saxoniâ [paganâ] si virgo paternam domum cum adulterio maculaverit, vel si mulier maritata fracto fœdere matrimonii adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam, propriâ manu per laqueum suspensam, vitam finire: & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem ejus suspendunt. Aliquando congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt virgis cædentes, & vestimenta ejus abscindentes juxta cingulum, & cultellis suis totum corpus ejus secantes & pungentes minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villa ad villam mittunt, & occurrunt semper novæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ; usquequo eam aut mortuâ, aut vix vivam derelinquant, &c. Præstantes corpore & animo viros* (post Witich. & alios dicit Usperg. p. 203.) [Saxonas sc:] *mirati sunt Franci, & habitum novum, arma quoque, & diffusam scapulis cæsariem, & super omnia ingentem animi constantiam, genus hominũ indomabile, & ad omnem laborem perdurabile.* Harũ deniq; virtutum ratione ad tutelam Imperatorum (ut supra dictum est) uni commendabantur. neq; verisimile erat, eos, qui tantum terræ jam possiderent, & à Britannis mari separatum, tam grave detrimentum Britannis illaturos; ac eos, qui in eodem continenti, in loco sterili & angusto degentes, omnem levandæ paupertatis occasionem arriperent.

Unà cum Saxonibus advenerunt Angli, Jutæ, aliique ejusdem gentis, sed diversorum nominum, prædatores. Angli, Taciti & etiam Ptolomæi temporibus, Suevorum Mediterraneorum gentes una cum Verinis apellantur. Eosdem Caroli Magni sæculo legibus, consuetudinibus, & habitaculis adhuc conjunctos reperimus. Quando vero Albim transmigrarunt, & Saxonibus se sociarunt, prorsus nescimus. In invasione Britannica maximam certe partem, East-Angliam sc: Merciam, & Northumbriam sibi vindicarunt. Sedes prius habuerunt juxta Saxonas, sed ad mare Balticum (quæ fortassis ratio esse possit, cur non frequentior eorum inter Scriptores Romanos mentio) in provinciola, quæ hodie etiam *Anglen* dicitur: *inter Saxonas & Giotos* (inquit Ethelwerdus) *habentes oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic nuncupatur, secundum Danos vero Haithaby.* Inter Sliam, sc: (unde Slias-wig ab Adâ Bremensi, quasi vicus ad Sliam dicitur) freti Baltici brachium, & Flensburgum. Cui accuratior placet descriptio, Usserii adeat Eccl- Britan- primordia, p. 392. actum agere nobis non vacat.

Jutarum, (quos Ethelwerdus Giotos, alii Geatum & Jotum, alii Gothos (quorum ratione Daniæ Rex se Gothorum regem nominat) regio satis nota, utpote quæ etiamnum veterem appellationem retinet. Hi Cantium & Insulam Vectam possederunt. Eosque in Edda Sæmundi à Mari Caspio primum in Chersonesum Cymbricam venisse insinuatur. Sed cum de istis narrationibus apud indubitatæ fidei historicos nihil constat, iis non immoramur.

Hengistus à multis Authoribus Frisius, & Regis Frisii filius dicitur. Est autem Frisia etiam Danica, quam minorem appellat Saxo-Grammat. & est Jutiæ pars maxime australis; ad orientem, veterem Angliam, ad Austrum, veterem Saxoniam habens conterminam; ab utraque flumine Eidorâ intercurrente dirempta. Et Beda Frisones inter eas gentes connumerat, à quibus nostri Anglo-Saxones genus traxerint. Eccl. Hist. l. 5. c. 10. Et Saxo; *Noricum*, inquit, *fretum in quod Eidorus fluvius influit. Huic adjacet Frisia minor, frugum feracissima.*

Appulerunt autem Anglo Juto-Saxones, Ducibus Hengisto & Horsâ fratribus, ad Ebbes-fleot (sic etiam hodie dictum) sinum in Insula Taneto; circa annum D. 450, in tribus Ciulis [𝕶iol apud Norwegos, & 𝕶eele, apud nos carinam etiamnum significant;] quibus ad novem millia hominum advehi nonnulli scripserunt. Quod fieri posse non arbitror, ut scilicet 3000 in una navicula, una cum armis, commeatu, rebusque aliis necessariis transportarentur. Sed nec prudenter egissent Saxones, si grandi exercitu Britannis vel metum, vel suspicionem injecissent. Hengistus bellis adversus Scotos Pictosque, & tandem ipsos Britannos (quibus Horsam fratrem amisit) distentus ante annum 457, imperium suum in Cantio stabilire non potuit, Eodem sc: tempore, quo Childericus, Merovingiorum primus, Francorum regnum in Gallia condidit. Tenuit tamen ipse, licet turbulentum, per annos 31, posterique ejus usque ad an. 823, quo tempore Baldredo Cantii Rege ab Egberto Westsaxone devicto & spoliato, in formam Provinciæ redactum est. Inter omnes Reges Hengisti successores claruit maxime Ethelbertus, qui anno 596 Religionem Christianam amplexus est. Historicis etiam scribendi materiam suggerunt Edricus (anno 686) à Cedwalla occisus, & Edilbertus Prenus, qui imperium ipse invadens à Cœnuulfo Mercio captus, tandemque dimissus, à subditis suis tamen exclusus est. Et Baldredus ipse, qui 18 Imperii anno ab Egberto victus, ultimus Cantianorum regnum terminavit.

Hengistus, Cantio à Britonum Rege Guorthigerno recepto, in imperio modeste se gerens, obtinuit etiam ab ipso partes Angliæ septentrionales, per filium Otham, & Ebusam fratrem gubernandas. Præ se ferens scilicet, ipsos tanquam murum Scotis Pictisque opponendos, qui jam regionis illius partem possiderent, partem devastarent; seipsum vero copiasque suas nimis dissitos non posse locos istos pro officio defendere. Et illi quidem Otha & Ebusa, & eorum posteri, plurimis gravissimisque bellis defuncti, Regnum hoc tenuerunt usque ad annum 547, quo à Berniicibus electus est Ida Eoppæ filius. Duravitque Northumbrorum hoc Regnum nonnunquam singulare, nonnunquam in bina divisum, usque ad annum 794. Tunc enim Ethelredo ob sævitiam à subditis occiso, per 30 fere annos Regnum, & à propriis Tyrannis, & hostibus Danis, miserè vexatum, Egberto Occidentalium Saxonum Regi se submisit, & ab eo pars Regni Anglorum facta est, anno 827. Quo temporis interstitio maxime notabilia sunt divisio Regni in bina, anno 559, Inter Allam, sc: & Addam; usque ad annum 589, quo utrique successit Æthelricus, & huic Edelfridus, qui Scotos maximo prælio fudit, anno 603, & Britannos, anno 613, ad Cestriam, quo occisi sunt Monachi Banchorenses 1200. Ipse demum à Redwaldo interfectus est ad fluvium Idelum, anno 617. cui successit Edwinus, qui Christianam Religionem primus Northumbrensium Regum professus est. Ipso à Penda Mercio cæso Regnum rursus divulsum est, & Deiræ Osricus, Berniciæ Eanfridus imperavit. His à Cedwalla interfectis successit Oswaldus Rex pius, devotus, meritoque pro Sancto habitus, etiam à Penda Pagano Martyrio coronatus, anno 642. Hunc excepit Oswius, qui Pendam totumque ejus exercitum delevit. Unde maximam autoritatem per omnes Saxonas obtinuit, & Merciis Christianam Religionem impertivit. Ceolulfus & Eadbertus vitam religiosam amplexi sunt. Osulfus, Mollo, Alfwoldus, Æthel-

7. *Saxones enim, opera Britannis strenuè navatâ, mox amænitate regionis allecti, sedes in quas hospitii jure recepti sunt, prætextum suppeditantibus quibusdam cum Britannis controversiis,*[b] *occuparunt. Auctiores dein ex suorum subinde novis appulsibus, non solum quantum agri insederant facile tutati sunt, sed & sedes alias sibi armis quæsivere; unaquaque Colonia Duces suos sibi in Regulos demum promovente. Nec post intervallum adeo longum Christianam fidem ab Augustino prædicatam Saxones cum ingenti animorum promtitudine primum amplexi sunt; quæ una cum ipsis adeo concrevit, ut ipsorum Regna maxime constabilire videbatur. Exinde, (nec multum intercesserat temporis) totus ille Britanniæ tractus, quam proprie vocitamus Angliam, in Saxonum ditionem concessit; septemque Imperiis nobilitata est. Cantium in Regnum de suo nomine transiit. Suffexia & Surria Saxonum Australium; Cornubia, Devonia, Dorcestria, Somersettia, Wiltonia, Hantonia & Bercheria Saxonum Occidentalium; Eboracum, Dunelmia, Lancastria, Westmaria, Cumbria, Northumbria, & Aquilonaris Lincolnia, in Northumbrorum; Northamptonia, Leicestria,*

redus, à subditis interfecti sunt. Alredus, Æthelredus, Ofredus regnum turbulentum & seditiosum pro exilio voluntario, vel vitâ privata commutarunt.

Anno 477. Ella Suffexiam appulsus, post tria cum Britannis prælia, regnum Saxonum Australium condidit. Cujus filius Cissa beneficio Cerdici West-Saxonis imperavit. Tertius Edilwalchus, primus vero Christianus, à Cedwalla West-Saxone occisus est. Qui etiam, Bertuno & Autuno ducibus superatis, opportunitatem dedit Inæ Regnum hoc West-Saxonum Imperio suo conjungendi circa annum 712.

Anno 527 Ercenwinus Saxonibus Orientalibus imperare cœpit, sed Regum Cantianorum beneficiarius; quorum tutelæ hoc regnum semper submissum est. Sebertus Avunculi Edilberti Cantianorum Regis suasu Christianam religionem amplexus est, circa an. 600. Quâ demum à successoribus explosâ, circa an. 632, à Sigeberto bono restituitur. Sebba & Offa reges vitam Monasticam subierunt. Et Swithredus ab Egberto victus Regnum Westsaxonibus concessit.

Anglorum Orientalium regnum ab Uffa conditum est, anno 575. Cujus Nepos vir potens Redwaldus Christianismum nuper à se ipso receptum deseruit. Ejus nepos Sigebertus post binos imperii annos Christianitatis restitutioni, bonarumque literarum institutioni impensos, vitam Religiosam amplexus est; postea vero ad resistendum Pendæ patriæ invasori eductus ab eo occisus est, anno 638. Anno 749 Ethelberto per insidias ab Offa Mercio trucidato, regnum incursibus Merciorum, West-Saxonum, dein Cantianorum patuit; adeo ut propriis regibus destitueretur usque ad Edmundum à Danis crudeliter martyrio coronatum, circa an. 855. Postea Ælfredus ipsum Godrunno concessit, & post ejus mortem Edwardus Ælfredi Filius West-Saxonum Regibus penitus subjecit.

Crida Merciorum regni fundamenta posuit, pluribus præliis Britannos exigens; circa an. 582. Anno 624 ei successit terribilis ille Paganus Penda. Hujus filius Peada Christianus factus est. Ethelredus & Cenredus Monachi. Offa 758, Rex potenter imperavit. 821 Bernulphus ab Egberto & East-Anglis occisus, sicut & Ludicanus. Withlafus ab Egberto victus regnum sub eo tenuit; sicut & Bertulfus. Burrhedus ab Ætheluulfo Regno præpositus, sed à Danis oppressus, Romam aufugit.

Cerdicus Angliam ingressus est, anno 495. Sed non nisi post victoriam, quam obtinuit maximam, contra Natanleodem Britannum, anno 519 regnum potuit instituere. Hujus nepotis Ceaulini tempore Britanni in Walliam, & Cornubiam fere se contulerunt, post Carecticum victum scilicet, & in illas partes fugatum, circa annum 586. Cinegilsus anno 611 primus fidem Christianam recepit. Ejus filius Cenewalchus anno 645, à Penda regno pulsus ad Annam Orientalium Anglorum Regem confugit; & ab eo, cum Christianitatem professus esset, restituitur. Cadwalla & Inas Romam secesserunt; ubi Inas Scholam popularibus suis restituit. Demum ad Egbertum, circa an. 800 devolutum est Imperium, qui omnes Angliæ partes in unum imperium coadunavit.

Nec sane mirum est reliquos Saxonicorum Regnorum fluvios in magnum hunc alveum tandem confluxisse; cum non dico Saxonum, sed vix ullius alterius regionis, tot Reges probi, fortesque tam longâ serie absque fere ullius pravi vel infœlicis parenthesi, sibi mutuo successisse reperiantur. Namque per tercentum annos vix unus aut alter ignavus, luxuriosus, vel etiam Tyrannus, rarissima gentis felicitate, notatur. Qui tum horum, tum cæterorum Saxonicæ nostræ heptarchiæ regum nomina vel facta desiderat, consulat Florentium Wigorn- Speedum- accuratissimam maxime Chronologiam Illustrissimi Savillii, quam Authoribus, quos edidit, adjunxit. Sufficiat nobis quæ ad Historiam Ælfredi illustrandam commoda videbantur strictim observâsse. De Scotis & Pictis sive Peahtis, præter ea quæ à Camdeno & Usserio traduntur, nihil prorsus reperimus.

[b] De stipendiis male solutis, & commeatibus nimis parce subministratis.

Derbia,

Derbia, Nottinghamia, Oxonium, Cestria, Salopia, Glovernia, Wigornia, Staffordia, Warwicum, Buckinghamia, Bedfordia, & Hertfordia, Merciorum; Denique Norfolcia, Suffolcia, Cantabrigia, cum Insula Eliensi East-Anglorum, regna confecerunt. Nam Angli & Saxones Mediterranei nunquam seorsim regna constituerunt; sed subjecti sunt illi quidem Merciis, hi vero primum Saxonibus Orientalibus, deinde etiam & Merciis [a].

8. *Hunc in modum Saxones, rebus ex animi sententiâ fluentibus, deliniti, quoad nihil, quod offensam creare posset, occurreret; tanto Religionis æstu flagrabant, ut devotione eximiâ per totam, quà patet, Ecclesiam celebrarentur* [b]. *Donec crescente cujusque Regni populo, sui limites plus æquo contrahi, proximorum autem justo laxius extendi, singulis videbantur. Primo igitur de finibus, postea vero (ut quisque Principum Regni proferendi avidior) de Imperii summa, certatum est. Donec eo deventum, ut universa Anglia intestini belli (quo nihil detestabilius excogitari potest) Seminarium fieret. Nam cum inimicitiæ fraternæ nihil prætextûs honesti habeant, quo se adversus sceleris reatum tueantur, adeoque tranquillitatem conferant animo, qui sponte quadam fertur ad illam gloriam appetendam, quæ ex recte factis, quibus solis acquiescat, percipitur; necesse est, ut majori impietate se defendant; & violentia quadam animum subjugent; (velut Architophel Absalonem) donec sese obfirmet contra sceleris sensum & conscientiam. Adeo ut bella (quæ permissu tantum licent, nec unquam honesta fieri possunt, nisi quatenus justâ de causa suscepta rite gerantur;) cum in civilibus furiis conditiones legitimas ignorent, adeo omni nequitiarum generi permittunt habenas; ut nihil omnino certius Rempub. ad exi-*

[a] Observandum est hanc enumerationem non esse accuratam; namque partitio in Comitatus post omnium coalitionem facta est, & sine omni ad septem regna respectu. Partes enim Oxoniensis & Glocestrensis australes ad West-Saxonas pertinebant: qui Episcopalem totius suæ ditionis sedem Dorcestriæ diu firmaverunt. Limites etiam omnino incerti, cum nunc ad hos, nunc ad illos forte belli ferebantur. Et Northumbria etiam Scotiæ partes australes amplectebatur.

[b] Adeo ut numerarentur illius gentis inter Sanctos Reges tres & viginti (quorum decem Martyres, reliqui Monasticam vitam amplexi, vel ob devotionem celebres) in Martyrologium Anglorum inseruntur. Regum uxores vel liberi sexaginta; præter Episcoporum, Religiosorumque tum Clericorum, tum Laicorum incredibilem fere multitudinem. Sed & Anglorum devotioni computabitur, quod tot nationes ad fidem converterint. Suibertus Nottinghamius, cum decem sociis, anno 690, primus (ni fallor) in Sanctorum numerum publicâ autoritate relatus, Westphalos. Winfred Devonius [Bonifacius Episcopus Moguntinus, & Germanorum Apostolus] anno 704 Saxonas-veteres, Francones, Hessos, Thuringos, aliasque Germaniæ nationes: quibus cum ipse non suffecerit duodecim ex Anglia operarios (quorum plerique, ut & ipse, Martyrio coronati) totidemque Sanctimoniales Regulari disciplinæ instituendæ aptissimas evocavit. Sanctus Wilfridus, & post eum Willibrordus Eboracensis [Clemens appellatus] Frisios & Hollandos. Sanctus Willehadus à Carolo Rege in Saxoniam missus, primus omnium Doctorum maritimas & boreales partes Saxoniæ, ac Transalbianos; posterioribus seculis Nicolaus Brakespear [Hadrianus Papa IV] Hartfordensis, Norwegos; & Tho: Waldensis Lituanos populos, ad Christianam provocarunt fidem. Plures alios nominant, Ubbo Emmius, Miræus, & alii. Neque illud tacendum quod Vinc. Bellov. l. 25. c. 31. ulterius observat: *Nusquam gentium*, inquit, *reperies tot Sanctorum post mortem illibata corpora, ut in Anglia, quæ futuræ incorruptionis speciem prætendunt. Quod ideo divinitus factum existimo, ut natio pene extra orbem posita in spem resurrectionis animetur, ex consideratione tot corporum quæ incorruptibilia perdurant, &c.* Pietati etiam Saxonum admirandæ testimonium perhibent fere omnes Ecclesiæ, maxime Cathedrales, quæ etiamnum non sine stupore visuntur: & Monasteria ab ipsis inter bella & tumultus condita & dotata. Unus Edgarus Rex supra quadraginta instituisse vel relevasse narratur. Catalogum, licet non perfectum, videre est apud Foxium, l. 2.

tium perducere soleat. Ut dicam quod res est, eum exitum fortitæ sunt Saxonum digladiationes, ut non tam vicinorum quisque vires imminuerit fregeritque, quam suorum mores corruperit atque fœdârit: eo usque, ut processu temporis (quod inquit Hovedenus) adeo in eis virtus omnis emarcuerit, ut gentem nullam proditione & nequitia sibi parem esse permitterent. Tantam in moribus corruptelam mutua rapinarum licentia invexerat.

9. *Hoc modo diu peccata pænæque pariter succrevêre; donec (quod in hujusmodi rebus fieri solet) deteriori (peccato) magis augescente, Divinæ Justitiæ flagellum acrius distringendi necessitas incubuit. Quæ (pii instar Patris non ideo castigantis, ut perdat, sed ut corrigat) quo supplicii atque culpæ par ratio delictum ipsis suum clarius indicaret, Danos immittit; (quartam ex iis, quas diximus, plagis) à quibus Saxones easdem sustinerent calamitates, quas sibi mutuo intulissent* [a].

10. *Jam vero quamvis Britanni maximam partem aut exscindebantur, aut è patrio solo exulabant, reliquiæ vero in angulum conclusæ non aliter se, quam ipsius loci ingenio vasto atque prærupto tuerentur* [b], *cum interim uberiorem agri partem ab hostibus possideri ob oculos eernerent: non tamen Regionem totam simul, verum per modicas portiones diversisque temporibus amiserunt; nec nisi multorum annorum intercapedine patriam sibi abreptam possideri senserunt; ab iis, qui, relictis avitis sedibus Britannorum oratu, ipsis gravia passis suppetias venerant; quique, primo in Cantio & in Boreali tractu, Pictorum incursibus devastatâ regione; & proinde iis concessâ, confidentes, Britannis diu suorum capitum objectu adversus hostem formidatum propugnaculo fuerunt. Neque qui postea ad eos. à Germaniâ*

[a] Autori nostro ab aliquibus imputatum suspicor, quod pluribus in locis de Dei judiciis & vindicta fortasse nimis confidenter (certe non irreverenter, nec è suo cerebro) pronunciare videatur. Cum omnia, vel maximam partem (plura multo poterât) ab Antiquis nostris Historicis mutuaverit. Gildas ille Britannorum sapientissimus totus est in exaggerandis suorum sceleribus, & Dei justitiâ celebranda. Idem & Anglici nostri omnes præstant, Floril: an. 838. Hunt: l. 5. Malmf. de gestis Regum, l. 1. c. 3. Usserius, omnesque fere moderni. Consulatur solus Sanctissimus Bonifácius Germanorum Apostolus, Anglus & ipse. Qui Æthelbaldum Merciorum Regem, anno 745, non longe ante Danorum invasiones, adulteriis & Ecclesiarum violatione populo præeuntem acerrimè taxat; & Osredi, & Ceolredi ejusmodi peccatis volutantium, illius in flore juventutis occisi, hujus vero à Diabolo abrepti, exemplo territat. *Ceolredum*, inquit, *apud Comites suos splendide epulantem malignus spiritus arripuit; qui potantem subito in insaniam mentis convertit: ut sine penitentiâ & confessione furibundus & amens, & cum Diabolis sermocinans, & Dei sacerdotes abhominans ab hac luce sine dubio ad tormenti inferna migravit.* Et populo Anglicano, *quia despecto Apostolico præcepto, imo Dei constitutione legitimas uxores dedignatur habere, & hinnientium equorum, vel rudentium asinorum more luxuriando & adulterando omnia turpiter fœdet & confundat*, inter cætera minatur iis adventurum, *quod aliis Hispaniæ, & Provinciæ, & Burgundionum populis contigit; quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt. Donec Judex omnipotens talium criminum ultrices pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Saracenos venire & sævire permisit.* De istis temporibus ita Hardingus, quæ legerat, ea pressit:

Thus in defaulte of lawe and peace conserved,
Common profyte was wasted and devoured,
Perryall profyte was sped and observed;
And Venus also was commonly honoured
For lechery and advoutry was most adoured:
Among them was common as the high way
Ryot, robbery, oppression night and day. fol. 94.

[b] Accidit autem hoc circa tempus Ceaulini West-Saxonum Regis tertii: tunc enim Archipræsules, Theonus Londoniensis, & Thadeocus Eboracensis, omnes Ecclesias sibi subditas usque ad terram destructas videntes, cum omnibus ordinatis, qui superfuerant, & reliquiis Sanctorum, in Wallias defugerunt. Plures etiam ad minorem Britanniam magno navigio ierunt: ita ut tota Ecclesia duarum Provinciarum, Loëgriæ scilicet, quæ nunc Anglia dicitur, & Northumbriæ à conventibus suis desolaretur. Pet: de Ickham.

acceſſe-

accesserunt, omni prorsum justitiæ colore (saltem si belli jus spectetur) destituti sunt. Tutandi enim erant ipsi Saxones adversus Britannos, qui consequuti quod voluerant, de liberatoribus denuo ejiciendis agitabant; adeo ut Saxones in quandam necessitatem omnia invadendi se conjectos sentirent; ni mallent penitus extrudi. Hinc ortæ lites cum non nisi armis dirimendæ exarserant; Saxones, quod ratio postulabat, primum sua tueri, deinde etiam eorum jura, qui vim ipsis obtulerant, aggredi cœperunt. Utrobique autem victores facti fortunam moderate ferebant, serere, ædificare, arare, & agros colonis implere; Leges etiam æquissimas sancire, quibus pax & uniuscujusque jura stabilirentur; vitam denique probiorem, quam ipsi fecissent Britanni, instituere satagebant. Hæc omnia cum Britannis, populo suæ impietatis conscio, ob oculos obversata, mores ipsorum contaminatos exprobarent, & si minus tantæ cladis sensum demere, saltem ejus acerbitatem lenire debuerunt; eo quod Domino tali ipsos subjici contigerit, qui eos ab immitioris hostis arbitrio jam ante vindicarit, quique ipsis virtute & meritis longe præstiterit.

11. * *Dani vero (quibus obtigerat Saxones, sicut antea Saxonibus Britannos, flagellare) licet quoad ortum Germani & Saxonum Gentiles; diversissimis tamen moribus erant præditi: adeo ut ex omnibus, quæ terras innundaverant, nulla unquam pestis, nullum præsentius exitium, ad affligendum atque subvertendum Reipub. cujuslibet statum extiterit. Non enim Coloni sorte deligebantur (quemadmodum plerique Saxones fuerant)*

* Cum reges sæpe copiosam relinquerent sobolem, (utpote plures habentes uxores) singulisque pro dominandi libidine non sufficeret patria, vel patrimonium; alii domi regnum administrarunt, alii classe instructi maris imperium ex usu & commodo suo sibi vindicarunt. Constabat autem eorum piratica (ut ait Wormius) hâc lege, ut non imbecilles, aut simplici navigatione victum quærentes aggrederentur. Quoti vero erant qui hisce legibus paruerunt, & non potius prædarum illecebris in omnes bellum gesserunt? Quin & longe maxima pars eorum qui terram hanc invaserunt Vicingi potius fuisse videntur; eos certe ita nominat Huntingdonus. Scaldingos eos vocat Sim. Dun. forte quod eos à flumine Schaldi prodiisse crederet. Dicuntur autem à Wic, quod maris sinum vel oppidum ad littus maris (quemadmodum apud Saxones nostros pic & pice) significat. Quia sc: juxta mare habitantes piraticæ se unice dederunt. Inter omnes autem Vicingos à Danorum historiis celebratos famosissimi erant Jomsvikinger, qui Julini (olim Jomsburg, hodie Wollin in Pomerania) sedem fixam & rempublicam legibus piraticis, ut olim Athenienses & Spartani, constitutam habuerunt. Quam demum ob piraticam Ericus 11, circa an. 1100 excidit. LL. Canut. p. 684. (Saxo-Gram. l. 3.) Sed & de omnibus Germanis Tacitus. *Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videtur sudore acquirere quod possis sanguine parare.* Sed quoniam vel maxima vel præcipua pars horum ViKingorum à Daniæ urbibus proficiscebantur, à scriptoribus nostris pro Danis habiti sunt. Cum apud Danorum historicos nihil plane certi de iis constat. (De Lodbrocho mox dicemus.) Recte autem Pontanus, Annales Danici silentio hæc omnia [*de Gothis sc: & Vandalis; de Anglis, Jutis, & Saxonibus, de Danis & Normanis*] prætereunt: adducunt solummodo nescio quid de Longobardis, p. 58. Piratæ sc: erant, fæx populi, nec autoritate publicâ militabant, sed colluvies marinorum oppidorum prædabundi solum oberrabant. Postea vero viri nobiles & Principes sese iis adjunxerunt, sive rebus domi angustis, vel forte sceleribus, & ira principis, nec non ambitione & facilitate prædæ, speque victoriæ, incitati. Sed quia raro alienam terram quis invadit, nisi incolarum quosdam sibi astipulantes habuerit, videntur Britanni sive Walli odio Saxonum internecino ipsos vel invitasse, vel opitulatos fuisse, vel saltem tutum receptum, portibus, urbibus, & commeatum suppeditasse. Quinetiam cum Osbertus Northumbrorum Rex (circa an. 860.) devictis Pehtis Castrum Dumbritton (prius Al-cluyd dictum) fortissimum condidisset, Anglorumque præsidium ibi collocasset: Picti sive Pehtæ jugi impatientes & in latrociniis impediti tandem patriam deseruerunt; Danisque conjuncti se Duces & Comites iisdem præbuerunt. Angli etiam nobiles aliorum regnorum inviti ab Egberto nuper in ordinem & unionem coacti spem conceperunt piratarum ope libertatem & dominia sua recuperandi.

ad novas sibi sedes acquirendas; verum promiscua totius Germaniæ colluvies; & maxima ex parte ab omni littorali populo recrementum, Gothi, Dani, Norvegi, Sueci, Frisones, aliique hinc inde passim Rheni accolæ, qui fastidito labore & civili cultu, se totos addixere furto, rapinis, & omne genus latrociniis. Navibus suis duntaxat ad piroticom faciendam abusi sunt, qui veluti vesparum & crabronum agmina, terrarum oras undique legentes, quicquid uspiam uberis soli, aut incolarum ditiorum, ab eorum quolibet exploratum esset, toto statim agmine consequuto populabundi insederunt. Ibi copias longo tempore congestas diripere, & novalibus plurimo colonorum sudore cultis falcem immittere; nec interim ex prædis convectis opulentiores fieri. Sed Pharaonis boum strigosarum instar, quæ, devoratis crassis, nullum saturitatis dedere vestigium; neque hi unquam in animum instituere, opes quæsitas in penum recondere, quo lautius &, honestius aliquando tandem victitarent; sed propriis destituti sedibus domi fuerant ubicunq; gentium appellerent; & quicquid arriperent, illico in ventrem consumebant. Quod uxores, liberosque secum, quocunque iretur, traherent, ex Tacito discimus, hoc scilicet in more positum fuisse Germanis cunctis militantibus; ut obversantes in castris conjuges & carissima cuique pignora, fortitudinis incitamento essent, non argumento ut sedes in locis devictis figerent; vel ut lares & certa domicilia quærerent. Quinetiam ut ventum est ubi spes prædæ relucesceret; illico ducere fossam, valloque castra claudere: vel (si daretur) oppidum aliquod, urbemve munitam, quo se receptarent, occupare consuetum. Quod ubi direptum, & quicquid in circuitu pateret, devoratum; dein quocunque nova rapinæ materies vocaret, invehi; donec omnibus, quaquaversus incubuerant, comesis, alios nec opinantes adoriuntur, agmine multipartito pariter eodem tempore, diversis in locis [aliud alibi] omnes tamen unâ atque eâdem omnia vexondi atque dilacerandi libidine grassati.

12. *Nec in opes tantum aut agri fructus sævitum, quin & ipsi homines sine omni sexûs aut conditionis discrimine trucidati; urbes insuper, oppida, & privatæ ædes igne ferroque deletæ; usque adeo ut nullus relinqueretur Saxonibus, quem suum dicerent, locus intactus. Omnia vero mala hostium scilicet furor & rabies acerrima, etsi tamdiu perduravere, minus tamen miseriæ huic populo intulerunt, quam pessima illa morum illuvies, impietas, sacrorum contemtus, & barbaries, quæ una cum iis invectæ totam gentem pervaserunt. Nam eo forte tempore, cum hæc invasio accidit, Saxones mutuis spoliis atque rapinis dediti, in tantum se efferaverant, ut literarum & bonarum artium prorsus rudes & ignari, ipsi etiam justitiæ & religioni valedixerant. Nihil ergo mirum, si sub Danis hæc vitia profecerint: & si, cum jactis per Britannos scelerum fundamentis Saxones adhuc majora superstruerent, eadem Dani ad fastigium perduxerint.*

13. *Toto*

13. *Toto enim tempore, quo Dani hanc Insulam pervaserunt (ab anno sc: Brichtrici 10, & Æræ Christianæ 793, ad annum Ælfredi 6, à Christo vero servatore nato 878) non tantum agros devastarunt, urbes incenderunt, virosque una cum conjugibus & liberis aut ferro trucidabant, aut in fœdam servitutem abduxerunt: Sed & monasteria (in illo sæculo, religionis, & humanioris cultus sola Seminaria & unica præsidia) diripuerunt, & ad solum usque proculcârunt. Quin & ipsis Ecclesiis sceleratas manus injicientes, iis donaria reposita, præcipuos quidem thesauros, & totius gentis gloriam, suæ libidini, avaritiæ, & impietati impenderunt. Denique ac si parum fuisset gentem eo modo viribus, opibus, omnibusque ornamentis spoliâsse; virtute, literis, pietate, religioneque ipsa penitus ipsam privare sategerunt; quantumque in ipsis erat nullam spem, nulla media, quoad humana mens poterat prospicere, reliquerunt, quibus aut ipsimet aut populus servitutis jugo depressus unquam postea in bonam frugem revocari posset.*

14. *Hunc in modum Saxones primo suis discordiis labefactati, atque infracti, dein vitiis etiam insequentibus animos expugnati, facti sunt demum præda communis genti omnimodo ipsis deteriori: utpote cui (verum si proloqui liceat) nec id consilii, neque disciplinæ, neque solertiæ, neque virtutis suppeteret, quod alios ad ipsos debellandos necessario requisitum videretur. Donec Ælfredus vicinorum regnorum & quodam modo sui West-Saxonici fœliciter superstes, jamque Imperium Anglorum omnium sortitus, (licet pauci remanserant, qui neque bello absorbebantur, vel sponte ad hostes defecerant) non tantum, quod vixit, Dano licentius grassanti moram & sufflamen injecit; neque tantum quæ hostilis furor & barbaries damna intulerat, resarcivit: verum etiam vires ejus adeo potenter infregit, & edomuit; ut ex Domino & universæ prope terræ possessore, ipsum tandem nihil amplius quam Inquilinum & suum Clientem reddiderit. Quamvis post abnepotis sui excessum, Dani (velut amnis obice superato liberior solito recurrit alveo) pristinas resumsere vires, adeo ut per annos à primo ingressu circa 300, quamvis incerto sæpius successu, rapinas suas & depopulationes continuarunt, usque ad Normanici victoris adventum; quod ex quinque flagellis ante memoratis extremum est.*

15. *Jam vero quantumcumque deploranda sors indigenarum tunc agentium, & quantumcumque admirandus illius Principis animus fuerit; cujus prope solius virtute Pax & libertas patriæ referuntur postliminio restitutæ: difficile tamen erit historico narrationis filum ita commode texere, ut non aliquod lectori fastidium creet; quando res ex utraque parte simili semper administratæ sunt ratione, similique ut plurimum exitu. Nec fere major intercessit varietas, quæ legentem delectet, quam quæ diversis ex nominibus, numeris, tempore, locove soleat exoriri; in quibus etiam historiæ antiquæ justo parcius nobis præiverunt.*

16. *Tacitus, Historicus ille nobilis, in vita Tiberii non immerito succenset argumento suo, velut idem ubique suggerenti:* Nobis, *inquit*, in arcto & inglorius labor. *Item*, Easdem exitu causas conjungimus obvià rerum similitudine & satietate. *Quanto nobis amplior & justior querelæ causa de sæculo, cujus res gestas narrare aggredimur? Quando belli hujus, quantum ejus memoria ad nos pervenit, acta, mutationes, & eventus vix aliud spectandum exhibeant, quam quod in pueris Trojam ludentibus quotidie cernitur. Hos incurrere prædabundos, ab illis nunc repelli, nunc interceptos prædâ & spoliis exui. Bellum duas, haud amplius, partes implicuit, quæ vim hinc inferrent, inde prohiberent. Tertius haud extitit Arbiter, in quo conciliando, studium, aut alienando periculum, vel cujus fortasse par metus utrosque urgeret. Quare neque solennes habebantur legationes, neque quæsitæ considerationes, neque auxilia externa, neque separata sociorum consilia, quæ pacificationis prætextu dissidiis materiam uberiorem sæpius comportant. Quid? quod ipsæ virtutes, quæ in istis bellis conficiendis semper resplenduerunt, scilicet, obstinata fortitudo, vigilantia, & improbus labor, inter exponendum non semper lectorem delectatione, quamvis verâ admiratione nunquam non, percellant. Alius modi negotium, quam quale diximus, haud occurrit; adeo ut ipsius rei simplicitas raro admodum novis & inopinatis casibus locum præbeat, ut & narrationis sterilitas rem ipsam gestam docere contenta, circa rei gerendæ causas & rationes inquirendas minime solicita, necesse est, ut expositionem non tantum omnimoda delectatione destituat præ varii apparatûs inopiâ; verumetiam ob facta consimilia (quod in iisdem sæpius & incassum repetitis usu venire solet) pari languore & tædio afficiat.*

17. *Neque vero hæc negotia, quantumcunque in se mediocria, plenarie, atque integre ad nos incolumia devenerunt: verum sæculorum longior distantia ea quoque variis circumstantiis nudavit; nobisque hæc & illa quondam contigisse memoratu digna innuere potius, quam sigillatim qualia fuerint edocere maluit.*

18. *Illius etiam temporis scriptores (quamvis Ælfredi partim æquales, partim suppares, vitam ejus resque gestas satis distincte nosse credantur) quasi tamen posteris timuissent; ne judicio magis destituerentur, quo facinora regia pro merito æstimare, quam facultate, quâ ad plenam eorum perfectamque notitiam pervenire possint; curarunt potius ut Regem ubique præconiis effuse celebrarent, quam ut vitam, ejusque facta fideliter recenserent. Sapientiam ipsius, virtutemque summam laudibus & dignis quidem efferunt; stupendas itidem victorias hic, illic partas admiratione prosequuntur; interim, ipsarum momenta rerum silentio premunt. Bellandi rationem, periculum, copias inæquales, apparatum disparem, aliaque similia (quæ difficultatem operi attulerunt) consilium, vigilantiam, animique Regii in maximis periculis præsentiam prorsus tacent; Quæ tamen semel cognita*

non

non modo lectoris animum ad attentionem, injecta quodam ardore discendi tam ancipitium angustiarum successus, excitâssent; verum etiam ultra inanes eorum plausus, & frigida encomia, regem in idem gloriæ fastigium æternum collocâssent: In quo, mirantibus, quibus præfuit, populis tum jure spectabilis refulsit.

19. *Quod autem scriptori præjudicio fore videatur, id sane parvi penditur; cum enim nequaquam optaverim ex argumenti nobilioris delectu Historici nomen aucupari: conatum tamen satis amplum præmium assequutus videbor, si qua in parte potero (neque enim multum à me sperandum est) Principis istius honorem velut inter-mortuum in lucem revocare. Qui cum Monarchiæ nostræ conditor esset, & Regum nostrorum omnium, serie quidem rectâ, masculi, fœmineive sanguinis, proavus, decus autem utrorumque perpetuum; nihilominus à tempore nimis remoto caligine obductus, aut oblivione sepultus jacuit.*

20. *Breviter itaque & carptim præmissis sæculi atque temporis istius moribus & conditione, ut lectoris expectatio rebus ipsis accomodata, velut de plano ad altiora erigatur; hujus narrationis seriem aggrediar, quæ (quantum è monumentis nostris, tenuibus sane, colligi potest) sic se habet.*

ÆLFREDI

Ælfredi Magni vita.

LIBER PRIMUS.

Heptarchia in Tetrarchiam primum, tandem in Monarchiam transiit.

HEptarchia Saxonica dissidiis intestinis (quod & supra perstrinximus) per varios casus acta, semper ex alio in aliud deterius, tandem aliquando intra Tetrarchiam coacta est. Regna scilicet Occidentalium Saxonum, Merciorum, Orientalium Anglorum, & Northumbrorum: ab his enim quatuor reliqua regna jam absorpta erant. Quemadmodum vero inter Heptarchas, quisquis is esset è septem, qui [a] manu magis strenuus & copiis firmior, ad tempus pro omnium Imperatore, à reliquis habitus est; (unde etiam ab iis, qui perpetuam Regum nostrorum seriem à Britannis regibus usque ad Normannos deducunt, illi velut Anglorum Monarchæ reputantur:) ita potestas illa eminentior penes VVest-Saxonum reges demum resedit: [b] quorum ditio tunc temporis Cantii & South-Saxonum regnis auctior,

Beda l. 2. c. 5.

Potestas demum penes West Saxones resedit.

[a] Qui Britannos devicerit, inquit Chron. Sax. anno 827.

[b] Abs re alienum non erit perspicere quo jure Egbertus West-Saxonum Rex totius Angliæ Monarchiam sit adeptus. Omittendum vero duxi quod (licet magnam habeat verisimilitudinem) nec solide probatum, nec ab ipso vel filiis uspiam in juris sui subsidium usurpatum, legimus: Egbertum sc: hæreditario jure reliquis Heptarchis successisse. Nam cum omnes Anglorum, Saxonumque primi Monarchæ à Wodeno originem duxisse magno studio ab Historicis nostris referantur; cumque nullus alius è reliquis Heptarchiæ regibus dudum superstes fuerit, qui ad primos Victores stemma suum clare deduceret; soli West-Saxones infractam integramque seriem conservarunt; & proinde reliquorum regnorum hæreditatem sibi jure vindicare poterant. Sed & Hardingus Egbertum insuper è Britannorum Regibus antiquis maternum genus deduxisse, solumque eum ex eorum stirpe relictum, asserit. Sed, ut dixi, his omissis de Northumbris sic Pol. Verg. & vere: *Vacavit Regnum aliquandiu (regia sobole destitutum) nullo amplius id sibi petere audente. Res sane mirabilis! Agitata autem exitio domestico Northumbria deinceps 30 & amplius annis tam finitimorum populorum, quam barbarorum injuriis exposita fuit. Dacis vero tandem devictis, Egbertus West Saxonum Rex regnum, ita seditionibus domesticis, barbaricaque levitate devastatum, per deditionem à Northumbris factam suo adjecit imperio, anno* 827. East-Angli proditione Offæ Mercii Rege eorum occiso, ipsisque invitissimis Merciorum potestati subjectis, Bernulpum Merciorum Regem (anno 823) in acerrimo prælio occiderunt. Vindictam vero à Merciis metuentes, belloque sustinendo impares sese West-Saxoni Egberto (ut ab ipso adversus Mercios protegerentur) sponte subdiderunt. Cantiani, Baldredo eorum Rege (trium injuria regimen usurpantium ultimo) è regno quod injuste possederat expulso, ab Egberto, *è cujus propinquorum manibus prius extorti extraneorum regum ditioni per aliquot annos inviti subjiciebantur*, Flor. Wig. in Provinciæ formam sunt reducti. Regnum Orientalium Saxonum, quod semper fere Cantiano subdebatur, & ab eo dependebat, una cum ipso etiam Egberto simul cessit. Regnum Australium Saxonum, Rege Edilwalcho à Cedwallo West-Saxone occiso, ducibusque Bertuno & Autuno ab Ina superatis, ab ipso etiam dudum ante Egberti tempora West-Saxonum imperio conjunctum est. Postea quam Bernulphus, anno 821, & Ludicanus, an. 824, Merciorum Reges ab East-Anglis (Egberti exercitu suffultis) mortem Regis Ethelberti ab Offa per insidias occisi vindicantibus, interempti sunt; Withlasus regnum Merciorum suscepit. Qui etiam ab Egberto, quem ad prælium provocaverat, victus ipsi se submisit; regnumque certis conditionibus ipsius concessu tenuit. Prout illo mortuo etiam Bertulphus: quo defuncto Burrhedum Æthelwolfus Egberti filius Merciis præposuit. Illo autem à Danis oppresso, & Romam aufugiente, Regnum Merciorum ad West-Saxonas, non amplius Regibus concessum, sed à Comitibus gubernatum, rediit. Post hæc omnis generali omnium uniuscujusque regni Procerum (circa an. 827, regni vero sui 27.) suffragio Wintoniæ Rex omnium Saxonum, Jutarum, & Anglorum agnitus est. Et tota Gens sub nomine Anglorum, regio vero ipsa Englaloude, quoniam Angli erant plures (ex iis enim orti sunt East-Angli, Mercii, & Northumbrii; sicut è Jutis Cantiani & Vectenses; è Saxonibus vero Australes-East & West-Saxones) sub Egberto primo Anglorum Monarcha unita est. Quod prudenti factum consilio Rex Jacobus postea magnam Britanniam appellans imitatus est. [licet hoc etiam obiter observari

auctior, Angliæ plagam Auſtralem, quæ Thameſi & Sabrinæ fluminibus intercipitur, totam ad ipſos uſque VValliæ limites complexa eſt. Regnum vero Northumbrorum, licet quandoque primas tuliſſet, & imperandi vices haud ſemel obtinuiſſet, tamen proceſſu temporis omnium quatuor invalidiſſimum factum, Regulos potius quam Reges habuit; maxime ſi cum priſcis eorum Regibus conferantur. Quid? quod Mercia & Eaſt-Anglia ad occaſum vergebant; eorum Regibus devotioni magis quam ſubditorum intentis regimini: cum interim Dani agros eorum ubique populabantur; & cives terroribus, & rapinis agitabant.

2. Æthelwolphus Eckberti filius tunc temporis inter Weſt-Saxonas regnabat. Princeps [a] ex primario Regum omnium Saxonicorum ſtemmate, quippe Wodæno, oriundus: [b] quem priſci Teutones non tantum Regem, verum etiam Deum, coluerunt: quod abunde conſtat ex duabus Septimanæ feriis, quartâ ſextâque, in honorem ipſius *Quibus imperavit Æthelwlfus.*

&

vari poteſt, Regem Edgarum in chartis ſuis apud Ingulfum eundem titulum ſibi applicaſſe.] Sed cum nonnullæ Saxonum gentes vi ſolum & coactæ, aliæ vero metu Danorum, & propriorum odio Tyrannorum in Egberti dominium ceſſerint; & dum ipſe Egbertus cum Britannis & Danis aſſidua bella gerens Provinciarum remotiorum ſæpius minorem curam geſſerit; adverſus eum noviter acquiſitæ gentes inſurrexerunt, ſibique Reges aliquando impoſuerunt. Quibus cum vindicandis operam navare non poterat, ſibi Imperii nomen, poſteris ipſum Imperium, acquiſiviſſe videatur. Hinc etiam fit quod Autor noſter Ælfredum primum fuiſſe Monarcham aſſeruerit: licet revera nec ille quidem, ſed Æthelſtanus poteſtatem integram adeptus fuerit. Etiam in Ethelberti Regis tempore legimus, quod dum ipſe bello Danico implicaretur, reges Merciorum & Northumbrorum ab ipſo deputati cœperint ad abſolutum aſpirare dominium; & ut ſeſe adverſus Weſt-Saxonas defenderent, tutum Danis in regnis perfugium conceſſerint. De Egberto in Chr. Sancti Suithuni legitur, quod tum nobilibus omnibus, tum popularium inſignioribus præceperit, tam in pace quam bello arma geſtare. Defunctus autem eſt, an. 836. ſecundum Chr. Sax. ubi tamen dicitur ipſum regnaſſe 37 an. & 7 menſibus: cœpiſſe vero regnum anno 800. Quare magis veriſimile eſt ipſum 838 obiiſſe; (cui conſonant Concilii ſubſcriptio apud Spelm. Tom. 1. p. 340. & illuſtriſſimus Savilius;) Regniq; ſui Weſt-Saxonici 36, totius Angliæ nono, & Wintoniæ ſepelitur. Corpore puſillo ingentes animos vireſque alebat. In republica prudens, in caſtris vigilans, ſeveruſque diſciplinæ exactor, in acie fortis & intrepidus, læto plerumque præliorum exitu. Ex Redburga conjuge filiam etiam tulit Edgitham virginum cœnobio præfectam.

[a] Imo vero ſolus è veterum Regum proſapiâ relictus.

[b] Wodenus, quem Dani & Iſlandi Odinum & Othinum (licet in vetuſtiſſimo codice Woden ſcriptum eſſe notat Stephanius) à quo omnes Septentrionales ſtemmata ſua deducere geſtiunt, vir fuiſſe dicitur, tum eloquentia, tum fortitudine, tum vaticinandi peritiâ clariſſimus. Inceſſit illi cupido ex Aſia (patriâ ſua) cum copiis, quas poterat, maximis exeundi, novaſque ſedes quæritandi. Quocunque ſe verterit, victoriis, ſapientiâque famam Diis quam hominibus ſimiliorem acquiſivit. Nec tamen ſedem prius fixit, quam in Saxoniam pervenit; cujus magnam partem in ſuam redegit poteſtatem; ibique tres filios, Vegder, Beldeg, & Hengir (è multis quos habuit) Præfectos conſtituit. De Vegder, ſive Vecta Hengiſtus & Horſa, Ella etiam & Reges Deirorum; è Beldeg, ſive Belde Cerdic Weſt-Saxonum; à Withlegris Cridda Merciorum rex primus; è Kaſero Reges orientalium Anglorum; è Saxuad Erkenwinus, & Saxones orientales, originem ducunt. Tum Septentrionem verſus iter dirigens venit in Cimbriam, cui, totam ſibi ſubigens, præfecit filium Skiold; à quo orta eſt familia Skioldungorum, quæ eſt Regum Daniæ. Inde in Sueciam, ubi civitatem Sigtun extruxit; ibique regnavit ipſe vocatus Niordur. Vegder in Saxonia regnavit; Beldeg ſeu Baldur Weſtphaliam adeptus eſt. Hengir, qui & Sigo, Francis imperitavit, à quo Volſungi dicti eorum Reges deſcenderunt. De Wodeni ipſius origine hæc etiam habentur. Thor (ſive Tror) Memnonis Trojani filius uxorem habuit Sif, filium Londum, hic Henredum, iſte Vingethorum, hic Vingererum, iſte Modam, hic Mogonem, iſte Ceſphetum, hic Liedingum, hic Athram, hic Urmannum, hic Hermodum, hic Skioldun, hic Biaferum, iſte Satonem, hic Godolphum, iſte Finnum, hic Frialafum, hic Wodenum. Atque hæc fere ſunt, quæ apud Autores Antiquos, Eddam, Saxonem, atque alios de Wodeno occurrunt; quæ aliquatenus cum iis conſentiunt quæ de ipſo à noſtris recenſentur. Sed cum omnia tum ſua, tum noſtra incerta ſint, quæ de eo narrantur, non opus eſt ut ea conferamus.

& Freæ conjugis, unde etiam nomen sortitæ, dicatis. [a] Æthelwolphus hinc genus ducens ex majoribus, per ætates retro complures Christianæ fidei Sacramento obstrictis, miro religionis æstu flagrabat, & patre jam superstite sacris ordinibus initiatus primum Episcopus Wintoniensis factus est. Verum post Patris obitum, cum alia sorte proles deficeret, necessitate cogente (quod ait Huntingdonus) revocatus West-Saxonum regnum accepit; statimque Osburgam in uxorem duxit, lectissimam fœminam, viri inclyti comitis Oslaci filiam, cujus majores à Cerdicca primo West-Saxonum Rege Vecti Insulæ regendæ præficiebantur. Ex illa quinque filios suscepit; Æthelstanum, Æthelbaldum, Æthelbertum, Æthelredum, & Ælfredum, qui quidem omnes, suo quisque tempore, regno potiti. Natu maximus, Cantii, patre adhuc in vivis agente: Reliqui, West-Saxonum: justo tamen ordine in defuncti patris hæreditatem successerunt. Habuit & filiam nomine Athelswitham, quam Burrhedo Merciæ Regi nuptum locavit [b].

Cujus filius natu minimus Ælfredus

3. Ælfredus, quamvis ex quinque postremus & minimus, parentibus tamen in primis charus fuit: ea non modo venustas & oris dignitas in ipso puero jam tum præter cæteros elucebat, verum etiam animi, ingenii, & morum præstantia: adeoque in deliciis habitus unà cum

[a] Egbertus alium habuisse filium dicitur, Edelbertum ab Hardingo vocatum, ab aliis Athelstanum, quem Cantio vel Regem, vel Regulum præfecisse à plerisque Historicis narratur. Virum, ut videtur, strenuum; utpote qui cum Ealhero Duce Danos magno prælio. prope Sanduicum devicerit, anno Regni Regis Ætheluulfi 16. quo etiam anno fatis concessisse videtur; & eodem quidem prælio, inquit Hardingus, qua autoritate fretus, non liquet; in eo certe errat, quod eum Wolfheardo, an. 838, cum tamen ille non nisi cum Ealhero, in prælio an. 851 (ut Chr. Sax. & Hoved.) una pugnasset, perperam adjungit. Sed cum anno proxime sequenti Ealherus absque Æthelstano infœliciter iterum pugnavit, non est omnino improbabile quod asserit Hardingus.

In the year eight hundred thirty and eight,
The Danes arrived with ships fourscore and three,
Where Athelstan his son did with hem feight,
And Duke Wolfward with great fortunitee
Theim tooke and sleugh with all felicitee;
But Athelstan in that battayle was slayn,
Of his werse, that was the Capitayne.

In pueritia eum decessisse dicit Brompt. p. 808.

Ælfredus etiam in testamento suo Æthelbaldum, Æthelulfi primogenitũ diserte nominat: Quare verisimile videtur Athelstanum hunc Egberti fuisse filium, prout asserit Chro. Saxon, & non Æthelulfi, nisi (quod aliqui asserunt) à concubina ab eo susceptus sit. Sed cum Asserius, & Ethelwerdus, & scriptura quædam illius temporis apud Somnerum in descrip. Cantu. p. 490. ipsum Æthelulfi filium expresse dixerint, etiamsi temporum ratio non admodum congruat, iis tamen assentiendum esse arbitror. Æthelulfus igitur unicus Egberti filius quieti erat & sedati ingenii princeps; à bellicis tumultibus alienus, in iis tamen continuo exercitatus, & Imperator tum strenuus, tum prudens. Reip. moderamen (modo sine notabili damno fieri potuisset) omnino recusasset: ab adolescentia enim rerum divinarum meditationi (magistro ei dato Sancto Suithuno) adeo se addixit; ut ab aliquibus Monachus, Diaconus, Presbyter, Episcopus Wintoniensis electus (Hoved. Floril. & Polych.) etiam consecratus (Brompt.) ab Hardingo (si bene intelligo) etiam Cardinalis, dicatur.

This Ethilwolf to Rome toke his way,
In pilgremage with him his sonne Alurede,
Cardinal was of Winchester that day,
Where then he hade the Bishoprick indeed, &c.

Ab aliis vero Subdiaconus tantum fuisse asseritur, & ab Elmstano quidem Episcopo Winton. consecratus (Chr. Sancti Suithuni,) additque quod perspiciens Monachorum conversationem, illorum habitum in Wintonia sub disciplina Patris Suithuni, tum Abbatis suscepit. Asserius certe nihil horum meminit. Neque verisimiliter de unico Regis filio, Republica bello tam periculoso & difficili laborante, dictum existimo: maxime cum anno Regni Egbrighti Patris 24, adhuc juvenis exercitus paterni Dux Cantianos debellavit, & ab eo tempore bellis fere continuis regnum laboraverit. Coronatus autem dicitur, Feb. 4. anno 837. Cestriæ, inquit Hardingus. Regnavit annos 20, m. 1, dies 9, (an. 19, 6 menses 7. Chron. Saxon) & tunc non ante an. 858. mortuus est. Obiit in Stamrige, anno 857, & Wintoniæ sepultus est.

[b] Quæ Ticini postea obiit anno 888. Chr. Sax.

ipsis

Ipsis in regia educatus est. Quod minus frequenter in istis temporibus usu venit, cum forte Saxones hac in parte ad instituta Gallorum accederent; *qui liberos suos, antequam adoleverint, ut militiæ munus sustinere possint, palam ad se adire non paterentur.* Ubi, dum pueriles indoles Æthelwolphum expectatione virtutis supra vulgi captum luculentæ demulceret, ut spem ante conceptam, quantum poterat, ad optatos exitus perduceret, secum agitat de puero Romam mittendo, quo Apostolicam istius sedis (quam ipse, ut olim Clericis ascriptus, summa deinceps veneratione prosequebatur) benedictionem perciperet. *Cæs. lib. 6. Bell. Gall.* *Quinquennis Romam missus.*

4. Quid Æthelwolphus hic præcipue spectarit, variis conjecturis ambigere pronius, quam aliquid certi statuere. Fieri quidem potuit, ut sibi persuaserit, hoc expedire ad Ælfredum in aliquo regno (puta Cantii vel Suffexiæ) confirmandum, quod ipsi nominatim destinasset. [a] Attamen, in Apologia Oxoniensi scriptum accepi (neque enim MS. ipse codex mihi unquam visus) Anonymum quendam Autorem, in notis ad Ranulphi Cestrensis marginem ascriptis, affirmare, Æthelwolphum ab Angelo per quietem in hæc verba monitum: *Atulphe Rex, dilecte Dei, quid moraris? mitte filium post-genitum ad Romanum Pontificem, ut ab ipso inungatur in Regem Anglorum; & sic ab ipso procedat unctio Regalis ad cæteros Reges ipsius regni in perpetuum duratura. Omnipotens Dominus filium tuum elegit in Principem super Anglos; quia Regnum Angliæ est Regnum Dei in illo: & dic Swithuno, quod ipse vadat cum filio tuo ad Romanum Pontificem; quod ipse homo justus est in conspectu Domini,* &c. Quam clausulam Annotator iste testatur extare in vita S. Alfredi, à S. Neoto conscripta. *A patre in somnis monitus.* *Lib. 2. Sect. 197.*

5. Æthelwolphi consilium à somnio quodam adjutum fuisse, veri non est absimile. Sed an per omnia visum illud, quale per annotationem istam diserte traditur, admittendum sit, haud facile pronunciavero. Hoc enim concesso, sequetur illud, vocabulum Angliæ non aliunde Regno huic peculiariter attributum, quam ab Angelo Regis Æl-

[a] Annales Britannici Oxoniæ anno 1663. impressi asserunt; Ætheluulfum maximam Demetiæ (Walliæ meridionalis) partem subjugasse; eamque una cum Suffexia Ælfredo filio (post mortem sc: Adelstani, qui anno 852 obiisse videtur,) contulisse. Quod & affirmare videtur Asserius, ad an. 884. *Illo enim tempore,* inquit, *& multo ante omnes regiones dextralis* (hoc est, Australis, ita enim voce ea sæpius utitur iste autor, sicut & Romani, *dextras ad meridiem partes, lævas ad septentriones dixerunt,* Liv.) *Britanniæ partis ad Ælfred regem pertinebant, & adhuc pertinent.* Et cum Æthelulfus unacum Burrhedo Wallos nuper devicerit, cur non verisimile sit Ælfredum ab eo Romam missum, ut in Demetiæ Regem ungeretur & coronaretur? qua ratione etiam facile potest intelligi, unde Ælfredus Fratribus suis auxilia (è proprio sc: regno) toties attulerit. Wallos etiam sub eo adversus Danos militasse clare asserit Chron. Sax. Cur non etiam eo tempore Sanctus Neotus negligentiam suam versus subditos, quorum solicitudinem nimio venandi studio intermiserat, reprehendit? spretamque admonitionem acri castigatione vindicandam minatus est? certe qui hæc primo regni sui anno accidisse dicunt, non admodum probabiliter loquuntur. Ægre enim venandi tempus ei suppeteret, qui novem justis prœliis, præter infinitas velitationes, cum Danis eo anno pugnaverit. Hinc etiam colligi potest, cur Pater ipsum maxime sibi charum & dilectum in testamento tantum non præterierit. Sed & in Senatusconsulto de monticolis Walliæ (quod Ethelredi secundi Regis temporibus exaratum conjectatur Lambardus) c. 9. hæc habentur. *Demetia Monticolis paruit aliquando; videtur tamen potius ad occiduos Saxonas pertinere* [à temporibus forte Ælfredi] *eo etenim censum, pacisque obsides mittant, oportet.*

fredi imperium auſpicante. Verum fatendum eſt, haud admodum mihi liquere, quem mortalium Annotator iſte S. Ælfredi nomine nobis indigetaverit. Nam, præterquam quod Regem hunc noſtrum Sancti titulo fuiſſe inſignitum non alibi reperiam, [a] mirari ſubit, cur S. Neotus aut ipſius vitam conſcriberet, aut in Sanctos receptum traderet, cujus regni priora tantum viderit; quæ, ipſo Neoto judice, non ejuſmodi fuerunt, ut tam inſigne prænomen mererentur, quod infra commonſtrabimus. Verum miſſis conjecturis, de reipſa quidem uſquequaque convenit, quod Æthelwolphus Ælfredum jam quinquennem honorifico comitatu ſtipatum Romam miſerit. Ubi Leo IV. Pontifex, ſive rei veneratione permotus, cum Miſſionem hanc non ſine divino numine profectum intelligeret, (ita ſpondentibus pueri dotibus eximiis, & animo nihil vulgare præ ſe ferente) ſive privatis quibuſdam conſiliis impulſus; ut qui ſenſerat beneficium, quod petebatur, utcunque ei, qui petebat, conduceret, ſuis ipſius certe rebus expediturum; qui plus autoritatis in conferendo acceperit quam alter ex collato referre poterit: is, inquam, quibuſcunque de cauſis, hunc infantiæ limites vix egreſſum, patre adhuc vivo, & Fratribus, qui tres natu majores, florentibus, in Regem inungit, coronat, adoptativi filii nomine dignatur, & Apoſtolica benedictione largiter impertit.

A Papa Leone IV. primo unctus eſt.

[b] 6. Non defuere, qui in illa ſententia verſarentur, unctionem, quâ Leo IV. Alfredum impertiret, non eum fuiſſe ritum, qui Regibus jam coronandis, ſed Chriſma potius quod pueris confirmandis adhibetur.

[a] Videtur Reverendiſſimus Uſſerius legiſſe; Regis *(non Sancti)* Ælfredi, in Indice Chron. anno 883. Aſſerius quidem vitam Sancti Neoti teſtatur, verum an ea ſit, quæ hic ſub alio nomine citetur, neſcio: de alia certe, ut arbitror, altum ubique ſilentium.

[b] *Infantem Ælfredum oppido ordinans unxit in Regem, & in filium adoptionis ſibi accipiens confirmavit.* ——*Ælfredus, qui unctionem regalem & coronam à Papa Leone olim Romæ ſuſceperat.* *Aſſ.* *Tunc Leo illum* [Ælfredum] *in Regem conſecravit, eundemque ſibi in Epiſcopi filium adoptavit.* Ch. Sax. ad an. 853. To Biſhop, etiamnum apud nos idem eſt ac confirmare. *Quem Leo in Regem benedixit.* Hunt. & Hoved. *Quem & ſanctificat in Regem, & filium à chariſmate* (f. chriſmate) *nominavit, ut modo ſub manu Epiſcopi ſolemus accipientes parvulos filios nominare,* Æthelw. De hac unctione Autores, maxime moderni, plurimum in ſententiis diſcrepant. Pol. Verg. l. 5. *Ælfredus rerum potitus primo quoque tempore Romam, voti cauſa, profectus eſt; ubi regiæ coronæ honore ab Adriano II° rurſus honeſtatur, quocirca quadrare non poteſt, ut à Leone IV. id decoris ſuſceperit, ſicut quidam rationi temporum alte indormientes falſo prodiderunt.* Sed Polidori autoritatem merito in pleriſque elevant doctiores. Florilegus & Flor. Wig. unctionem & coronationem hanc referunt ad illud tempus, quo, cum Patre ſeptennis Romam rurſus adiit; & factam aſſerunt ad inſtantiam Regis Etheluulfi; eamq; fuiſſe cauſam, cur Ethelbaldus adverſus Patrem inſurrexerit. Quod nulla ratione approbandum videtur; tum quia reges noſtri, iis temporibus, de imperio teſtamento diſpoſuerunt; tum quia antiquiores Hiſtorici (Aſſerius, Æthelwerdus, Malmsb.) expreſſe aſſerunt; nuptias illas cum Juditha, illiuſque in Reginam promotionē, unicam dediſſe illius rebellionis occaſionem. Neq; uſpiam legitur Ælfredum à fratre ſuo ob regni affectati ſuſpicionem moleſtiâ ullâ fuiſſe affectum. Quare (niſi verum ſit ipſum in Regem Demetiæ tunc fuiſſe unctum, de quo mox dictum eſt) maximâ cum probabilitate Harpsfeildius ſtatuere videatur. *Ælfredum Leo Pontifex in ſpiritualem ſibi filium adoptavit, regiâque unctione, ut olim Davidem Samuël, delibutum honeſtavit; quaſi providâ & præſagâ mente, quod futurum erat longe poſt, licet eo tempore parum credibile, divinans.* Adeo ut unctio hæc fuit confirmationis, prout expreſſe aſſerit Aſſerius; (Nam qui tanto itineri ſuffecerit, confirmationi vix æſtimabitur ineptus) & eandem phraſin Aſſerius de Anarawd filio Rotri Ælfredo ſeſe cum fratribus ſubmittente uſurpat; *A Rege honorifice receptus eſt, & ad manum Epiſcopi in filium confirmationis acceptus.* Verum non confirmationis tantum, ſed & in ſpiritualem filium adoptionis Sacramentum hæc unctio. Illorum enim temporum in hiſce cæremoniis conſuetudo agnoſcenda eſt. Quod nimirum viri Nobiles, etiam Reges & Imperatores, ut filios ſuos in viri

tur; id autem errore Historicorum & Monachorum sequius acceptum, pro Regali unctione deinceps obtrudi. Quam sententiam, quia muneri, quod in ampliorem hujus Ælfredi nostri gloriam & consultum & exhibitum vulgo creditur, detractum eat, eatenus impugnabo; ut cuivis expendendum proponam; an probabile sit, viros religiosos, qui factum illud memorarunt, adeo hallucinari potuisse, ut non posuerint discrimen inter Regiam unctionem, & chrismatis ceremoniam, quæ tam celebris, & in Ecclesia tunc temporis tam usitata esset. Quid? num in re tam perspicuâ decipi potuit Asserius, eruditus ille Præsul, [a] & seculi decus? Num Malmsburiensis literis & judicio pollens Monachus? quorum uterque Regiam fuisse unctionem, hic etiam coronationi conjunctam, asserit. Insuper haud opinor moribus & institutis Ecclesiæ consentaneum, ut Ælfredus in primo pueritiæ ingressu confirmandus reciperetur, cum neminem ad illud sacrum admitterent, qui non ætatis & judicii maturior fidei & Religionis in se susceptæ rationem redderet: quod ab Ælfredo quintum jam annum agente (utcunque præcocis esset indolis) fieri potuisse, haud satis scio an æquis judicibus probari possit. Quod etiam Æthelwerdus extra dubium ponit; qui cum narrâsset Leonem *Ælfredum in Regem sanctificasse* & filium à *charismate nominavisse, ut*, inquit, *modo sub manu Episcopi solemus accipientes parvulos filios nominare.* Ita cum disertis verbis utrumque ritum nominasset, & inter se contulisset, nihilominus colligit Ælfredi Unctionem fuisse Regalem. Nihil igitur amplius in hac parte quærendum ratus, id mihi pro comperto sumam in quod omnes horum temporum scriptores consentiunt, Ælfredum in Regem jam tum fuisse unctum; sicque ad propositam narrationis seriem revertar.

viri alicujus sapientiâ vel sanctitate illostris exemplum educarent, in quandam ipsi amoris & reverentiæ quasi filiorum adoptionem dederunt. Et hoc quidem sæpenumero capillorum tonsurâ signatum legimus, maxime si sæcularis cujuspiam favor ambiebatur. Carolus Martellus filium suum Pipinum ad Regem Luitprandum misit; rogans, ut attonsa Longobardorum more cæsarie, ipsum sibi filium adoptaret. Constantinus Pogonatus Benedicto II. Papæ mallones capillorum Justiniani & Heraclii misit. Anast. Ad quem locum Binius; *Nota, quis fuerit ritus adoptionis illo tempore, ut scilicet per ejusmodi capillorum exhibitionem quis alicui offerretur in filium ei, qui eos acciperet.* Idem apud alios. Huc accedit; quod Leo IV. maxima tum sanctitatis, tum sapientiæ opinione claruerit; & quidem meritissime, cum Roma, & Italia tota ipsius maxime comitibus à Saracenorum undique furentium potestate vel erepta, vel servata fuerit. Et proinde non à vero alienum videbitur, ipsum spiritu prophetico Ælfredum nostrum in Regem etiam unctione consecrasse. Et Bromptonus quidem hunc solum, è priscis omnibus hujusce Insulæ regibus, unctionem Regalem fuisse sortitum asserit. Cui quidem assentiri non licet. *Nunberchus* enim *Orientalium Saxonum Episcopus unxit oleo, consecravitque in Regem Eadmundum gloriosissimum*; inquit Asser. Si quis asserat hunc S. Edmundum, non ante an. 855. regnum suscepisse, & sic unctionem suam Ælfrediana posteriorem; verum id fatemur. Sed de Regibus Britannicis Gildas, *Ungebantur*, inquit, *non per dominum, sed qui cæteris crudeliores existerent, & paulo post ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis trucioribus.* Quod si quis electionem solummodo hic à Gilda intellectam arbitretur, intelligat ex ipsius verbis, neque hanc sine unctione factam apparere. Videtur tamen Ælfredus primus omnium Regum *totius Angliæ* unctionem sacram accepisse. Quod & in antiquo Codice in Bibliotheca Cottoniana reperio. *Cui*, inquit, [Ælfredo] *Leo Papa Sacramentum Regiæ unctionis contulit; & eum in Regem benedixit. Iste enim erat primus Rex unctus, qui Monarchiam totius Angliæ possedit.*

[a] De quo plura, l. 3. §. 38.

Româ reversus denuo cum patre Septennis eo proficiscitur, ibique per annum integrum moratur.

7. Ælfredus jam Româ recens hunc honorem retulerat, cum pater Æthelwolphus de sententia Cleri & Procerum, primo totius *Regni decimam* [a] *partem, ut sit tuta a muneribus, & libera ab omnibus servitiis, necnon a tributis Regalibus omnibus sive taxationibus*, immunem Ecclesiæ concessit; insuper adjectâ ex privato patrimonio 300arum in annos marcarum oblatione, seu Romanæ sedis honorario. [b] Quæ pensio demum auctior facta & tota regno recepta, non alia fuit (uti videtur) quam ea, quæ vernacule dicta est **Rome-shott**, aut **Peter-pence**. His factis ipse Romam proficiscitur & comitem secum Ælfredum reducit haud majorem septenni. Totum annum illic una demorati sunt. Quo tempore, sicut erat religionis & bonorum operum ex animo studiosus, Saxonicum Collegium, quod à nescio quo ex ejus antecessoribus extructum tunc casu deflagraverat, denuo reficit. [c] Idem, ut opinor, ædificium est, quod hodie Jesuitarum Anglicorum nuncu-

Holensh. f. 121.

[a] Bis videtur Rex decimas Ecclesiæ concessisse, primum an. 844. ex omnibus suis terris sive villis Regiis. Secundo vero 855, vel ut alii 854, è tota regione & cum consensu omnium nobilium & totius populi. Easque ab omni servitio liberas. Consulatur donationis suæ charta apud omnes fere Historicos; maxime vero apud Illustrissimum Spelmannum, Conc. tom. 1. Sed de hâc dabitur, Deo volente, alia differendi opportunitas. Hoc tantum libet addere, quod apud Weeverum, p. 174, in rythmis quibusdam antiquis asseratur, Ætheluulphum decimas concessisse in Concilio generali Anglorum apud Cestriam.

[b] Sed & Anastasius Bibliothecarius, qui Romæ tunc ipse agebat, aliorum etiam donorum meminit, quæ Rex noster Papæ Benedicto III. (mortuus enim erat Leo dum ipse Rex Romæ versaretur) obtulit. *Hujus temporibus*, inquit, *Rex Saxonum nomine ——causâ orationis veniens—— ad limina Apostolorum cum multitudine populi obtulit dona B. Petro Apostolo coronam ex auro purissimo, Pens.* lib. 4. *Bancas ex auro purissimo duas pens. libras. Spatham cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas minores ex auro purissimo. Gabathas Saxiscas de argente exaurato quatuor. Saraca de Olovero cum chrysoclavo*, 1. *Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo, & vela majora de fundato duo. Et ipse Rex Saxonum, postulante Sanctissimo Domino Benedicto, ut faceret Rogam in Ecclesia B. Petri Apostoli publicam de pondere auri vel argenti librarum—— Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Universo clero, & optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum. Et postmodum finita orationis causâ reversus est ad propria.* Vere quidem hæc & modeste Bibliothecarius: longe aliter & sine fundamento Sigonius, anno 851. *Adelolphus Rex Angliæ vulgatâ Leonis Pontificis Sanctitate permotus venit Romam, ac benigne acceptus, cum Basilicam Sancti Petri adiisset, damnatus voti regnum suum tributarium Ecclesiæ Romanæ constituit, singulis familiis nummo argenteo in annos singulos obligatis.* Huic errori refutando, quem è Polidoro accepisse videtur, nonnihil statim immorabimur; licet ab Illustrissimo Equite D. Henrico Spelmanno satis in hoc negotio dudum præstari videatur. Sed neque Romanæ Ecclesiæ tantum munificentiam suam extendit Æthelnulphus; sed & aliis etiam locis. Monasterio Sancti Dionysii prope Parisios donaria ipsum misisse è Jacobo Dubletio, qui ea recenset in Antiquitatibus Sancti Dionysii, satis constat.

[c] Scholæ Anglorum Romanæ initium valde obscurum est: ab Offâ Merciorum rege circa an. 790, conditam Malmsb. & Balæus asserunt; sed antiquiorem fuisse è Codice Cicestrensi probat Dn. Hen. Spelmannus, Conc. Tom. 1. p. 290. anno nimirum 714. Et quidem sub ipsis Principiis Anglorum conversionis institutam fuisse verisimile est, si fides Florilego (anno 727.) & Matth. Parisiensi habebitur asserentibus; Doctrinam & Scholas Anglorum à temporibus Sancti Augustini per Romanos Pontifices fuisse interdictas, propter assiduas hæreses, quæ in adventu Anglorum in Britannia emerserant, dum Pagani Christianis permixti Sanctæ conversationis gratiam corruperunt fidei Christianæ. Hoc interdictum ab ipso Sancto Gregorio factum, ejusque occasione Scholam illam Romæ institutam asserunt Rossus Warwicensis, aliique historici nostrates, sed moderniores, quorum autoritas si ad hoc asserendum sufficiat, quærant alii. Denarium etiam Sancti Petri dictum, quia in festo Sancti Petri ad vincula colligi solitum, multo ante Æthelulfum, ab Offa nimirum, & in scholarium & peregrinorum usus concessum manifestius est, quam quod negari potest. Mancussæ vero sive Marcæ 300 ab Æthelulfo missæ aliis usibus distributæ sunt, luminaribus sc. S. Petri, & Pauli, & ipsi Apostolico. Quare nullo modo idem esse videntur cum **Romescot**, prout Author noster conjectatur. Denarius enim domatim solutus majorem multo summam conficeret: sed hæc erat potius libera eleemosyna; quam & aliquoties temporibus maxime quietis & ipse Ælfredus cum suis impendisse narratur. Hanc autem Regis Æthelulfi eleemosynam opportune collatam probabile est Pontifici maximo, tunc temporis sub Saracenorum invasionibus una cum tota Italia gementi. Et non solum ab Æthelulfo, sed & Ælfredo, licet non quotannis, v. l. 2. §. 97. de quo sic Floril. anno 889. *Rex præcepit omnibus Angliæ Episcopis, & viris Religiosis fidelium eleemosynas colligere, collectasque Romam destinare. Rex quoque de thesau-*

nuncupatur: cujus reditus mihi fideliter nunciati sunt fuisse 13000 l. st^rl. annuatim: donec Sixtus V, anno 1588. octo millia abstulerit; dicens oportere se pontem ligneum, quo in Angliam transfiretur, fabricate[a].

8. Æthelwolphus domum revertens una cum filio, dum per Gallias iter facit, secundas nuptias contrahit, in matrimonium sumpta Juditha Caroli Calvi filiâ. Quod nobilibus, qua occasione suspectum atque invisum fuerat, paulo altius repetetur. Adburga quædam, Brictrici quondam West-Saxonum Regis conjux, iis blanditiis animum viri sibi devinxerat, atque captum tenuerat, ut in se totius Reipublicæ administrationem averterit. Quam dum impotenter exercet, quicquid ipsius male-consultis obstaret, falsis apud virum criminibus, aut veneno, tollere nihil pensi habuit. Offensam ejus incurrerat fidelis quidam & Regi dilectus minister; huic temperatum calicem dum forte per errorem prægustat Rex, uterque periit. Adburga vero fuga sibi consulit. Saxones autem, ut publico furori subductam infamiâ prosequerentur, inter se conjurarunt; quod nunquam Regem super se regnare permitterent, qui Reginam juxta se sedere permitteret in solio. Inde natus mos West-Saxonum, Regias sponsas neque coronari, neque Reginæ nomine gaudere: satis autem habere quod Regis uxores audiant. [b] Verum Æthelwolphus, ut videtur, patrium hunc morem ceu plane barbarum aversatus, Gallici Regis filiæ in

Æthelwolphus per Galliam rediens nuptias secundas contrahit cum Juditha Caroli Regis filia, quam dum reginam declarat,

thesauro suo non modicam portionem fidelium eleemosynis unitam ad loca præscripta transmisit. Per Beccam sc. Ducem, aliosque. Tot autem tantarumque eleemosynarum occasio erat; quod Romani iis temporibus à Saracenis Italiam invadentibus fere extrema patiebantur. Videatur Epistola Stephani Papæ ad Basilium Imperat. *Oramus ut Chelandrium munias, & omnia, quæ in ea sunt necessaria, adhibeas: mittas præterea qui mœnia nostra custodiant ab Agarenorum incursionibus. Reliqua silentio præterimus, cum neque oleum sit nobis pro luminaribus Ecclesiæ juxta debitum Dei honorem.*

[a] Multiplex hic error, sed quem Autor noster ab Harpsfeldio, ille vero à Polidoro mutuasse videtur. Saxonum enim Schola, ut & Platea antiqnitus appellata, collocata dicitur, ubi nunc Hospitale S. Spiritus in Sassia, sive Saxia. Ubi tamen post diligentem inquisitionem nullum reperire potuimus Regum nostrorum, aliorumve Saxonum (quorum plurimi ibidem sepulti dicuntur) monumentum. Forte quia dum Ecclesia Sancti Spiritus conderetur, Sepulchra antiqua in Templo B. Virginis alibi disponebantur. Hospitalis illius reditus amplissimos esse constat, eos tamen à Sixto V. imminutos nunquam audivi. Collegium vero, quod noster Jesuitarum Anglorum (sed perperam, cum sit tantum Juvenum Anglorum à Patribus Societatis Jesu gubernatum Seminarium) appellat, primum anno 1398, occasione Anglicæ mulieris noctu per urbem vagantis à feris dilaceratæ pro Hospitali fundatum est. Casus enim istius compassione tactus quidam Joannes Scopandus Anglus urbis incola, domum coëmit, suppellectile necessariâ paravit, & hospitalitati suæ gentis donavit; cui seipsum insuper & uxorem (cum liberis carerent) totos addixit. Opus hoc à Joanne cœptum ab aliis tale cepit incrementum, ut etiam Ecclesiam Sanctæ Trinitati sacram in usum hospitalis extruxerint. Eodem fere tempore mercator quidam Anglus parvum quoddam & separatum hospitium nautis Anglis extruxit in regione Transtyberinâ. Utrobique exercita hospitalitas quamdiu Anglia Ecclesiæ Romanæ communicabat. Post separationem vero, cum rari Romam accesserunt Angli, Gregorius XIII, hospitio addidit ejusdem nationis Collegium, adjunxitque præfatum hospitiolum nauticum, hospitalitate minime sublata; eoque modo institutum Collegium sufficientibus quidem reditibus, sed non nimis liberaliter dotavit. Quin & accepi non exiguam eorum partem è camera Apostolica quotannis suppeditari.

[b] Adeo ut hæc sive lex, sive consuetudo non diutius invaluisset, quam tempore Egberte, & primis nuptiîs Ætheluulphi. vide Seld. Tit. honor. l. t. c. 6. Asserius Ætheluulphum dicit, *Judittam Caroli Regis filiam, quam à Patre acceperat, juxta se in regali solio suo sine aliqua suorum nobilium controversia, & odio usque ad obitum vitæ suæ sedere imperasse.* Seldenus tamen v.s. in aliquarũ chartarũ subscriptionibus, Reginas posteriores, utpote Ædgari, & aliorum se Regis conjuges adscripsisse; sed & alibi eædẽ se vocant Reginas; adeo ut modestiæ sit argumentũ non subjectionis vel contumeliæ.

 Juditha

in uxorem ductæ totum illum honorem, qui Reginæ debetur, deferre non dubitavit. Quod domi nunciatum impiæ adversus ipsum conjurationi causam præbuit.

Æthelbaldus ejus filius una cum regni proceribus aliquot adversus eum conjurat.

9. Æthelbaldus enim filius natu secundus, obitu Æthelstani fratrum maximi jam hæres regni indubitatus, populo vero gratissimus, utpote qui esset strenuus, bellicosus, animique ingentis juvenis, tractum in partes Alstanum Shireburnensem Episcopum (cui velut laborum Vicario curam administrandæ Reipub: succedaneam bonus Æthelwolphus semper commiserat) & Enulphum Comitem Somersettensem [b] eadem conspiratione secum obstringit; ne patrem reversurum admittere velint, utpote asperis patriæ rebus parum idoneum; se vero, ut in solium attollerent. Æthelwolphus redux, ut regnum à filio occupatum, se vero exclusum deprehendit; quamvis copiosa satis & firma, qui in fide manserant, civium præsidia operam ultro sponderent Tyrannum deturbare, ipsum vero armatâ manu reducere; ipse tamen piis consiliis semper obsequutus, simulque veritus ne domestico bello opportunitatem invadendi daret cohortibus infidelium; (qui cum omnia fere Insulæ littora insedissent, etiam ipsius regno imminebant:) eo se demisit, ut Regnum cum Athelbaldo partiretur. idque tam iniquis portionibus, ut cum filio regionem Occidentalem, quæ longe præstantior continet omnem eam plagam, quam West-Saxoniam proprie dixere, permitteret; sibi ipsi tantum Orientalem partem recepit, quæ non nisi Cantium, Suffexiam & Surriam comprehenderet. Nec ita diu post magis solicitus de vita meliori sibi prospiciendâ, & de charitate atque pace inter liberos constituendâ, per Epistolam, quam vocat Florentius *Hereditariam*, suam cuique sortem tribuit (Regno, sicut erat divisum, duobus majoribus relicto) privatum patrimonium inter minores filios & necessarios partitur: omnem vero pecuniam partim iisdem, partim in bona opera legatam concedit: ita anno, quam Roma redierat, altero, vita fungitur.

Rex cum eo regnum partitur.

Ælfredum in testamento fere præteriens.

10. Ælfredum vero nequaquam pro illa caritate, qua ipsum vivus prosecutus est, moriens dotavit. Hoc tantum ex Ælfredi testamento liquet, voluisse ipsum, ut filii superstites demortuis in hæreditatem Regni ordine substituerentur. Verum id aleæ plenum, Ælfredo ni-

Judithæ Nuptiæ, unctio, & coronatio in Reginam extant inter Capitula Caroli Calvi à Sirmondo edita, p.m. 498. De illius ex Anglia decessu, & cum Balduino conjunctione hæc habentur apud Flodo. l. 3. c. 12. —*Conjunctio Baldvini Comitis & Judithæ indebita, quæ scilicet Judith, Karoli Regis filia, Edilnulfo Regi Anglorum, qui & Edelboldus, dudum fuerat in matrimonium copulata, & regina decore ac benedictione insignita: post cujus obitum, venditis, quas in Anglorum obtinuerat regno, possessionibus, ad patrem revertitur, sed illa Balduinum comitem, ipso Ludovico consentiente, secuta est.* Ubi notandum est Æthelbaldum cum Ætheluulfo confundi; ipsamque in Anglia tamen aliquandiu post Ætheluulfi obitum vixisse.

[b] Chron. Suith. dicit Æthelbaldum reliquosque Ætheluulphi filios, præter Ælfredum, contra patrem insurrexisse, quia Athelstanum filium naturalem tot regnis ornaverat. Quod nulla ratione verisimile est, cum hic ante annos aliquot mortuus fuerit. Eundem tamen filium fuisse naturalem dicit Florilegus; & quinque annis regnasse asserit, Chr. Sax,

hil

hil aut certum aut præsentaneum conferre potuit. Ut verum fatear; turbulentum Reipub: tempus si spectes, Ælfredi tenerior ætas Æthelwolpho jam decedenti juste suggerere potuit, ut omnem cogitationem regni in ipsum conferendi deponeret; cum ea sola causa sæpenumero sufficerit, ut pater fratris filium proprio, vel etiam nothum anteferret germano. Quo pacto Ælfredus, velut ad fortunam sibi fabricandam, relictus est, annum ætatis circiter nonum ingressus cum pater diem obiret.

11. Æthelwolpho mortuo, statim Æthelbaldus, omni pudore projecto, (ut cujus regnum occupaverat ejusdem etiam torum invaderet) Judirtam novercam probrosis nuptiis sibi conjungit. Is non ita diu post, ubi [a] quinque annos cum sex mensibus regnâsset, immaturâ morte occubuit: Regni parte ea, quam possederât, Æthelberto [b] fratri proximo relictâ: qui & partem alteram à patre concessam jam ante tenuerat: adeo ut sub eo West Saxoniæ Regnum & Regnum Cantii in unum corpus iterum coaluerint. Neque vero is pariter ultra quintum annum duravit, quin moriens Athelredo (quarto Athelwolphi filio) regnum reliquit.

Æthelbaldus, Æthelbertus, Æthelredus, in regno sibi invicem succedunt.

12. Inter hæc Ælfredi institutio non alia fuit, quam ex disciplina Saxonicæ nobilitatis, venari, feras persequi, cæterasque delectationes, ex agris quæsitas, percipere. Quod genus educationis ideo genti acceptius, quia liberos inde laboribus, fami, vigiliis, patientiæ, & ingeniis acuendis assuefactos acriores evadere, & ad omnem fortunam subeundam magis indurari existimarunt. Verum Ælfredus, hoc virtutis rudimento brevi posito, factus jam annorum 18^im. ea maturioris indolis indicia prætulit, ut Æthelbertus frater (cum rerum potiretur) auxilium ejus magno æstimans (quo ipsum in bellis socium sibi arctius adjungeret) ultro detulit; ut quantumcumque regni, Ælfredo armorum socio, ab hostium potestate vindicaretur, id totum æquis portionibus inter ipsos divideretur: Hanc conditionem Ælfredus libenter amplexus, nullam intermisit, operam Regi fidelem navandi, occasionem.

Ælfredus sine literis educatus, industrius tamen & gnavus.

[a] Duos annos & dimidium, inquit Asserius, & Floren. binos annos Ingulf. quinque menses Polidorus. Temporum ratio, Chr. Sax. Ethelw. & Malmsb. cum Autore nostro consentiunt. Nuptiarum illarum impiarum non meminerunt scriptores Francici de Juditha agentes; sicut nec Chron. Sax. uteunque earum ante mortem ipsum valde pœnituisse, strenuique principis officium sedulo præstitisse nonnulli asserunt Authores; & verisimiliter, cum Juditha ex Anglia ante ipsius obitum, an. sc: 861, recessisse videtur. Ipsa vero in itinere ad Patrem Patriamque à Baldwino Flandriæ Forestario capta, secumque detenta dicitur, donec in nuptias consentiret. Quibus Franciæ Rex, Carolus Calvus, Judithæ Pater, demum assensus, eum constituit è Forestario primum Flandriæ Comitem. Ex hisce nuptiis genitus est Balduinus secundus, qui Ælfritham, Ælfredi nostri filiam natu minimam, in uxorem duxit. E quibus post aliquot successiones descendit Matildis, Gulielmi Conquestoris uxor unica. v. lib. 3. §. 102. vulgo autem appellata est Juditta hæc *la belle Vefve*, sive pulchra Vidua.

[b] Hujus filii fuisse dicuntur Athelmus, cujus meminit Ælfredus in testamento suo: & Æthelwualdus Clito; qui magnas turbas Edwardo seniori postea excivit. alii vero eos Æthelberto tribuunt. Mortis ejus occasionem vel modum nullibi me legisse memini.

Et literarum cupientissimus.

13. Veruntamen, ut erat sapientiæ quam ditionis aut imperii appetentior, infelicitatem patriæ multoties, imo seculi, quo tunc agebat, miseriam lamentatus est; quod Principi literarum studioso nullum omnino liberalium Artium aut Scientiarum professorem suppeditaret. [a] Hæc illi desideria forte subdiderat Romana curia non semel visa, sola tunc temporis in partibus Occidentalibus literaturæ & humanitatis officina; præ qua natalis soli simplicitas, ceu mera barbaries, sordere videbatur. Verum arbiter humanæ vitæ Deus, qui certam provinciam illi nec opinanti decreverat, ludum aperuit, specie quidem haud ita blandientem, longe tamen negotio, cui destinabatur, accommodatiorem: ludum, inquam, laboris & angustiarum, erudito otio, & literarum speculationi longe præferendum.

Dani Angliam invadunt

14. Terra civilibus bellis multum labefactata atque exhausta jam cœperat, infusis Ethnicorum advenarum copiis, periclitari; præsertim circumjacentes Insulæ, & partes terræ Orientales. Quippe Germania prole numerosâ exundans (non quod continens illa late porrecta populos indigenas alendo non sufficeret; sed quod horrida regio, utpote sylvis & paludibus obsita, genti culturam agrorum ignoranti pariter & contemnenti sufficientem fructum denegaret, adeoque) à sinu Baltico reliquoque littore tam copiose se exoneravit, ut Angliæ, & Occidentalis Galliæ, atque Hispaniæ partes maritimæ frequentibus incursibus Danorum, Norwegorum, Gothorum, Suecorum, Frisonum, aliorumque, qui Danorum nomine promiscue venirent, pene habitatoribus nudarentur.

Ductu Hinguar & Hubbar.

15. Inter cæteros anno 866, magno commeatu huc appulerunt Hinguar, & Hubba Lodebrochi, Danici Regis (uti fertur,) [b] filii. Iique (nisi subsit error, quo Danubius & Danubia, pro Dania usurpentur) Danubio huc in Angliam profecti diserte dicuntur. [c] Et quamvis mihi facile persuaserim Danubiam nihil amplius quam Daniam sonare, ut Noricos pro Norvagis positos: non tamen id mihi sumam ut hanc

[a] De quo sic Genebrardus Chron. anno 899. *Infælix seculum, exhaustum hominibus ingenio & doctrina claris, in quo nihil fere dignum memoria posteritatis gestum est. Unde ferunt tunc repertum fuisse quoddam monstrum capite canino, & cæteris membris humanis, quod statum temporis illius mirifice referret.* Neque plures, quam octo, scriptores è nostra gente per totum hoc seculum à Balæo vel Pitseo recensentur.

Quod ad Ælfredum nostrum attinet, Ethelr. Rhiev. asserit ipsum ab ipsa pene infantia legere & discere dulce habuisse, &c. Cumque Asserius eum dicat non nisi duodecim annos natum literas didicisse, necesse est, ut in numeris error scriptoris lateat; cum mater ejus mortua sit ante secundam ejus Romam profectionem; qua sc: Pater ejus aliam uxorem duxerit: hoc autem dum septennis erat, accidit. Quod autem apud Asserium an. 887 reperitur, ipsum tunc legere & interpretari cœpisse, intelligere debemus, ipsum tunc legere cœpisse, ut interpretaretur.

[b] Reguli potius, si tamen & Reguli; Daniæ Rex enim tunc temporis erat Godricus: Brampton eum Codrinum appellat non Lothbrocum. *Erant* [Adam. Brem. p. 27.] *tunc temporis, & alii Reges Danorum vel Normannorum, qui piraticis excursionibus Galliam,* & alias regiones, *vexabant: quorum præcipui erant Horig, Ordavig, & Inguar, tyranni. Crudelissimus omnium fuit Inguar filius Lodparchi, qui Christianos ubique per supplicia necavit.*

[c] Asserius & Florent. à Danubio: Hoved. Brompt. & alii Danubiam pro Dania usurpant.

sen-

ſententiam tanquam certam omnino determinem; quando neque probabili ratione careat, ut ipſe fluvius Danubius intelligatur. Neque vero multum obſtat Lodebrochum Daniæ Regem fuiſſe appellatum (ſiquidem communi vocabulo Danos appellitabant quotquot cujuſcunque demum gentis eſſent qui huc inveherentur) quin & ipſe Rollo, Normannus ille inclytus, qui horum popularis dictus eſt, & cum his (aut certe ſub id tempus) trajecit, nominatim ex gente Noricorum oriundus perhibetur. Noricos autem comperimus utramque ripam circa Danubii caput incoluiſſe. Qui cum Baſilea non procul abeſſent, ubi Rhenus eo altitudinis accrevit, ut jam naviculas patiatur, haud ſane difficulter amne ſecundo ferri poterant, cujus oſtium East-Anglorum Regno, in quod ſe primum expoſuerunt, penitus ex adverſo objacet. [a] Hiſce tamen conceſſis, ſi Zelandiam, cum reliquis Inſulis

Latrocinandi gratiâ.

[a] Unde factum ſit, ut Daci pro Danis, Noricum pro Norwegia, Danubia pro Dania uſurpentur, difficile eſt rationem reddere: nuper enim & perperam invaluit illa conſuetudo. Freher. Daci à ſuis nuncupantur Dani. Gemet. Polidorus, *Getæ & Daci*, inquit, *eadem prorſus gens, eadem lingua, Mœſiam vicinaſque regiones habitarunt. Daci vero à Romanis multis cladibus affecti, finibuſque ſuis pulſi novas ſedes quæritando in Aquilonarem Germaniæ partem, ſe contulerunt, atque Daciam ex ſe vocitarunt.* Shering. è ſuo addit, *tunc primum Regem Daniæ, Dacorum ſe regem appellaſſe: quod inde confirmatur, quia ante obitum Bedæ nemo unquam Danos, Dacos, vel Daciam appellarent, neque Rex in ſuis diplomatibus Dacorum Regis titulo uſus eſt. Poſt illa vero tempora, &c.* pag. 41. Utinam vero vir eruditus diſtinctius explicaſſet quodnam tempus, vel ſeculum ſaltem intelligeret: non enim immediate poſt Bedam cœpta eſt illa appellatio. *Certe* (inquit Stephanius) *apud Adam Bremenſem, Paulum Diaconum, vel Saxonem,* (qui tamen anno 1204, mortuus eſt) *Dacus pro Dano nunquam reperitur.* Multa quidem ſunt, quæ mihi ſuadent, ſicut Getas à Gothis, ita & Dacos, ſive Davos, à Danis oriundos; populos utique in novis coloniis, æque ac in ſedibus Septentrionalibus, vicinos. Hoſce etiam Romania propinquiores prius, ſed non ſine magnâ difficultate à Trajano adeo debellatos, ut eorum patria in ſolitudinem fere fuerit redacta. Tantum vero à novis ſedibus quærendis abfuerant, ut nihil forte de iis legatur ante Caracallæ tempora. Qui (cum duceret adverſus Parthos exercitum) Dacos, quos turbas excitaturos ſuſpicabatur, ab improviſo adortos edomuit. Gordianus certe ipſos res novas ſuo tempore molientes facile compeſcuit. Aureliani vero temporibus adeo evanuerat eorum metus, ut Dacos trans Danubium incolentes, in Mœſiam traduxit. Quare Mœſia antiquitus à Dacis non habitabatur. Aliud quippiam inſigne de illa poſtea factum, vel ab Hiſtoricis memoratum, non recordor; niſi quod inter Gothos, ſive Getas, ſæpius negotium Romanis faceſſerint. Minus etiam veriſimile eſt quod Polidorus adjicit. Daciam ſc. fuiſſe hodiernam Walachiam, ubi ad ſua uſque tempora Danorum nomen remanſerit. *Walachorum*, inquit, *duæ fuerant factiones, Dragulæ & Dani. Sed Dragula Danis impares, Patrum noſtrorum memoria, Turcas in eam terram induxerunt, qui Danos pene deleverunt: quos Johannes Huniades reſtituit, &c.* Daciæ enim fines difficulter admodum ſtatuuntur, nec ad rem noſtram pertinet illiuſmodi diſquiſitio. Tranſilvania à pleriſque creditur; ſed & partes etiam ultra Danubium habitarunt. Suſpicor autem ſolita ſuâ levitate Polydorum unos Draculam & Bogdanum, in Draculas, & Danos hiſtoricis Polonis prorſus ignotos, neque ipſi rerum geſtarum rationi congruos, multiplicaviſſe. Sed ut regrediar; Doctiſſimus Stephanius nullo modo probabile exiſtimat Danos unquam Dacos fuiſſe. Quod autem Danorum Rex ſe Dacorum Regem in antiquo-modernis diplomatibus nonnunquam ſcribat, id vitio ſeculi, atque hominum incuriæ aſcribendum; qui ſæpe propter dictionum ſimilitudinem alterum pro altero imperite uſurparunt. Annot. in Sax. p. 27. Vel quid ſi dicamus Latinizantem quempiam Dacos, Noricos, Danubium, quorum apud hiſtoricos Romanos celebris mentio, pro Danis, Norwegis, Dania (nominibus Romanorum auribus omnino peregrinis, ſi non & barbaris) uſurpaſſe? Et Danorum Reges poſteriores, cum nonnihil gloriæ à Dacis, Romanis adeo fortiter reſiſtentibus, ſibi (jam à quibuſdam Dacorum nomine inſignitis) accreſcere arbitrarentur, in errorem libenter conceſſiſſe? Nam de tranſmigratione, quam ſibi fabricaſſe videtur Polidorus, nihil apud alios Hiſtoricos; neque veriſimile eſt, tot Germaniæ bellicoſas gentes, per quas iis tranſeundem erat, devictæ nationi tutum iter permiſſuras; neque Gentes illas Aquilonares adeo feroces, & vicinorum fines perpetuo invadentes, paſſuras populum exulem & impotentem tam facile ſecum coaleſcere. Sed nec minimum poſſibilitatis habet, de quo noſter ſubdubitat, Lothbrocum è Danubio in Rhenum; qui, ubi navigia pati incipiunt, ducenta miliaria diſtant (fontes enim non plus leuca abſunt.) Deinde in Zelandiam, & Angliam trajeciſſe. Perſuaſum quidem erat Carolo M° (Urſper. 186.) *Poſſe percommode à Danubio in Rhenum navigari, ſi inter Rudantam & Altmoram fluvios foſſa duceretur——Sed Rex laborem inutiliter conſumpſit, &c.* Hoc quidem eo pertinet, ut nulla ratione navigationem illam perfici potuiſſe oſtendatur. Sed neque Norici circa Danubii fontes, ſed prope Ingolſtadium, habitarunt; in Orientali Bavariæ parte. Neque Norwagi ſe unquam Noricos appellarunt: ſed Norwagiam, Normannaland, & ſe Nord-moener, i.e. viros ſeptentrionales ſemper vocitarunt. Hirdsk. p. 394.

ei adjacentibus, illas ipsas fuisse insulas intelligamus, in quibus aucupium fecerat Lodebrochus, casus ille paulo inferius memorandus veri longe similior reddetur, quam unquam fieri possit, si quibusvis insulis, quæ Danicæ ditionis hodie sint, Lodebrochum aucupatum fuisse, accipitremque perdidisse statuamus.

Et primo East-Anglos appellunt,

16. Sed undecunque progressi, vel quodcunque iter instituentes, in East-Angliæ certe regnum (sicuti modo memoratum) primo pedem intulerunt. Ubi consilio, quod animo agitabant, ad tempus dissimulato, cum East-Anglis transigunt; si certum ad numerum equos præberent, se manum à rapinis prorsus abstinentes finibus eorum statim excessuros. Quod East-Angli lætabundi præstitere: tanta equorum vi suppeditata, ut (quod quidam refert) totus eorum exercitus *derepente factus sit equester.*

Quibuscum equos pacti discedunt,

17. Equos adhibent Germani, sicut & Esseda Britanni, ut eorum maxime celeritate vel idonea præriperent loca, vel hostibus imparatis, & nihil tale opinantibus ex improviso imminerent. Ibi demum, ubi opportunius visum est, equis desiliunt, & in aciem pedestrem conjecti (quo pugnæ genere semper vires experiri præoptarunt, ut qui salutem propriæ virtuti tutius credi existimarunt, quam surdis equi viribus) rem magnam consequuti sunt; ut eadem opera (quod ait Cæsar) mobilitatem equitum, & stabilitatem peditum in præliis præstarent. Consuetudo hæc desultoria prædonibus istis apprime congruebat; qui latrocinium potius quam bellum gerentes, excurrere sæpius, prædas agere, bona passim diripere, consueverunt; præliis interim aut insidiis appetiti, pro re nata, Marte ambiguo sibi consuluere. Nam si bello equestri certandum esset, haud potuit fieri, ut littoralis & campestris illa regio, ubi primum navibus exscenderant, equos tanto numero domitos, tam robustos, & ad omni belli momentum idoneos subministraret. Neque vero id genus homines equestrem militiam callebant. Unde quoties in istius temporis annalibus occurrit, quod hi latrones equos nacti sint, & equites facti, non alium ob finem eos hoc fecisse accipiendum est, quam ut celerius hinc illinc commearent: ipsum autem prælium, more majorum, semper fere pedibus inibant. Cujus velitationis imaginem quandam in militiæ Germanicæ disciplinâ, levioris armaturæ milites vernaculo nomine **Dragoones**, hodie quoque referunt.

An. 867. Et Eboracum inopinato aggrediuntur, & Notinghamiam;

18. Hunc in modum instructi Dani, sub anni sequentis initium, subito, citra omnem istius consilii suspicionem, Eboracum contendunt: & urbem ex improviso occupantes, mox acriter oppugnantur ab Ella & Osberto duobus Northumbriæ regibus; qui privatas inimicitias publico periculo condonantes, junctis copiis adversus hostem communem, urbis murum diruere cæperant: cum Dani desperatione stimu-

ftimulati, (quæ geminat animos quos pavor prius expulerat)eruptione factâ regem utrumque [a], & complurimos ex nobilitate interficiunt; & reliquos ad iniquæ pacis leges accipiendas adigunt. His factis anno proximo se inde Nottinghamiam, Merciæ oppidum, conferunt. 868. ubi Burrhedus Rex suis solius viribus, tam valido hosti propulsando non sufficientibus, diffisus Æthelredum & Ælfredum (quorum sororem in matrimonio habuit) auxilium rogat; cui pronis animis assensi copioso cum exercitu sine mora ad Nottinghamiam provolant. Verum hostes loci inexpugnabilis mnnimine se tutati, cum, ut rem prælio committerent, perduci non poterant, nihil amplius fratres quam fœdus inter ipsos, & Burrhedum conciliarunt: quo facto copias secum 869. domum reduxerunt.

19. Pagani hinc elapsi revertuntur Eboracum, ubi totius anni spatium omni licentiæ genere, & atrocitate barbarâ transigunt; sanguine virorum, fæminarum atque puerorum per ludibrium effuso volutantes: & penu commeatuque omni corrupto, magis quam consumto, luxuriantes. Numerosiores autem facti multorum millium accessione, cum per alimentorum inopiam nimiâ profusione quæsitam, diuturniorem sibi moram istic loci præclusissent, insequenti æstate, oppido incenso relictoque, Regnum East-Anglorum aggrediuntur. Tunc autem copiis & consiliis plenius instructi diu deliberatam, atque celatam astu vindictam, de principe innocuo, & omnia diversa merito, sumere 870. proparabant; ipsumque ingressi fuerant locum, quo facinus atrox perpetrare proposuerant. Rem ipsam, quomodo se habuit, paucis accipite. [b] Lodebrochus (quem supra memoravimus) alicubi trans mare aucupium faciens, parvas quasdam insulas dum lintre circumvectatur solo cane comitatus, vi subortæ tempestatis in altum abripitur, & ad East-Angliæ oras, alicubi haud procul Yarmuthâ in agro Nor-

Unde tamen West-Saxonum metu Eboracum recedunt; inde East-Angliam adversus Regem Edmundum; à quo patrem suum Lothbrocum occisum falso suspicabantur.

[a] In loco Ellecroft usque in hoc tempus dicto. Iste autem Osbertus hujus invasionis occasionem dedisse narratur. Hic enim Beornæ (quem alii Bruernum Bocard appellant) viri nobilitatis primariæ peregre profecti uxorem per vim stupravit; quod redeunti marito dum ipsa pluribus cum lachrymis indicasset; ille, amicorum, & necessariorum concilio habito, ab iis persuasus est, ut ad Aulam proficisceretur, Regi turpitudinem exprobaret, & terris omnibus, quas à Rege tenebat, in illius manus resignatis, omnem obedientiam & homagium ei abrenunciaret. Quæ cum fecisset in Daniam abiit; Regique Godrico, apud quem educatus, cuique nonnulla sanguinis propinquitate conjunctus erat, se conferens, factumq; à Rege sibi dedecus ostendens, ultionem obnixe postulat. Ipso vero Daniæ res suas agente necessarii & amici sui se pariter ab obedientia Regis Osberti subducentes Ellam sibi in Regem elegerunt. Danus vero in occasionem Angliam invadendi satis pronus & vigilans Hinguatem, & Hubbam fratres (quos Lothbroci genitoris sui indigna apud Anglos cædes ad ultionem accenderat) expeditioni præfecit. Chr. Jo. Brom. Qui etiam Bruernum in prælio ad Chippenhamiam una cum alterutro fratrum occisum fuisse narrat. Sim. Dun. Osbertum, & Ellam fratres fuisse asserit, unumque alteri successisse; quos alii historicorum nullo sanguine conjunctos probabilius asserunt.

[b] De *Lodbrocko* alia prorsus tradunt Danorum Historici, neque tamen inter se conveniunt. Saxo in illius Historia multus est. Si non vererer Lectoris stomachum movere, principalia decerperem. Verum ejus nomen fuisse dicitur *Regnerus*, sive *Regenfridus* Sivardi filius, *Lodbrogh* vero dictus est, quasi hirsute vel villose braccatus. [Unde ortum fortassis quod *Hinguar* & *Hubba* filii dicantur Ursi, qui illos contra naturam de filia cujusdam regis generabat, ex antiquo Cod. MS. quem citat Weever. mon. funeb. p. 263.] Lode enim hirsutum, & brogue, etiamnum apud Hibernos, Anglo Saxones brec, Kiliano Broeck, braccas (ut apud Celtas) significat. Ita vero appellatum scribunt; quia cum serpente quodam infestissimo, Regis

Norfolciensi casu delatus est: ubi cum salvus in terram evasisset, Edmundo, qui tunc inter East-Anglos regnabat, in conspectum adducitur. Rex viri habitu insolenti, mirando appulsu, necnon singulari quadam ad omne genus oblectationes solertiâ, adeo delectatus est; ut, Auceps Regius, nomine Bernus, invidiâ permotus, hospitem, cum una sylvarum opaca subiissent, clanculum (uti creditur) trucidaverit; domumque reversus, quid de ipso factum sit se mirari simulaverit. Interjectis autem diebus non ita multis, Lodebrochi canis fame fere confectus regiam regreditur, pastusque confestim abscedit. Quod cum interjectis temporibus eadem de causa sæpius fecisset, Regis famulos tandem redeuntis vestigia observare jussos ad projectum cadaver perduxit. Omnibus igitur de istius cæde circumstantiis, Rege diligenter cognoscente, exploratis, Bernus cædis reus peractus, eidem Scaphæ, qua Lodebrochus ad terram appulerat, imponendus damnatur; adeoque sine commeatu, atque omni instrumento, cæco fluctuum arbitrio permittitur. Quibus peractis fortuna omnia eadem geminato exitûs stupore prodigia repetiit. Etenim Bernus pari fide istuc trans maria redditus est, qua Lodebrochus huc delatus fuerat. Cymba eodem relata, unde primum erat profecta, statim agnoscitur, ipseque Bernus in quæstionem raptus, sciscitantibus, quid Domino factum esset, exposuit; in East-Angliam quidem appulisse eum, sed ibi Edmundi Regis jussu fuisse interemptum.

Tempus ibi conterunt, donec aliis popularium suorum copiis aucti East-Anglos cadunt, Regemque Edmundum fœde trucidant,

20. His auditis Inguarus & Hubba filii, capitibus devotis in paternæ cædis ultionem, exercitum, quam cogere potuerunt maximum,

Regis alicujus filiæ custode, pugnaturus panno hirsutissimo se vestierit, gelantique aquæ se injecerit; ut humefactam vestem bruma duratam minus penetrabilem redderet. Post devictum *Haraldum*, Regni æmulum, Britanniam invasit, Regem *Hamam* occidit; magnamque Insulæ partem in Provinciam redactam filiis *Syvardo* & *Rathbartho* contulit. Suorum vero rebellione revocatus cum Carolo Magno pugnans, eum superavit. In *Angliam* dein rediens illi *Inguarum* filium præposuit; *Norwici* portum appulsus *Hellam* regem Gallis subnixum post pugnam triduanam fugavit. *Hiberniam* inde petiit, & *Melbrium* regem, *Dufflino* expugnato, occidit. *Hella* vero eodem delatus *Regnerum* cepit, eumque in carcerem conjectum colubris devorandum tradidit. *Hinguarus* patris necem vindicaturus, seq; *Hellâ* debiliorem cernens, audaciæ astum prætulit, & spatium arvi, quod equino tergo complecti potuit, in sequestræ pacis pignus impetravit. Quod in corrigias conscindens spatium urbi ædificandæ sufficiens obtinuit, urbem (quam *Don*- vel *Dong*-caster esse asserunt) condidit, & commeatu munivit. *Sivardus* interim & *Biorno* cum 400 navium classe appulsi *Hellam* vincunt, capiunt, plagâque aquilinâ [gladio sc: à scapulis per spinam dorsi adigentes, costas utrinque explicantes] interficiunt. Hæc (ut videat Lector curiosus uniusmodi fabulas totum mundum pervasisse) è Saxone Grammatico, qui ea copiose, & more suo, satis eleganter, describit.

Alii vero, inter quos Walsinghamus noster in Hypodi. Neust.) dicunt *Lothbrocum* Daniæ Regem omnes filios (prout alii ejusdem Regionis Principes facere consueverunt) præter eum, quem sibi hæredem destinabat, è patria demandasse cum exercitibus; vel piraticæ operam daturos, vel alias sedes quæsituros. *Lothbrocum* etiam plures habuisse filios, *Ivarum* sive *Inguarum*, *Ericum* sive *Horicum*, *Regnoldum*, *Sigvardum*, *Biorno*, *Agnerum*, *Vitsercum*, *Ubbonem*, *Fridlevum*. *Bier* vero sive *Biorno*, dictum ferreum-latus cum *Hastingo* educatore suo Franciam invasisse. Sed & ipsum *Regenarium* (quem *Regnerum Lothbroch* fuisse nullus dubito, sicut nec eruditissimus Pontanus) etiam Franciam multis malis affecisse; donec *Carolus Calvus* ingenti pecuniâ pacem ab eo mercari coactus fuerit. Addunt etiam hunc *Regenarium*, dum se suasque adversus *Calvum* victorias, præcipue vero Sancti Germani Abbatiæ devastationem, Regi *Rorico* jactaret, diceretque plus ibi mortuos quam vivos potuisse, (quod solos D. *Germani* manes occursantes habuisset) continuo collapsum, atque post triduum expirasse. Comilitonum quoque permultos, qui Sacrilegas ædi manus intulissent, dysenteriâ extinctos. Sed hæc temporibus Ælfredi non satis congruunt. Quicquid ergo sit de Lodbrocho, sive eodem, sive pluribus, omnes Authores in hoc conveniunt, filios ipsum binos habuisse, eosque crudelissimos *Inguarum*, & *Hubbam*, sive *Ubbonem*.

ſecum in Eaſt-Angliam perduxerunt. Ibi cognito, quod Regi armis aggrediendo impares eſſent, ad dolum, quem ſuperius oſtendimus, impræſentiarum confugiunt; & tempus per diverſa terrarum extrahentes, donec popularium aggregatione numeroſiores facti, Eaſt-Angliam denuo invadunt. Nunc autem violentiâ & immanitate morum produnt quid ſibi velit iſte reditus: nec tamen eo minus Regem colloquii ſpecie ludificantur, donec omnes undique copiæ in unum locum convenirent. Rex, cum videret diu collectam tempeſtatem in ſuum unius caput ruituram, præter Magnatum conſilia, illis occurrere parat. Coactus autem alicubi prope Thetfordiam prius in aciem deſcendere, quam agmina probe inſtruxerat, exercitu fere ad internecionem deleto, vincitur, & ipſe vivus in manus hoſtium pervenit: à quibus in Chriſtiani nominis ludibrium veſte ſpoliatus, flagris cæſus, & ad palum deligatus, ſagittis denique configitur.

21. Eximia Regis hujus pietas & devotio, crudelem adeo exitum ſortita, in cauſa fuit, cur in Sanctorum Martyrum relatus fuerit numerum: Monaſteriumque ex pulcherrimis, quæ in Orientali hujus Inſulæ plagâ extiterunt, in honorem ipſius extructum habuerit. *Qui pro Martyre habitus eſt,*

22. Verum adeo lethiferum vulnus per hanc Regis Edmundi cladem patriæ inflictum eſt; ut Eaſt-Anglorum Regno pariter extincto, totus ille tractus Danorum ditionis deinceps factus fuerit: quo poſtea & ædes fecerint, & incolere cæperint [a]. Victores enim illi nihil minus in animo tunc temporis habuerunt, quam ſedes figere & agros colere: verum ibi ſe muniverunt, ut novas copias ſubinde acciperent, & excurſiones in diverſas inſulæ plagas tutius renovarent: donec tandem has graſſandi atque omnia diripiendi vices obeuntes ad an. Dom. 871, Redingum accedunt. Oppidum id in agro Berchieriæ ſitum privati patrimonii jure ad Weſt-Saxonum Reges peculiariter ſpectabat; adeo ut gymnaſium illud artis bellicæ, quod Ælfredus cum fratre non ita pridem foris quæſierant, jam ipſis domum velut ante fores delatum fuerat. *Et regnum ipſum penitus ſubigunt.*

23. Hoc anno aliud appulit Danorum examen, inſtar diluvii (referente Huntingdono) Bagſægo & Haldeno ducibus. Exercitus hic admodum numeroſus ſub ſuis ſignis ad tempus conſtiterunt; quaſi ſeorſim ſibi conſulerent. Verum re maturius perpenſâ, reliquis hic loci popularibus adjunctis, Redingum una deveniunt; oppidumque una cum caſtello occupant. Dein foſſa Thameſin Kennetto jungentes totum illud ſpatium inſulam pene efficiunt; partemque copiarum munitioni præficientes, reliquos omnes ſub duobus Comitibus emittunt; qui fæcundam illam planitiem inter duos amnes porrectam vaſtarent, *Novus Danorum exercitus ſub Bagſago & Haldano Redingum occupat,*

[a] Quando ſcilicet Ælfredus ipſum Gothrumno Chriſtianam Religionem amplexo jure feudatario conceſſit.

 atque

atque depopularentur: quos Bercheriæ comes Ætheluulfus ad Englesfeldiam obviam sibi factos, uno ex eorum Comitibus occiso, profligavit.

Ubi obsidentur,

24. Interim Æthelredus Rex, una cum fratre Ælfredo armorum socio, militibus, quantâ fieri poterat celeritate, contractis, ad Redingum, septimo quam à Danis captum est die, cum exercitu veniunt: &, quod primo æstu flagrantes solent (uterque enim adolescens in ætatis flore positus integrum atque recentem duxerant exercitum) propugnacula noviter facta, & omnem aditum valide perrumpunt, hosti perturbato terrorem injiciunt, obvios quosque occidunt: iis solis evadentibus, qui in oppidum aut castellum subito recepti eorum furori se subduxerunt.

Obsessi vero sese liberant, & ad Æscedun ingenti prælio vincuntur,

25. Ita Danis intra munitiones compulsis, Saxones se victoriam adeptos temere opinati, neque satis prudenter secum reputantes hostium multitudinem majorem esse quam quæ arctis vel oppidi, vel castelli limitibus diu concluderetur; dum hoc successu freti incautius agunt, hostis ex desperatione fortior, eruptionem in eos fecit; tam inopinata animi fortitudine atque audacia, ut Regio militi consternationem incusserit, qui nihilo secius pari diu fortunâ prælium sustinuerunt; donec occisis West-Saxonum compluribus (inter quos etiam magnanimus ille Bercheriæ comes Æthelvulphus) reliqui variis in locis aliquantum cedere cæperunt, & tandem omnes prælium deserunt. Verum contumeliæ pudore commoti, animoque impatientes quoad acceptum detrimentum inimicis rependerent, intra quatriduum, summo studio atque alacritate elati, in locum **Æscedun** dictum, haud procul Redingo, conveniunt; quo etiam Dani re nuper bene gesta inflati, novis item militum copiis auctiores, jamque pugnam nihilo magis detrectantes quam ipsi Saxones, cum toto exercitu descendebant. Quem & bipartitum statuebant: cujus agmen alterum geminis Regibus commissum, alterum similiter eorum Comitibus.

Ab Æthelredo precibus, dum prælium instaret, intento.

26. Æthelredus, observatis hostium ordinibus, suas quoque copias in duo agmina dispescit; quorum alterum adversus Reges ipse Rex ducit: illud vero alterum Comitibus oppositum fratri Ælfredo permittit. Luce jam inclarescente, & utrisque manum conserere gestientibus, dum Æthelredus in prætorio precibus intentus est, quas (Sauli Israelitarum Regi dissimilis) ut inchoatas abrumperet, nullis classicis vel clamoribus adigi potuit, clare professus, se nunquam, quoad viveret, commissurum, ut divinum pro humano desereret servitium. Exercitûs interea Danicus ferox & exultabundus ita generosos Ælfredi juvenis spiritus accendit, ut, fratre longiusculas moras trahente, cum hostile convitium diutius sustinere non posset, ante prælium commisit, quam Rex ipsi subsidio venturus in procinctu staret, quamvis iniquo

1 Sam. 14.

loco (collem enim superiorem occupaverant Dani) pugnam tamen acrem diu sustinuit: donec tandem & loco, & copiis inferior, aciem inclinare, & pedem referre cœpit. Quod ubi sensit hostis, eo vehementior occasioni instabat, adeo ut totus Ælfredi exercitus loco cedere coactus pene fugam cogitaret. Quo tandem tempore Æthelredus (quem ita sero affuturum minime speraverat Ælfredus) cum esset conspectus, & Saxonibus admodum laborantibus opportune suppetias venisset, adeo Ælfredi milites in integrum restituit, Danosque graviter urgentes ita valide submovit, ut immensa strage edita reliquos in fugam conjiceret.

27. Hoc in prælio Bagsægus, unus ex eorum regibus, occubuit [a]; & quinque comites; nominatim Sydrocus uterque, Osbernus, Frænus, & Haraldus. Qui vero fuit occisorum numerus in priscis horum temporum commentariis haud fere definitum invenias; uti neque quot numero milites in aciem utrinque educerentur. Verum ingentem cædem fuisse factam vel hinc æstimare licet, quod *multa eorum millia* (ut refert Asser) *in eodem loco, & insuper per totam campestrem Æscedune latitudinem ubique dispersa, longe, lateque occisa corruerint.* Siquidem Paganos fugientes Christiani insequuti spoliaverunt *usque ad noctem, & etiam usque ad diem sequentem, quousque ad arcem, qui evaserant, pervenerunt.*

(Occiso Bacsægo & quinque Comitibus)

28. Utcunque vero Regis cunctatio, Ælfredo cladis (si qua accidisset) infamiam, Regi autem ipsi victoriæ laudem integram contulisse visa fuerit; Vetus tamen quidam Poeta, Cambdeno in Redingi descriptione laudatus, propius fortassis utriusque factum examinans, quam nobis post tot sæcula hodie conceditur, Ælfredo victoriam attribuere non dubitat his versibus;

Et fratre ejus Ælfredo maximo victoriæ momento

> *Redingum nitidum texendis nobile pannis,*
> *Hoc docet Ælfredi nostri victricia signa*
> *Bagsegi cædem, calcata cadavera Dani,*
> *Utque superfuso maduerunt sanguine campi.*

29. Hæc autem victoria (potius præsagium quomodo res Ælfredo successuræ erant, quam armorum certus aliquis progressus) clade confestim rependitur post decimum quartum diem Christianis illatâ; circa Basingas, quod est agri Hantoniensis oppidum. Ubi Rex cum Ælfredo rursus ab iisdem hostibus, novi militis supplemento confirmatis, superantur. Vincuntur & Mertunæ, sive Merdenæ (prope Devisas in

Dani novo supplemento firmati Basinga, & Mertuna Saxonas pellunt.

[a] *Æthelredus cum suis Christianis ab inferiori ascendens æmulos suos devicit, & lanceâ, quam manu sua gestabat, Regem Oseg viriliter interfecit, & alterum regem gladio, quo cinctus fuit, vitâ privavit.* Jo. Bromp. & Floril.

Comitatu Wiltonensi) ubi Dani per ipsos fusi fugatique,[a] viribus re-collectis, Saxonibus ex manu victoriam eripuerunt. Maxime vero Saxonum prosperitati obfuit recens eorum populorum huc accessio; qui ab exteris regionibus transmittentes statim ab his geminis victoriis cum suis hic ex eadem gente congregantur. Insuper, quo successus suos elevandi major daretur occasio (quibus etiam excipiendis paratiores facti erant) Æthelredus solus ille Rex, qui grassantibus obsistere ausus, ex vulnere, quod Merdenæ acceperat, obiit; postquam per [b] quinquennium egregii Principis officio functus esset.

Æthelredo mortuo succedit Ælfredus, *anno 871.* *Ætatis Ælfredi 22.*

30. Æthelredo mortuo succedendi vices Ælfredo obvenerant, tam ex Æthelwolphi patris testamento, quam ex suprema defuncti Regis Æthelredi concessione. Prius enim quam Æthelredus in Regem inauguraretur, de rebus ipsorum pacifice componendis mutuo agebant; & Æthelredus, non paucis ex Nobilitate præsentibus, Ælfredi jure ad fundos quosdam à patre legatos agnito (quibus tamen possidendis ad id temporis, uti videtur, arcebatur) fidem suam obstrinxit; quod si quando regnum sibi obtingeret, non tantum Ælfredo quietam possessionem fundorum, qui ex patris testamento ei debebantur, concederet; verum etiam in æquam territorii partem, quantumcunque contingeret ipso adjutore ab hostibus eripi, admitteret. Postea autem Æthelredus regno potitus, cum imperii finibus Ælfredo armorum socio, prolatis ab eodem fidei pactæ admoneretur, factum renuit; soli-

[a] *Et tum de illo loco quidam Danorum Tyrannus, Somerled nomine, usque Radingum regrediens, villam, & quicquid ibi reperire poterat, destruxit.* Jo. Brompt. De hoc Sumerledo altum apud omnes alios historicos silentium, licet nomen tale alibi reperio; adeo ut suspicer è verbis illis natum fuisse in Chron. Saxon. an. 871. æfter ðissum gefeoht com micel sumorlida to Rædingum. Wheeloci codici defuisse videtur to Rædingum: transfert autem, *sequitur hanc pugnam ingens æstiva lues.* Alii vero (secundum Æthelwerdum) malunt; *advenit sine numero æstivus exercitus in locum Redingum.* Somnerus potius velit, *æstiva tranquillitas.* Ac si, Dani post illud prælium Redingum regressi, æstatem ibi tranquille transegerint. Cui etiam astipulatur eruditissimus Franc. Junius jam noster, cui refragari non licet. Tunc autem, cum novies, vel (ut alii) octies, eo ipso anno pugnatum dicatur, justisque præliis, præter equitationes & velitationes pene infinitas, dicendum videtur, prælia illa contra alios exercitus fuisse, qui in partibus australibus appulerant. Bromptonus recenset pugnas ad Waltonam in Sussexia, Londinum, Chippenhamiam (ubi Hubbam & Bruern. Bocard. occisos asserit) & Abindoniam. Exercitus autem Redingensis plurimum, ut videtur, debilitatus quievisse poterat usque ad annum sequentem, quo Londinum occupavit.

[b] Obiit Æthelredus Wittinghamiæ, sepultus autem erat Winburnæ in Ecclesiola, quæ etiamnum Ecclesiæ domus appellatur. Conditæ autem postea templo Basilicæ admodum magnificæ illatum est ejus sepulchrum; quod usque ad bella nupera civilia integrum perstitit, cum hoc epitaphio. In hoc loco quiescit corpus Sancti Æthelredi Regis West-Saxonum, Martyris, qui anno Dom. 872, 23 die Aprilis per manus Danorum Paganorum occubuit. Not: vero est, quod licet Lelandus & Camdenus, annum 872, & Camdenus quidem 23 Aprilis diem, scriptum asserunt; Asserius tamen, Chron. Sax. & Flor. Wig. eum anno 871 obiisse dicunt. Camdeno assentiuntur, qui inscriptionem ipsam (non ita pridem ablatam) recordantur. Filios dicitur reliquisse, primum Ælfredum, Fabii Quæst. Ethelwerdi, Regi Edgaro Consiliarii & Thesaurarii (qui historiam suam (sicut & Witichindus, circa an. 969,) inscripsit Matildæ (Quedlinburg) Quintelineburgi Abbatissæ, Othonis Imperatoris, & Edgithæ (Eadivam alii nominant) Edwardi senioris filiæ avum: & secundum Oswaldum, cujus Pater ipse meminit in charta donationis cujusdam ab ipso factæ Monasterio Abingdonensi. Filiam unicam Thyram Gormundo Danorum Regi nuptam, ex quo filium tulit Haraldum; Haraldus Sueinum; Sueinus natos habuit Cnutum magnum Angliæ, Daniæ, &c. Regem; & Ostrydam etiam Sueini Junioris matrem, & Thyram Comitis Godweini uxorem. Thyræ Saxo, Cranzius, aliique Danorum Historici mira tribuunt encomia; utpote quæ rem Danicam salubrium consiliorum opportunitate, & ingentium nobiliumque structurarum magnificentiâ eo provexerat, ut Danebod, i. e. Daniæ majestatis caput ab omnibus indigitaretur.

dam

dam ditionem se non posse imminuere, præ se ferens. Verum ut omnia integra per totam vitam reservarit, ita sibi Ælfredum, modo post mortem ipsius superesset, hæredem ex asse relicturum[a]. Quin Ælfredus, utcunque debitâ patrimonii atque mercedis possessione in diem incertam differretur, animo tamen ad omnia toleranda composito, fidelem Æthelredo, quoad is in vivis esset, operam, quoties Reipublicæ tempora postulabant, impendere perseveravit. Quum autem æquum erat sperare, ut imperium à fratribus relictum, quicquid sub eorum regimine passus esset, abunde compensaret; ipsum tamen bellis adeo concussatum, atque in eam erat conditionem redactum, ut periculum esset ne statim ab ipso divelleretur; tantumque aberat mercede, quæ tam diu sperabatur, persolvendâ, quantum prius fraternarum promissionum solutio satisfactioni suæ defuisse videbatur. Hic Ælfredus, vehementer petente, & multum obtestante Archiepiscopo, magnatibus insuper West-Saxoniæ, totoque populo, cujus vel maxime interfuit virum idoneum, huncque ipsum præ omnibus, clavo admoveri, suppliciter rogantibus, ægre tamen exorari se passus est, ut Reipublicæ tot periculis tunc expositæ tutelam susciperet. Tandem vero salute patriæ privatis affectibus antepositâ oneri humeros alacriter supposuit. Et Wintoniæ, magno populi cum gaudio, plausuque, denuo coronatur. Hoc, illis utcunque avide expetitum, Rex tamen perinde accepit, ac si festinanti ad desiderata studiorum otia mora inevitabilis objiceretur; authoramentum revera ad quotidianas pugnas atq; discrimina recte æstimanti videbatur; titulusque potius delatus, quam regnum erat acceptum. Quandoquidem viribus hostium probe perpensis, imperium propriæ virtuti, prius quam auræ & suffragiis popularibus, acceptum ferri debebat. Et sane adeo ardua res erat Rem-

Chron. MS. de Regibus Angliæ in manibus Ill. Iust. Ducis Norfolc.

[a] *Volentes Angli*, inquit Malmsb. *in potestatem Ælfredi concesserant, gaudentes se talem virum edidisse, qui posset eos in libertatem evehere. Regnum*, inquit Goodricius, *malis civilibus hostis potentioris accessu jam liberum, æmulis cæteris vel fato communi absorptis, vel sponte cedentibus, solumque Ælfredi dominatum rebus suis afflictis utiliorem censentibus, Ælfredus monarchico prorsus jure adiit.* Verum, ut mihi videtur, rectius Autor noster regnandi potestatem justam à Patris ordinatione, fratrisque legato asserit. Quod & ipse Ælfredus in testamento suo, Asserii editionibus adjuncto, satis evidenter confirmat. Convocatis enim totius West-Saxoniæ Proceribus jus suum, tum ad ipsum Regnum, tum ad hæreditatem privatam explicans; hortatur eos, ut libere eloquantur, *Si unquam audirent de aliquo vel cognoscerent, qui de hæreditate sua aliquid jus acclamare juste posset. Mea*, inquit, *voluntas non est aliquem meorum consanguineorum in aliquo dishæreditare. Et tunc omnes Principes & Seniores populi mei sub firmâ attestatione dixerunt, quod nunquam ad eos devenit notitia de aliquo, qui justiorem haberet titulum, quam ego: neque cogitare noverint de aliquo, neque in scripturis invenire potuerint; & in festinam mea hæreditatis me iterū imponentes dixerunt; ecce jam habes hæreditatem tuam, &c.* Reges sc: nostri regnum, tanquam *feodum simplex*, tenuerunt, & de ipso disponendi plenariam habuerunt facultatem. Et inde factum est, ut frater fratri, ante filium ejus, frequenter succederet. Sic Æthelredus frater Wulferi ante Kenredum Uulferi filium; & Kenredus ante Celredum Æthelredi filium; Bertulfus ante Westanum Withlasii nepotem; Eadredus Eadmundi frater ante Eaduuigum Edmundi filium; Et Edwardus, Confessor dictus, regnum cepit vivo fratris sui senioris filio Edwardo, hujusque filio Edgaro, quem tamen in spem regni educavit. Plurima hujusmodi exempla apud Saxonas nostros inveniuntur; maxime si vel ætatis infirmitate, vel alia ad imperium ineptitudine, vel sæpe etiam si minoribus meritis impediebatur. v. Rad. de Diceto, p. 454. Sed & filius minor majori prælatus est, ut Ercombertus Redbaldi filius regnavit vivis fratre seniori Ermenredo, binisque ejus filiis. Et legitimo naturalis; sic enim Eduardus Ælfredi nostri filius Æthelstanum è concubina, cujusdam Berkeri filiâ, natum legitimo filio anteposuit. Quam ob causam Ethelfredum adversus Ædelstanum seditionem movisse asserit Malmsburiensis.

pub: ita invalidam & quaſſatam ſtabilire, ut, quamvis regi haud unquam virtus defuerit, ratio tamen & conſilium, illud quod ſuſceperat præſtandi, haud uſquam comparuit. Cum enim intra hujus unius anni decurſum octo juſtis præliis, præter velitationes infinitas, decertatum eſſet, nimium attritæ ſunt Saxonum opes. Hoſtis autem, inſtar belluæ multicipitis, capitibus, quoties ſucciderentur, repullulantibus, ad novam impreſſionem, qua Regi recens creato occurreret, protinus ſe accinxit.

Pugnat cum Danis ad Wiltunam,

31. Jam vero Stivæ manum Rex admoverat; omneſque ſuas, ſuorumque fortunas periculo expoſitas cernebat. Neque reſpectare licitum erat, neque arduum deliberare: cum hæc omnino daretur optio, vincine malit, an abſorberi. Coactis igitur, quantas potuit maximas, copiis (hoſtilibus tamen plurimum diſparibus) cum menſe nondum toto regnaſſet, iterum eodem anno in campum deſcendere contra vires Danorum conjunctas cogebatur: qui ad collem Wiltonæ (Comitatus cognominis partem) congregati, cum ingenti faſtu, qui ſecum congredi auderet, reſpiciebant. Eo ſe contulit Ælfredus, & commiſſo prælio, majorem diei partem fortuna ſe æquam utriſque præbuit; ſub extremam ad Regem adeo propendit, ut inimicos fugaverit; demum vero, dum Saxones nimio vincendi ardore cedentibus avidius inſtarent (paucitatemque inter inſectandum magis conſpiciendam, quam inter pugnandum, dederant) Dani collectis animis pugnam adverſus paucos, eoſque feſſos redintegrantes, victoriam, quæ jam in manibus Saxonum videbatur, eripuerunt[a].

Et cum iis pacifcitur, qui inde Londoniam, Torkſeiam, Reptunum ſe conferunt; Burrhedumque Merciorum Regnum deſerere cogunt.

32. Quanta cædes à Danis tunc facta fuerit, non conſtat; verum haud magna clades Saxonibus, uti videtur, accepta. Nam quamlibet illi potiori jure victoriam adepti exiſtimabantur; merito tamen in dubium vocari poſſit, utris attribui debuerit. Quippe ita res ſuas ordinavit Ælfredus, ut rationem invenerit, victores ad pacem amplectendam adigendi; iiſque legibus, ut illico Regni finibus militem deducerent, atque protinus excederent. Neque vero Danos latere poterat, ſe jam armis ſuperiores, liberam quocunque vellent eundi, & de omnibus pro libitu diſponendi poteſtatem habere (quod ipſum fatis apud eos ad omnem pactorum religionem tollendam ſufficeret;) ſed ſive meminerant ſe vix & ægre è manibus Ælfredi nuper elapſos, ſeu forſan oculi alioríum conjecti diverſos traherent, relicta ex pacto West-
872. Saxonia, Londinum perveniunt. Quod (etſi jure regno ſubjaceret Eaſt-Saxonum tunc tamen) Burrhedo Merciæ, ſeu Mediorum Saxonum Regi paruit, & ab iſtis uſque temporibus agro Middleſexiæ attribuitur. Ubi & hibernant, & nulla ratione pacis olim cum Burrhedo

[a] Videtur Ethelwerdus (cujus hiſtoriæ mendoſum adeo extare codicem lamentamur) dicere Ælfredum hoc tempore à prælio abfuiſſe fratris funere impeditum. Danos vero ſterilem victoriam acquiſiviſſe.

factæ

factæ habita, regionem, quaquaversus patebat, depopulantur. Deinde pacem cum illo rursum pacti, relicto Londino, sibi sumunt hiberna Torkseiæ intra Lindeseyam; in Aquilonari Lincolnia, sub ditione vero Regis Northumbrorum. Verum eæ partes citius ob priora damna vastatæ fuere, quam ut hostibus diu sustentandis sufficerent. Anno igitur insequenti Reptunam demigrant,[a] in agro Derbiensi, intra Regnum Merciæ; ubi, prorsus immemores fœderis cum Burrhedo initi, regionem rursus, dum ibi hibernarent, dilacerant. Ter cum Rege illo transegerunt, nihilo secius interea perpetuis latrociniis terram adeo infestarunt, ut tandem patriam deserere coactus Romam profugerit. Quo ibidem defuncto Merciorum universum Regnum sibi afferunt, quod & Ceolwolpho cuidam (Saxonum turpi desertori) ex ipsorum arbitrio administrandum, demandant.

an. 873. æt. 24. Reg. 1.

an. 874. æt. 25. Reg. 2.

33. Nullus jam ex Heptarchis Saxonicis restabat, præter unos West-Saxones, qui potentiæ ipsorum omnino resistere poterant. Quin illi etiam (licet id temporis omnium validissimi, & à quibus Dani acerrimam resistentiam experti sunt) perpetuis tamen itineribus, & præliis novies intra unius anni circuitum commissis delassati, grassatoribus tandem, novis auxiliis indesinenter auctis, cedere coacti sunt. Regna vero quod attinet East-Anglorum, Northumbrorum atque Merciorum, ea quodammodo desolata, vel omnino ditionis Danorum facta sunt; qui jam ubique scatebant, & nullis indigenarum viribus repressi vel coerciti, importune dominabantur. Multi ex ea turba jam ædes struere parant, & incolere ea loca, quæ prius non nisi prædabundi obierant. Quippe suo tandem periculo edocti, ubi eos omnes consumpsissent, quorum laboribus hactenus se sustentassent, restare porro, ut sedibus ipsi positis suos sibi agros colere tandem inciperent.

Adeo ut West-Saxones sol[i] Danorum furoribus resistere.

34. Hoc rursus anno, homines ejusdem generis, infinito numero, ducibus Gothrunno, Oscitella, & Amundo, (tribus regibus) huc se infuderunt; qui reliquis Reptonæ agentibus sese statim aggregarunt: adeo ut numerosiores facti, quam qui eodem in loco sive laboribus, seu ex rapto, se alere possint, multipartito agmine in diversas regio-

Quibus tres alii Reges cum novo exercitu accedentes

[a] Reptuna nobilissimum & amplissimum monasterium, Regum insuper Merciorum sedes, & sepulturæ locus. Duxit hos Prædones Haldenus, eoque convenisse dicuntur tres alii eorum Reges; Godrun (ab aliis Gormo, Gurmund, Gythro dictus) Osketill, & Andwyn. Chr. Mailr. anno 874. Sed de his præstat Ingulfum audire, p. 495. *Pagani anno Dom.* 874 *redeuntes, in Merciam apud Rypadiam hyemarunt, monasteriumque celeberrimum, omnium regum Merciorum sacratissimum Mausoleum, funditus destruxerunt.* [Et hinc est, quod nihil fere de Merciorum Regum sepulchris vel epitaphiis ad nos descendit.] Beorrhedus, cum *viginti duobus annis regnasset, totamque terram Angliæ in omni suo angulo cædibus & rapinis barbarorum vastatam videret, vel de victoria desperans, vel tot laborum labyrinthum fastidiens, regnum reliquit*—— *Cui successit in regnum Merciorum subrogatus per Danos quidam Servorum Beorrhedi Regis* Ceoluulphus, *Anglicus genere, sed barbarus impietate.* ——*Ille itaque circuiens terram paucos rusticos relictos excoriavit, mercatores absorbuit, viduas & orphanos oppressit, religiosos omnes, tanquam conscios thesaurorum, innumeris tormentis afflixit.* ——*Qui tandem per Danos Dominos suos, justissimos in hoc, depositus est, & usque ad ipsa verenda nudatus misero fine vitam terminavit. Regnum quoque Merciorum hoc temporis momento, prævalente contra Danos Ælfredo, suo regno West-Saxonico sociatum est.*

an. 875. æt. 26. Regni 3. nes diducuntur. Horum pars Haldeno duce in terram Northumbrorum anno 875 reverſi ante deſolatam, facile eam inter ſe partiuntur; ibique, incurſionibus interim factis in Pictos, in Stratduccenſes[a], & quantum indigenarum in circuitu reſtabat, conſederunt.

Grantebrigiam & poſtea Werhamiam inopinato occupant.

35. Danorum noviſſimi, qui ſub tribus Regibus in terram hanc immigraverant, quorum exercitui quotquot etiam è prioribus voluerant ſeſe adjunxerunt, immunes à conditionibus inter Ælfredum & Danos priores pactis, per Merciæ Regnum paſſim volitantes, eodem anno Grantbrigiam deveniunt, & quod anni illius reſiduum erat, ibi commorati; proximo anno, copiis de nocte eductis, perpetuis itineribus profecti validam Werehamiæ arcem, cum Monialium cœnobio, opprimunt. Quæ in agro Dorſettenſium [b] flumini Weræ intra Weſt-
876. æt. 26. Reg. 4. Saxoniæ Regnum adjacent; quo etiam, velut in fidam ſtationem, naves, in quibus trajecerant, ſubducunt.

Ælfredo tamen obſidibus, & juramento ſolenni ſpondent ſe à Weſt-Saxonia abituros.

36. Hoc factum in eas anguſtias Regem compulit, ut ad pacem cum iis atque pactionem quærendam coactus fuerit; quæ quidem utcunque redemerit, non omiſit hanc conditionem, ut hi, quemadmodum reliqui, regni ſui finibus excederent; & in univerſum territorio ipſius poſtmodum abſtinerent. In has leges cum eſſet conventum, pax ea Sacratiſſimo Religionis, quæ tunc obtinuerat, ritu, ſolenni ſcilicet Paganorum jure-jurando per Sacro-Sanctas Eccleſiæ reliquias, ſancita & confirmata eſt. Et hoc magnam Regi Ælfredo fiduciam creavit (ut ſcriptor quidam) non eo, quaſi infidelium animos hoc ſacramento multum devinciri poſſe exiſtimaret (neq; enim illos unquam antea hujuſmodi juramento obſtringi paſſus eſt) verum ut in extremis poſitus, neque expectato aliunde ſubſidio, ſpem omnem in hoc uno repoſuerat; ut ſi fidem hanc ei datam fallerent, ipſe quidem Deus etiam ab iis tam ſolennis perjurii pœnas certiſſimas exigeret [c].

[a] Chr. Sax. Stræcladweales; Flor. Streat-gleduwall; Ethelwaldus Cumbros nominat.

[b] Inter duo flumina Fraw & Trentam, hodie Frome & Piddle; & in pago, qui Saxonice dicitur Thornſæta tutiſſimo locorum ſitu, niſi ad occidentem, ubi terræ tantum contigua eſt. Flor. Wigorn.

[c] Dicit Aſſerius (ad an. 876.) Paganos *Regi juraſſe in omnibus reliquiis, quibus Rex maxime poſt Dominum confidebat. In quibus & ſuper armillam, ſuper quam nec alicui genti prius jurare voluerunt, &c.* Ritus enim jurandi apud Danos erat per arma ſua. An. Fuld. p. 37. Solennius vero juramentum videtur per armillam, Imperii, vel ſaltem eximiæ nobilitatis inſigne. *Poſita in Brachio ejus* [Guthredi] *dextro armilla in regnum* [apud Northumbros] *inſtituitur* [ab Ælfredo.] Sim. Dun. narratiunculam quandam apud Jo. Tinmuth, l. 21. c. 117. in Bibl. Bodl. referre, quoniam ad regem noſtrum pertinet, non erit extrà locum. *Ælfredus,* inquit, *ſylvam quandam venandi gratià quadam vice adiit, & vocem parvuli vagientis in arbore audivit; & à Venatoribus, quid hoc eſſet, inquiſivit. Qui arborem aſcendentes invenerunt in ſummitate arboris, in nido aquilæ infantem elegantem, forma conſpicuum, habentem in corpore notam quaſi regificum ſignum, purpureo pallio involutum, in brachiis armillas aureas, nobilitatis indicium, ferentem. Quem Rex baptizari fecit, & à nido Neſtingum vocans nobiliter educatum in Comitem provexit.* De juramento vero ſuper Armillas Arngrimus Iſlandus, c. 7. hæc habet, *Religionis ſeptentrionalium* [Iſlandorum ſuorum maxime] *ut juramentum præſtituri, adhibitis teſtibus, annulum in ara Deorum aſſervari ſolitum, & in foro judiciali à Judice ſupremo in brachio* [armilla ergo erat] *geſtatum, hoſtiumque ſanguine illinitum attrectare,* Quod ſi è verbis Aſſerii non videtur armilla fuiſſe Chriſtiani cujuſdam ſanctitate conſpicui reliquia, (nec enim video cur unam magis quam aliam, qui nullam prorſus ſacram exiſtimabant, refugerant) dicendum videtur; Danos à Rege infidelitatis acriter taxatos, ſolenniſſimum (quod haberent) per armillam ſc: ſacram ſuam Regi juramentum obtuliſſe; cui ille parum confiſus ab iis jusjurandum ſupra Chriſtianorum ſacras reliquias exegit. Æthelwardus autem reliquias omittit.

Fidem vero fallentes Exoniam aggrediuntur.

37. Hanc in pacem jurati, simul & obsides citra omnem tergiversationem, quot, & quos vellet, Regi dantes, continuò, quod vere Barbaros decuit, nulla fidei, aut juramenti, aut charissimorum pignorum ratione habitâ, ne prætextu quidem ad excusandum facinus, quod designabant, adhibito, omnem Regis equitatum subito involant. [a] Equites enim Regii semper ipsos, quoties alio migrabant, in itinere mirandum in modum impedire soliti, adeo in crebris his incursionibus Regi maximo usui fuere. Cum igitur agasones & rectores equorum, quos Rex ibidem habebat, ad unum omnes interfecissent; ipsis equis inscensis raptim in Devoniam profecti, Exoniam Uscæ flumini adsitam, in loco per totum Ælfredi regnum ab eorum prædationibus maxime immuni, occupant. Quo etiam cæteras omnes copias Werehamiæ relictas in unum navibus convenire jusserant.

Exancester, vel Catt-wisc.

Quos Ælfredus prosequitur, & cum iis confligit, interim

38. Ælfredus hostium fide minime innitendum expertus ad arma confugit; hoc uno fretus, quod post omnem operam strenuissime navatam in omnibus voluntatem atque nutum divinum opperiri deberet. Quapropter cohortatus milites, ut sponte, quæ necessario subeunda, susciperent; effecit, ut hoc supremo atque efficacissimo proposito muniti, ne quam scilicet salutis spem alibi reponerent, quam in summo vitæ discrimine adeundo, nulli non periculo se alacres obtulerint. Quæ autem temporibus continenter insequutis gesserint, aut quo ordine, quamvis sigillatim nosse non sit nobis datum, nihilominus ex fide dignis autoribus constat, (quod tamen omnem fidem excedit) hoc ipso anno septies iterum instructâ acie Ælfredum adeo obstinate cum Danis colluctatum; ut immenso sanguine effuso fœdus ab iis rursus expresserit. In quo inter alias hæc nova lex habetur, tum primum addita, ne quos amplius ex popularibus Dani in hanc insulam transportari paterentur.

Rollo Angliam cum classe appellit, brevi autem deserens in Franciam trajicit.

39. Hic annus fuit 876, insuper memorabilis ob primum celeberrimi illius Rollonis in Gallias appulsum; quod eo magis mihi notandum, quia non tantum popularis, verum etiam pars & ex numero, eorum, qui terram hanc ingressi pessum dederint. Ubi cum ipse, so-

[a] Huntingdonius (f. 200. b.) & Chron. Sax. magna cum verisimilitudine asserit, exercitum in fine anni, & eadem nocte, postquam Regi juramento se obstrinxerant, quotquot equites erant Excestriam perrexisse; cæteros Werhamiæ relictos anni proximi initio partim navibus impositos ad Suanavic naufragio periisse; partim pedibus ad commilitones suos Excestriam abiisse; eoque prius, quam Regii eos assequi poterant, pervenisse. Rege autem Excestriam arctâ obsidione premente, Danos cum ipso discessum suum pepigisse; quod & subito præstiterunt, & in Merciam ad Glocestriam (Ethelw.) abeuntes, Regnum illud inter suos & Ceoluulphum diviserunt. Solus Asserius, eumque fere transcribens, Flor. Wigorn. equites Regios omnes unâ nocte à Danis occisos nullâ admodum cum verisimilitudine scripserunt. Sicut & Ethelwerdus solus asserit, Ælfredum pacem ab hostibus pecuniâ comparasse. *Rex*, inquit, *pactum cum eis pacis confirmat, simulque pecuniam dando. Ipsi vero dant ei obsides: electi qui tum in exercitu videbantur obtutu regum eorum, eisque statuunt jusjurandum in eorum armilla sacra, quod cæterarum regionum fecere nunquam.* Dani vero, qui in Merciam recesserant, ibi æstatem totam consumentes, posthabitis juramentis subito in unum collecti, ipsa nocte Epiphaniorum, Chippenhamiam regiam villam, & præcipuam fere Regis sedem, furtim & inopinato aggrediuntur; & inde totam fere West-Saxoniam prædabantur.

ciique ejus paulo asperius, & severius in ludo armorum ab Ælfredo exciperentur; hoc ipso anno hinc in Normaniam trajecerint; ubi Ducatus illius inclyti fundamenta posuit; unde Reges nostri hodieque rectam ducunt originem [a]. Præterea discessus hic Rollonis non tantum Ælfredum tempora difficilia & armis exercita subiisse arguit: verum etiam terram ipsam Danorum multitudine adeo laborasse; ut omnibus calamitatibus, quæ ab inimico insolenti infligi solent, Saxones indigenæ oppressi fuerint. Nam utcunque Rollonis abitus in somnium quoddam, quo dicitur in Galliam arcessitus, conferatur, extra dubium tamen veriori & efficaciori profectionis causa premebatur. Cum nimirum cerneret infinitam popularium vim huc jam ante prævertisse, simulque perditam omnium rerum profusionem ab iis ubique fieri, non difficulter prævidere poterat, in tanto consortium populo prædæ sortem haud ita magnam ad se redituram. Verisimile itidem est; suspicari potuisse (neque id sine ratione) in loco aliquo integro, & horum prædonum incursibus nondum proculcato, se reperturum veteres & intactos thesauros indiligentius custoditos; quam eos, si qui tamen hic in loculorum inanium fundo, residerent.

Ælfredus classem adornat, & cum Danis præliatur,

40. Neque vero totum anni hujus laboriosi negotium intra militiam terrestrem substitit: etiam in maria descensum est. Etenim Ælfredus, cum comperisset paganos advenas tam numerosis successibus ipsum frustra renitentem tandem obruituros (nam (quod inquit Asser.) si tres hodie myriadas occidisses, tanto plures postridie succederent) consilio certat occurrere malo, cui vi resistere diu se non posse senserat. Lentum igitur ratus, dum exscenderent incolumes in terram, præstolari; (quod si fecissent certo noverat ex patriæ spoliis alendos,) statuit fortunam præliis potius navalibus experiri. Plerunque enim recentes advenæ, in rates tumultuarias, & ad transportandam solummodo, nec ad pugnam idoneas, angustius collocati non facile adduci possent, ut se prælio committerent. Quod si qui eorum navigiis pollentes forte pugnâ superiores evaderent, ex aspero tamen certamine minus habiles ad terrestrem militiam redderentur. Rex igitur recte perpendens, quanto usui futurum esset, naves habere

[a] Pontanus Rollonis adventum in Franciam rejicit in an. 901. Neustriæ vero concessionem 887, Godefrido non Rolloni factam: Cum aliis etiam authoribus, cum ab Ælfredo in Angliam revocatū asserit; ut eum solio, è quo subditorum suorum defectione exturbatos extiterat, restitueret. Walsinghamus vero ejus adventum in Æthelstani imperium transtulit; quem adeo Rolloni amicum asserit, ut viros & arma ipsi ad invasionem Franciæ suppeditaverit; & ab ipso vicissim adversus subditos rebellantes suppetias acceperit. Sed hisce relationibus ratio temporum male convenit. Chron. Norwag. dicit Rollonem fuisse Regnaldi divitis filium, apud Norwegos suos virum potentissimum, & ex eorum numero, qui Iarli (earles) appellabantur. Additque Rollonem tantæ fuisse molis, ut nullus veredus ei portando sufficeret; ideoque Rolfonem Gaange (ganging) quod peditem significat, fuisse vocitatum. Is, cum aliquandiu piraticam ab Haraldo Haaer-fager (hayre-fayre, sive pulchricomo) vetitam exercuisset, ab ipso proscriptus est; & exinde cum iis, qui eum sequi vellent, in Anglia primum, dein in Franciâ fortunam tentabat. Flor. Wigorn. ipsum in Neustriam xv Cal. Decemb. an. 876. primum penetrasse scribit. Alii vero non ante ao. 895. Neustriamque ei datam 920.

longas,

longas, & alias actuarias complures belli usibus accommodatas, toto littore istiusmodi fabricandas curat; simulque armatas instrui tum viris, tum etiam tormentis pro temporum istorum captu idoneis. Dein hæc navigia per commodissimas stationes disponit, ut adversus latronum appulsus excubarent. Insuper in mandatis dat, ne quorumvis ex iis vitæ parcerent, neque victos istiusmodi homines ullos in fidem, deditionemque acciperent.

41. Nonnullæ ex his Regiis navibus eodem anno 876, obviam factæ 6 majoribus exterorum navigiis, cum peregrino milite huc se applicantibus, confligunt: unum ex iis capiunt, reliqua fugant. Alia ejus classis in 120 naves minores novis militibus huic insulæ se inferre parantibus onustas incidit: quas ex itinere fatiscentes, afflictas, & ad pugnam inhabiles adorta, submersit universas *.

Navem unam magnam capit, & 120 minores submergit.

42. Accidit etiam, anno expugnationem Exoniæ proxime sequente, 120 ex navibus, quæ trium Regum exercitui pedestri Werehamiæ relicto (quo tempore pars eorum inde profecti Exoniam oppresserant) trajiciendo inservirent, [illegible] in ipso itinere Exoniam versus omnes periisse. Quâ statim occasione Ælfredus equites Exoniam insectatus, prius quam iis à sociis subveniri possit, eo ipsos redegit; ut fidem iterum & obsides darent, se territorio ejus statim excessuros. Ita factum est, ut pars ea Danici exercitûs, Exoniâ relictâ, Merciam ingressi se cum Danis conjunxerint, qui jam ante Glocestriam consederant. Hi vagum vitæ genus pertæsi Merciam sibi pridem subjugatam ingrediuntur: & Ceolwolpho ipsorum stipendiario parte aliqua ad possidendum assignatâ, reliquas inter se partiti complures ex ipsis colere, atque ibi sedes figere cæperunt.

877.
Alia etiam classis 120 navium partim tempestatibus agitata, partim à regiis cæsa, cum Danis Exoniam auxilia portaret.
Unde rex è tota West-Saxonia expellit.

43. Verum hi admodum pauci erant, si conferantur ad infinitam illam istiusmodi hominum multitudinem, qui longe, lateque diffusi, omnia, quamvis abditissima, hujus terræ loca compleverant. Hi, cum sæpius essent a Regiis copiis dissipati, paulatim sociatis viribus in unum corpus tandem coaluerunt: & novis insuper accessionibus in tantum adaucti, ut ingentem exercitum conficerent, instar locustarum (ut refert Huntingdonius) agri solum operientes, indignati sunt moram sibi objici à tantula Saxonum manu, & ad tam grandem miseriam redactâ. Adeoque fide & Sacramento & obsidibus posthabitis regiam ditionem invadunt; ubi torrentis instar omnia secum trahentis, indigenas fugant & Chippenhamiæ, quod ex primariis oppidis Regum West-Saxonum, & haud ignobile tunc temporis in agro Wiltonensi

Qui lentis itineribus exeuntes Chippenhamiam improviso capiunt.

878.
ætatis 27.
Reg. 5.

* Victoriam hanc navalem (qua capta navis una, sex fugatæ) Asser. Chron. Sax. Ethelw. anno 873. obtentam dicunt. Confuse autem nimis res in hoc & sequenti paragrapho (sicut & ab Asserio) narrantur. Verus gestorum ordo talis, è Chr. Sax. & aliis videtur. Anno 875 Rex cum 7 navibus pugnavit, Anno 876. Dani Werehamiam occupant, & cum Ælfredo paciscuntur. Anno 877, pacta irrita reddunt, & Excestriam capiunt, & reliqua prout, §. 37. annot.

Emporium, in ipso regionis umbilico consederunt. Neque id, ut alias, hibernandi vel prædandi tantum gratia; verum, cum omnia reliqua vel undique vastata, vel inter populares jam ante distributa cernerent, hanc autem unicam Insulæ partem restare intactam, eoque maxime à tanta colonia expetendam, hanc sibi velut sortem propriam deligunt, in qua stabile domicilium collocarent.

Saxones assiduo appulsu novorum hostium fatigati, & pene obruti alii se submittunt, alii voluntarie solũ vertunt;

44. Saxones, cum tot bellis continuo gestis se totos impenderant, jampridem viribus pene exhausti, confectique fatiscebant: & in præsens solummodo durabant famâ magis Principis, & pristinæ virtutis gloriâ, quam ullâ roboris proprii firmitate: ipsi vero Dani (quasi leonis exuvias veriti) paulisper substiterunt, quidpiam ulterius in Regem designare cunctabundi. Verum ista formidine cito positâ, simul regium territorium ingressi sunt, atque Saxones (qui sibi penitus absumendis hoc unum deesse norant, quod suos hostis successus non urgeret) veluti re penitus desperatâ, mature suæ quiq; saluti consulendum existimarunt, ut inimicorum rabiem præverterent. Qui loco honestiore nati in fide erga Regem manerent, in Cambriam [a] profugerunt; aut saltus, aut abditas regni latebras petiverunt. Cætera plebs rerum modo præsentium spectantes statum, dum incolumitatem, quamvis honestatis jacturâ redemptam, laboribus & periculis præponunt, à Rege turpiter desciscunt; seque ipsos hosti barbaro dedunt; additamentum altero tanto majus, quam si aliunde accrevisset, cum Regi tantum Roboris decederet quantum Danis accessit.

Rex ipse se abscondit.

45. Ælfredus cernens subditos suos hostibus jam inter ipsas aras, focosque patrios furentibus cedere: neque rationem suppetere, qua pauculos superstites, vel dispersos colligeret, vel vacillantes sibi adjungeret, iniquæ fortunæ semet etiam submittere & obsequi coactus, regios habitus, cæteraque majestatis insignia ponit; familiam, prout exigebat temporum ratio, missam facit; ipse vero sub obscura gregarii militis persona se primum suamque salutem cuidam committit ex vaccariis regiis. Quod munus istis temporibus inter pastores Regios haud vile æstimabatur. Milesne tantum visus delituerit, an à Pastore conscio Rex cognitus, haud habeo compertum. Pastoris autem uxorem plane fefellisse constat ex narratiuncula, quæ circumfertur, hujusmodi. *Contigit die quodam ut rustica uxor videlicet illius vaccarii pararet adcoquendum panes. Et ille Rex sedens sic circa focum præparavit sibi arcum & sagittas, & alia bellorum instrumenta. Cum vero panes ad ignem positos ardentes aspexit illa infælix mulier festinanter currit, & amovit eos, increpans Regem invictissimum, & dicens; heus homo!*

Urere, quos cernis, panes gyrare moraris,
Cum nimium gaudes hos manducare calentes?

[a] Ethelw. dicit *in Gallias, mari in oras.* Chr. Sax. & Florent. *ultra mare.*

Quo-

Quomodocunque autem se res habuit inter ipsum & bubulcum-hospitem, adeo tutus latuit, ut ad certum tempus, amicis atque inimicis, quid de ipso factum esset, juxta ignorantibus, patrimonium Regium in prædam ubique cesserit, tam Saxonibus perfugis, quam Danis hostibus commune. *Flor. Wigor.*

46. Tam conspicuam vero Majestatis defectionem, in tali potissimum Principe, istorum temporum viri Religiosi non dubitarunt interpretari, factam fuisse non sine notabili quadam Regis morum labe; cui graviter offensa Dei justitia has ab eo pœnas in præsenti sæculo tam luctuosas exegit, ut eas in futuro pro infinita misericordia condonaret. *(Cujus secessus causam quidam Historici severius, quam par est, interpretantur)*

47. Nam (uti memorant) Ælfredus, quamvis alias ingenti merito, & virtute conspicuus, tamen ut ad capessendum imperium propemodum invitus accesserat; ita circa regni initia ægre se adduci passus est, ut juri dicendo cæterisque tam operosi officii muneribus obeundis, vacaret. Avertit animum scilicet magnum, quo flagrabat, literarum studium: quas cum avide semper expetisset, sitim tamen restinguendi facultas non dabatur; maxime ei, qui modico scientiarum usu non contentus in omnibus humanioris literaturæ disciplinis perfectionem ambiebat. Multus etiam fuit in aucupiis, in venationibus, & aliis ejusmodi oblectamentis; quibus juventute, & animi vigore magis quam corporis agilitate impellebatur; & unde semper arripiebat, in quo ingenium edito solertiæ specimine acueret. [a] Negligentiæ, cujus Rex insimulatur, tempus fuisse videtur, quod Wiltonense prælium excepit, sub ipsis Regni auspiciis per unum alterumve annum: *Asser. Men.*

quo

[a] Hanc beati Neoti increpationem aliqui fuisse credunt antequam regio munere fungeretur; cum scilicet Fratrum Legatus officio defuerat. Alii referunt ad illud tempus, quo ipse Demetiæ & South-Saxiæ Rex à Patre constitutus erat. Si vero post Fratris obitum acciderit (quod Authori nostro placet) quo continuata prælia (novem sc: vel octo saltem in eodem anno) neque venandi ocium concesserunt; dicendum videtur, neglectum Regis non fuisse admodum culpabilem; sed virum Sanctum, pro maximo, quo versus Regem ferebatur, amore, perfectioni ejus omnimodæ studuisse. Neque maculam in tam præclara & divina indole non detersam præteriisse. Talem namque eum esse decuit cui tam arduam difficilemque provinciam Deus destinaverat. Cum vero nihil prorsus extra Dei providentiam eveniat, ignoscant pii lectores, si ex ejus alibi comparentibus clare vestigiis de judiciorum suorum, in hoc, de quo loquimur, sæculo, ratione cum omni humilitate conjectemur. Saxones quidem, etsi conversionis suæ ad Christianismum initio gens religiosissima, Deoque devotissima (ut supra dictum est) extiterat; temporis tamen successu ab antiqua & primæva pietate in nefanda scelera, luxuriam maxime, dissidia, & bellandi aviditatem deflexerunt. Quibus emendandis destinati sunt fortissimi, sed & omnium mortalium truculentissimi Piratæ. Quibus ut melius resisteretur, summam opportunitatem (modo ipsa uti voluissent) concessit Deus, cum separatas & inimicas gentes in idem sub Egberto imperium coalescere indulsit. Hoc enim non citius factum est, quam terribiles illæ Paganorum invasiones initium ceperint: quibus continuo agitatum vexatumque per Æthelwulphi triumque filiorum tempora novum imperium ad extrema fere redactum est. Idque non tam hostium viribus, vel victoriis quam internis dissidiis Saxonum, Egberti posterorumq; imperii invidentium successibus. Deus vero gentis, sive ob paternas virtutes, sive propriam misericordiam misertus, licet unitati maxime adversantes (Northumbros, sc: & Mercios) summis affecerit suppliciis, Anglorũ tamen Saxonumq; stirpem eradicare & ejicere noluit. Cum ergo duplicati sunt lateres, venit Moyses. Cum de salute, libertate, vitâ desperaretur, excitavit iis (prout moris ipsi est) Deus fortissimum liberatorem, Ælfredum nostrum: quo modo etiam Israelitis, à Philisthæorum potentiâ pene oppressis, per Davidem succurrebat. Per Davidem, inquam, è pl[u]ribus fratribus minimum, aspectu venustum, conversatione gratum, Musicorum poeseosque peritissimum, sapientiæ & literaturæ sitientissimum, fortitudine, & (quod omnia superat) pietate & devotione insignissimum. Hunc itaque calamitatibus, adversisque probatum, per

soli

quo respirandi spatio ita penitus animum & cogitationes in his studiorum accessoriis defixerat, ut parum omnino publica negotia respiceret, aut subditis auxilium implorantibus vacuum se præberet. Super his sæpe commonefactum ferunt à Beato Neoto, è necessitudine Regia, viro in istoc sæculo vitæ integerrimæ atque singularis Sanctimoniæ nomine percelebri; ipsumque usque adeo recte consulenti non obtemperasse, ut vir Sanctus, multis questus, Regem ea, quæ sibi conducerent, aversatum, ipso tandem dolore in vaticinium erumpente, jam tum devinârit, quibus deinde malis & rerum adversis ea de causa certo conflictari deberet: fore aliquando prænuntians ut Regno excideret, & domi velut exularet. Hæc, utcunque prædicta, sane omnium consensu, qui vitam ejus scripto mandarint, Regi abunde jam evenerant.

Non tamen cessat Danis molestiam creare.

48. Verum hæc, quanquam pænarum speciem præ se ferrent, revera tamen, ex Dei misericordia talem exitum castigationibus suis minime spretis semper concedente, tot beneficia evaserunt. Beneficia, inquam, non solum spirituali & sublimiori ratione; utpote quæ hominum animos, velut igni aurum, adversis rebus mollitos divinæ imagini, semel deletæ facilius recipiendæ aptiores efforment; verumetiam & hujus vitæ conditione purgant adversa intellectum, acuunt ingenium, mentem noxiis affectibus depellunt, voluntatem impellunt id fortiter suscipere quod solum relinquitur necessario faciendum, tum cor, tum manus confirmant, ut quicquid arduo operi obsistat, eluctentur. Neque diutius hanc disciplinam expertus Rex, quam ut sibi prodesse possit. Quippe spei fenestram unicam adhuc ei patefecit Deus, cum ab hostium astutiâ celasset, ipsos nihil Rege victo profecisse, nisi victoriâ usi penitus eum de medio sustulissent.

49. Certo constat, Regem, dum exundanti multitudine Danorum sibi invicem succedentium oppressus secedere, & latebris, vim procellæ desævientis evitare, cogeretur, illo tamen ipso tempore, ac si esset tam inexhaustus animis, quam illi copiis, alias hic, alias illic, cum parva Comitum manu hostes sæpius ex insidiis aggressum fuisse; idque nonnunquam tam acribus fortitudinis indiciis; ut clare ostenderet, se, quamvis numero superatum, non tamen ideo esse debellatum. *Cum Ælfredo enim etiam victo, etiam jacente luctandum* (inquit

solitudines, per latebras, per paludes actum, & acerbas inopiæ miseriarumque omnis generis afflictiones purgatum & excoctum victoriâ tandem, firmissimo Reipublicæ stabilimento, familiæque denique diu duraturæ fælicitate coronavit. Huic parem non audeo dicere, sed simillimum certe nostrum Ælfredum, cur non similiter à Deo in salutem hujusce gentis, religionisque suæ restitutionem suscitatum affirmabimus? Neque timemus, ne nimium pro Fundatore nostro dixerimus: sed ad ejus adversa redeamus. Magnis nimirum præparandus est animus, qui laboribus non cedit, qui periculis non terretur, qui adversis audentior occurrit; qui calamitates ipse patitur, is demum in prosperis non segnescit, non insolescit sublimibus, non cedit gloriæ, miseris compatitur. Et hac regia certe via à Deo conductus est Ælfredus noster, Religionis Christianæ columen, morum reformator, hostium ferocissimorum domitor, Imperii Anglicani conditor, literarum, civilitatis, Artium ipse culmen & institutor.

Malmf-

Malmsburienſis) *adeo ut cum omnino contritum putares, velut anguis lubricus de manu tenentis elapſus, è cavernis ſubitus emergebat; ſponte inimicos inſultantes adoriens, plerumque poſt fugam importabilis, &c.*

50. His bellandi rationibus loci conditio & ingenium impendio favit; Regionis enim magna pars, iſtis temporibus, aut Sylvis imperviis ubique denſa, aut paludibus, (quarum aditus vix vel ipſiſmet accolis noti) voraginoſa extitit. In primis autem nemus illud uliginoſum Athelneiæ nomine inter amnes Thonam & Parrettum in agro Somerſettenſi late porrectum: quod vix alicubi bina ſimul jugera ſoli firmi capiebat. Huic inerat ingens alnetum, cui magna Damarum vis, & reliquum ferinum genus paſſim inerrabat. Ipſe locus undique aquis circumfluus aditum negabat, niſi cymbâ aut difficili vado ingredientibus. Præterquam quod circa Solſtitium ab una parte tenuis & anguſtus limes apparebat, qui peditem unum difficulter tranſmitteret. Hunc locum Rex nactus, rebus ſuis adeo idoneum, arce quadam exiguâ, [a] quo ſe reciperet, paucis adhibitis operis, munitum reddidit: unde clanculum excurſiones eas ſæpius in Danos fecit, quæ ſatis meruiſſent in ſeros nepotes cum permultis ejuſdem Regis egregie factis tranſmitti, niſi à Monachis, iſtorum temporum hiſtoricis, *inextricabiles laborum Labyrinthi* haberentur: extremæ vero dementiæ exiſtimavit Malmſburienſis eorum ſigillatim enumerationem aggredi. *Malmſ.* Hoc autem notatu digniſſimum eſt, quod cum recentiorum ſcriptorum nemo ſit, qui, etſi prioris fere veſtigiis in narrationis ſumma tradenda inſiſtat, non aliquid tamen peculiare, prioribus indictum, etiam de ſuo adjiciat. Adeo ut longe plura ex ipſius factis ab avita memoria per nepotum ora diu volitâſſe pervulgata videntur, quam omnibus omnium autorum ſcriptis hodie comprehendantur.

51. Annum prope integrum Ælfredus hac profunda rerum adverſarum caligine merſus delituit. Diuturnus ille tanti ſyderis defectus hominum opinione ipſi fatalis extitiſſet, niſi tum demum Deo viſum eſſet ipſum benigniori oculo reſpicere. Eumque, ſicut prius præmonere dignatus eſt pœnarum, quas ob admiſſam culpam luere deberet; idem nunc pariter præſignificare voluit, ſe cum eo in gratiam rediiſſe, eumque demum in Regnum poſtliminio reſtituere decreviſſe.

52. Die quodam accidit, cum Rex Athelingiæ intra munimentum ageret brumali tempore undique gelu conſtrictis aquis, miſſos in omnem partem Comites fuiſſe; qui aliquid piſcium, aviumve, aut id genus eſculenti conquirerent quo ſe ſuſtentarent: nullo quidem ejus *Viſo divino confortatus.*

[a] Cænobium Athelneienſe, ubi prius caſtellum erat, aberat Tauntonia (oppido ad Thonam) quinque milliaria, verſus Euro-aquilonem. Miliaris vero dimidium infra pontem ligneum à Stoke ducentem ſuper flumen Thonam. Adverſ. Lelandi.

operis immuni facto, præter unos se matremque suam. (Unde colligere licet Reginam ante id temporis aut demortuam, aut alibi cum liberis abditam fuisse.) Regem vero ipsum, libro in manus sumpto, (uti assidue consueverat quoties illi vacare contingeret) lectioni dedisse operam. Pulsat interim fores homo quidam egens, eumque per Christum supplex obsecrat, ut eleemosynam sibi impertire dignetur. Rex matrem ad se vocatam in cellâ dispicere rogat, si quid sit quod huic pauperi ad vescendum conferretur. Illa, panariis excussis, unum solum panem in tota domo remanere comperit: hoc igitur præsenti Regi commonstrato tenuem penum edocet, subjiciens has omnino copias illi restare; neque hoc tantulum posse familiæ, quæ modo piscatu domum redeat esuriens, sufficere. Rex, hoc audito, ut qui corde recto esset, Deo gratias humillimas agit in hæc verba, *Benedictus Deus in donis suis.* Dein matrem per Christum obtestatur, velit pauperem Christianum dimidiato pane impertiri; pariter subjiciens, eum, qui 5000 hominum quinq; panibus, & duobus pisciculis pascere potuerit, posse etiam efficere, ut panis ille dimidiatus usibus plusquam suis sufficeret. Paruit dicto mater: pauperque, acceptâ buccellâ, discessit. Rex interruptam lectionem instaurat, quoad defatigatus, & alio curarum atque solitudinis remedio destitutus, obdormivit; & per quietem vidit S. Cuthbertum, Episcopum Lindisfarniæ, quæ hodie *Sacra Insula* nuncupatur, (unde sedes Episcopalis Dunelmum postea translata est) ad se venientem, sibique dicentem; quod ipse à Deo missus esset, qui eum doceret, longas & amaras pænas, quibus Angli peccata luerent, Deo pænitudinem aliquando tandem commovisse. Cui & eleemosynam, quam homini egenti tam liberaliter hodie in tanta necessarii victus inopia erogasset, eo usque fuisse acceptam; ut jam inde Regnum ipsi restituere destinasset. In cujus rei signum,* famulos ipsius, qui in tam dura tempestate, tenuissima admodum spe prædæ, piscatum abierant, jamjam domum relaturos tantam obsonii vim, quantam non sine admiratione conspiceret. Expergefactus Rex vocatam ad se matrem, quid somniasset, edocet. Illa vicissim eodem pariter tempore se quoque in somnum solutam nec ante experrectam, quam Regis ad se vocantis voce jam tum excitaretur, eadem omnia plane in somnis vidisse confirmat. Hæc inter se dum mirabundi re-

Ingulf. Malms.

* Imo vero Mater sua dudum antea è vivis excesserat, Paterque secundas nuptias à Roma rediens cum Juditha inierat. Hæc etiam ante Æthelbaldi obitum, (ut videtur) circa an. scilicet 861. in patriam (Franciam) reversa est. Quare majori cum verisimilitudine Ælfredi uxorem tunc temporis secum adfuisse historicorum nonnulli referunt; ut Sim. Dunelm. qui & dicit Cuthbertum Regi promisisse quod posteri sui Britanniæ toti diu imperarent. Neque Sancto postea ingratus Ælfredus, cum nummos ejus nomine insculpto cuderit, Episcopatu toto Dunelmensi Ecclesiam, reliquias ejus continentem, dotaverit; Collegii nostri (si & parva numerare liceat) sacellum ejus nomini inscripserit. Hoc autem Ælfredi exilium non integros sex menses duravit. In Januario enim capta est Chippenhamia; & prælium Ethendunense septimâ post Pascha (quod Martii 23, eo anno accidit) hebdomadâ, sive tempore Pentecostes, pugnatum est.

cognoscunt,

cognoscunt, ecce famuli reversi tam incredibili numero pisces secum attulerunt, ut ipsorum æstimatione, vel exercitui alendo sufficerent.

53. Utrum hoc insomnium naturalibus causis originem debuisse existimabitur, dum eas rerum imagines inter dormiendum contemplatus fuerit, quas vigilans sibi objecerat; an supernum quoddam & immissum cælitus visum credere fas sit, hoc loco accuratius disserere haud multum interest. Cum tam hoc, quam illud divino numine dirigatur, quoties spe metuve, demptis aut additis animis, homines impellerentur ad ea fortiter suscipienda, quorum exitus divinum consilium antea destinaverat.

Et Hubbæ, suique exercitus excidio; anno 878.

54. Ælfredus, anxie secum agitans quorsum evaderet hoc visum, nunciis allatis certior fit, Hubbam Danum, qui cum fratre Hinguaro Regis S. Edmundi sanguine manus impias temeraverat, ex Wallia, ubi immani Britannorum strage facta, hybernaverat, recenter in Devoniam cum 23 navibus appulsum, incidisse in quosdam Regios; à quibus ad castrum Kinwithæ ipse dux cum mille ducentis militibus occisi fuerunt. Kinwitha temporibus istis (uti videtur) arx naturali situ & aliquot operibus satis valida non procul ab ostio Tawi ponebatur. Huc Odunus, Comes Devoniæ cum compluribus Regiis, Hubba terras istas nuper ingresso, confugerant. Hujus Arcis præsidiarios Hubba compererat, neque frumento, neque cæteris rebus ad defensionem necessariis satis instructos, sed nec multum roboris in ipso castello præter mænia vetusta & editiorem situm inesse. Quocirca veluti prædam manibus oblatam teneret, castellum obsidione cingit; facile præcipiens animo, ut obsessos rerum omnium, præsertim aquæ, inopia laborantes necessariam subire deditionem brevi cogeret. Verum obsessi, præviso, quod instabat, periculo; prius quam eo res demitteretur unde non possit dari exitus, tempus præripere, animisque obfirmatis, aut mortis aleam, aut victoriæ, sine mora subire statuunt. Prima igitur luce, dum integri adhuc essent firmique viribus animi & corporis, in hostes nihil tale opinantes, eruptione facta, Hubbam occidunt; reliquumque exercitum delent totum, præter paucos, qui in classem se recipere tumultuario potuerunt. Hac facta strage, dum hostium exuvias colligunt, opibus haud parvis refertas, in manus victoris venit inclytum illud vexillum Danicum Reafan, seu Corvus dictum. [a] Ingens ethnicorum

Et Corvo signo magico intercepto.

[a] Pontanus Reafan dici debere asserit. Ranul. Polych. aliique historici Hubbam occisum fuisse scribunt in prælio Chippenhamensi; ejusque tumulo acervum ingentem lapidum impositum; qui Hubblestone appellatur. Lelandus tamen Adversar. vol. 1, p. 234. & Bromptonius in Devonia collocat Hubbelow, sive tumulum Hubbæ. Lowes enim sive Lawes, in partibus septentrionalibus Angliæ adhuc tumuli appellantur, Dugd. Warw. p. 5. Brompton etiam Hubbam dicit occisum in prælio Chippanhamensi. Sed in hoc (ut & in multis aliis) nec secum, nec cum aliis historicis concordat. Kinwithæ vero Inguarum interemptum, & Haldenem. Licet hic aliter, à Sim. Dun. periisse dicatur. *Haldenus*; inquit, *Rex Danorum in Tinam*

corum iſtorum fiducia. Quippe vexillum illud Corvi ſimulachro magice intextum fuerat à tribus Hinguari & Hubbæ ſororibus ob expeditionem iſtam, qua perfidam Lodebrochi patris cædem ultum irent: idemque raptim ſub idem meredianum tempus, ſimul cæptum, ſimul abſolutum. Hoc, Danis creditum arcanam quandam fatorum vim in ſe continere, magno apud ipſos in honore fuit. Ferunt enim in acie geſtatum, ſi fauſtus certaminis eventus portenderetur, ſemper cum pennarum quodam plauſu volitare viſum: ſin aliquid adverſi inſtaret, alis demiſſis quaſi immotum dependiſſe. Quicquid ſit, oraculi deceptio jam patuit: nam præter opinionem oppreſſi prius oraculum amiſerant, quam conſulendi tempus daretur.

Rex ſpei plenus

55. Quantumcunque vero fidei, vexilli hujus omen in ſe mereretur, Chriſtianos certe potitos ejus eſſe haud parum juvabat. Etenim cum Ethnici (quam recte nihil refert) ſingularem quandam opinionem atque fiduciam in eo repoſuerant, ſacro iſto poſtea victoriæ pignore amiſſo, non poterant animos atque ſpem una non abjicere. Victores autem, quamvis nihil ad auſpicium iſtius deferrent, exiſtimatione tamen virtutis apud hoſtem pavidum atque fractum attollebantur: cum eandem res ſuæ rationem haberent, quam pondera in æquilibrio poſita; ubi quantum momenti uni parti dematur, tantum additur alteri.

Danorum caſtra citharædi perſonâ ſpeculatur.

56. Ælfredus, hoc Devonienſium ſucceſſu nunciato, jam animis in ſpem meliorem erectis, ſecum agitat, quam potiſſimum rationem ineat, præclarum aliquod facinus in hoſtem edendi; qui eum non modo meliori regnorum parte expulerat; ſed jam etiam umbilico reliquæ ditionis inceſſo, prohiberet, ne copiis in unum coactis amplius in acie poſſit conſiſtere. Primum igitur Æthelneiam, ubi commorabatur, munitam reddit: & (prout illi erat ingenium ſolers & ad omne rei gerendæ momentum ſe facile convertens) cum neque voluntate deſtitueretur quamvis vel minimam anſam ad induſtriam exercendam arripiendi, neque animis, ea faciendi quæ ſemel decreverat; ita nervos omnes intendit ad illud conſequendum quod expetebat. Norat hoſtes tam numero, quam cæteris fortunis tanto ſuperiores; ut ſi aperto Marte cum iis congrederetur, nihil admodum incommodi ipſis adferre poſſe videretur: nec erat cur aliquam rei melius gerendæ occaſionem ſibi datum iri ſperaret; niſi compertum haberet, quo in ſtatu res hoſtium eſſent. Quos autem hoc exploratum mitteret, neque ſecum habebat; neque, ſi vel maxime habuiſſet, alieni vel oculi, vel

Tinam intravit, & uſque Ƿenceꞃoꞃƀa *navigavit, omnia vaſtans, & contra Sanctum Cuthbertum crudeliter peccans. Sed mox ira Dei & Sancti confeſſoris ſupra eum venit. Nam cœpit adeo inſanire & fœtere, quod totus exercitus ſuus ipſum à ſe expulit, ac longe in mare fugavit, nec poſtea comparuit.* Neque apud Aſſer. Chr. Sax. aut Florent. nominatur Hubba; ſed Inguari tantum & Haldeni fratrum unus. Ethel. autem Haldenum Inguari fratrem cum 800 Kinwithæ occiſum dicit.

aures

aures usquequaque sufficerent iis explorandis, quibus instrui possit istius ducis animus, quem virium jacturam solertia adhibita sarcire oporteret. Lyra igitur in manus sumpta, & circulatoris persona ab ipso induta, uno tantum conscio sibi comite ascito, Danica subit castra. Dumque cantu, musicaque ipsos delectat, omnibus acceptus passim vagatur; eo usque liber, ut etiam in regium tabernaculum penetraverit; ubi per dies complusculos hostes ita demulcebat, ut dum iis oblectamento esse dignatus fuerit, ipsi sibi per omnia satisfecerit [a].

57. Reversus Athelingiam, magnates eos & viros primores, qui in proximo erant, clanculum ad se accitos, quid fecerit, quidque viderit, edocet, ut incauti hostes atque securi agitarent; quamque parvo negotio patefieret aditus ad eos magno incommodo afficiendos. Ad hæc, quæ retulerat, attonitos proceres, quid facere conveniat, monet. Hortatusque vehementer, ne occasioni deessent, tantum eo consilio, colloquiisque ibi habitis profecit, ut quotcunque Hantoniensium, Wiltoniensium, atque Somersetensium neque profugerant, neque ad hostes defecerant, arcanis, assiduisque nunciis (ut opinari par est) exciti, continuo ad certum quendam locum ex orientali parte magnæ sylvæ in agro Wiltonensi (Sellwood forest, vulgo dictæ) armati convenerint. Unde Egbrichtstonam perducti (nobis hodie, ni fallor, Brixstona juxta saltum) Regi sub signis constiterunt.

Et reversus exercitum tacite cogit,

58. Ælfredus post tantam sui depressionem, & tam diuturnas latebras iterum in conspectum datus, pari gaudio Saxonas suos affecit, ac si redeuntem ab inferis recepissent. Etenim nihil ipsis terrenum aut

Qui mirabiliter Regis conspectu & oratione animatus

[a] Hæc narratio habetur apud Ingulfum, Malmsburiensem, & modernos fere omnes; sed non Asserium, aut Ethelwerdum. Nec tamen explodenda videtur, maxime si quis Castrorum Danicorum situm, locumque pugnæ attentius consideret; & exinde de maximi hujus prælii ratione conjecturam facere audeat. Jacet nimirum Eddendun subtus montem Bratton, altum, præruptum, difficilisque ascensus. Cujus in summo jugo restant etiamnum castrorum Danicorum valla & fossæ. Unde aquationis gratia ad radices montis duo brachia (reliquis montis partibus admodum præcipitibus) deducta visuntur. Illi vero castrametationis incommodo fatigati, & à Regiarum copiarum (quæ nullibi prorsus comparuerunt) timore liberati Eddendunam & ad vicinam planitiem se contulerunt. Hoc ipsorum descensu Regi indicato, verisimile est ipsum oculis propriaque præsentia explorare veritatem voluisse. Visaque rei bene gerendæ occasione, occultissime, quam poterat, Rex exercitum in foresta sive sylva permagna (Sellwood Forest) è fidissimis suis subditis coegit. Nocturnis itineribus, & per loca silvestria & in frequentia incedens tertio mane se suosq; inter exercitum hostilem & eorum castra posuit; eosque nullo ordine vel munimento metatos clade illa maxima & celeberrima affecit. Adeo ut iis prærepto ad castra receptu, aliud proximum sed imbelle castellum ingredi coacti sunt. Ibique commeatu omni interclusi sese dediderunt. Huic conjecturæ ansam dederunt, tum loci ipsius natura, tum historicorum nonnulli hasce circumstantias, sed confuse, referentes, tum occisorum sepulturæ: qui non tumulis ingentibus effossis, prout in reliquis præliorum locis fieri solebat, sed sparsim per totam illam planitiem, prout quisque occidit, etiam nostris temporibus sepulti effodiuntur.

Cum in Britanniæ Camdeni epitomen, à quodam Virellio rerum nostrarum & patriæ ignaro factam, incidissem; visus est mihi dicere prælium hoc commissum ad aliam Eddingtonam (sive Heddington decem miliaribus à Brook, versus Boream distitam) & ipsam sane antiquitus non obscuri nominis civitatem; prout à stratorum, turriumque compatentibus adhuc rudentibus satis clare colligitur. Camdenus vero ipse nobis omnino succenturiatur. Neque Heddingtonæ (hodie sic dictæ) mentionem apud Saxonum historicos reperio; sed è nummis inde erutis, aliisque signis, eam potius temporibus Romanorum claruisse arbitror; & dictam quidem Verlucionem ab Aquis-solis 15 mil. à Cunetione vero 20 abfuisse. Distantia probe correspondet, maxime si Cunetio sit hodierna Marlborough, prout Camdeni secundæ cogitationes statuunt; & non Kenet, ut primo arbitratus est: neque adeo probabiliter Verlucio Chippenhamiæ, multo minus Warminster correspondet.

æquale solatium, aut plus animorum addere potuit. Ipse vero Rex ejusdem diei usura, quam optime potuit, in rebus ordinandis, collocata, ne quam occasionem aut ipse amitteret, aut præter quod necesse fuit hostibus concederet, cum luce prima proficiscitur Okeleiam; die vero tertio dilucescente Edingtonam pervenit. [a] Hic quamvis Danorum exercitum plane numerosum inveniret, tamen sive quod milites palantes inopinato adventu deprehenderat, seu quam in rebus ad bellum necessariis inopiam ante perspexerat, sive aliquo diviniori instinctu animaretur, [b] milites bono esse animo, jubet; edocetque gravia se quidem passos, longe tamen minora quam pro peccatorum noxa luere debuissent. Deum non aliter cum ipsis egisse, quam more prudentis & pii patris; qui castigatos eos citius in gratiam recipiet, & pœnitentes clementiâ prosequetur. Eundem vero jam nunc de hostibus, eorumque Diis, vindictam sumere cæpisse; cum alterum exercitum penitus deleverit, vexillumque, quo maxime confisi sunt, in manus Christianorum tradiderit, hos ipsos metu & stupore perculerit; & per somnia & alias rationes magnam victoriæ spem sibi injecerit. Neque solum causam sibi justiorem (quippe quibus præliandum esset contra piratas & latrones, eosque qui fidem sibi datam sexcenties violassent) successus melioris fiduciam facere; Verum etiam ipsius prælii consectarium ingens; cum nimirum in controversiam veniat, fidesne Christiana, an barbara & ethnica perfidia publice per has terras sanciretur. Num totam hanc regionem in perpetuum Barbari dominarentur; ipsi vero exules à domibus, liberis, uxoribus, possessionibus, Ecclesiis vel in servitutem, vel terras alienas cogerentur. Proinde sumendos spiritus tanto operi pares; nec omnino dubitandum, quin operam strenue navantibus propitius sit affuturus Deus.

Nic. Harpsfield, Hist. Eccl. Ang. sec. 9.

In Danos irruit, quorum plurimi occisi, reliqui in Castellum quoddam compulsi post aliquot dies se submittunt.

59. His dictis alacri totius exercitus acclamatione exceptis inferri signa jubet hostibus ad pugnam compulsis; qui quamvis acerrimos Regiorum impetus, frequenti militum integrorum successu diu sustinuerint, tandem tamen Rex eos terga vertere coegit; idque tanta cum

[a] Septima post Pascha hebdomada ad Petram Egbrytæ equitabat Rex, ibi accurrebant ei Sumersetenses omnes, & Wiltunenses, & Hamtunenses,——Post diem circiter Æcgleam (Iglea) migravit, & post noctem Ethandune venit, ibique contra totum exercitum belligeravit, eumque fugavit. Chr. Sax.

[b] *Nocte illa precedente prælium Ethandunense, cum Rex se sopori dedisset, apparuit ei quædam effigies in specie Sancti Neoti, quondam ejus familiaris & propinqui, admonuitque ut omnem metum abjiceret, nec desperaret propter multitudinem Barbarorum, quia Dominus cras visitaturus esset ipsum, & plebem suam. Propter arrogantiam, quam habuit in juventute, omnia illa adversa sibi sustinenda fuissent. Et adjecit, cras præcedam tota die ante vexilla tua, ut securius dimicet contra hostes tuos: & scito quia Dominus omnipotens pugnat pro te, & pro populo tuo.* E Collect. Asserii in Bibl. Cotton. Vitel. E 14. Dicemus ne alios fuisse Asserii Codices, quam quos hodie habemus? An, Annalium Scriptores, cum nonnulla ex Asserio sumpserint, cætera sub ejus nomine venditasse? An Modernos iis, quæ aliunde sumpserant perperam Asserii nomen adscripsisse? Certe Bromptonus multa de Offa Merciorum Rege ex Asserio citat, quæ in hodiernis Asserii codicibus non reperiuntur, v. pag. 753. Hujusmodi concio habetur apud Ailredum Rievallensem.

strage

ſtrage, ac ſi ſola illa acies fato deſignaretur, à qua cruoris ante per univerſam inſulam effuſi, barbaræque atrocitatis pænæ exigerentur. Dani fugiunt & paſſim proſternuntur. Rex autem certior factus complures melioris notæ, qui evaſerant, ſe ex fuga in arcem haud ita longè diſtantem recepiſſe; quo bellum jam profligatum penitus conficeret, eam arcta obſidione cinxit: gnarus omniũ inibi rerum copiã anguſtiorem eſſe quam quæ tempori, quoad adferri poſſint ſuppetiæ, ſufficeret. Vix eos decimum quartum obſederat diem, cum frigore, fameque pene confecti, metuque ac conſternatione fracti, quam demiſiſſime flentes orant atque obſecrant ſibi miſericordiam, iiſque quas Rex imponeret, conditionibus, concedi. Quibus præſtandis, quos poſceret obſides, nullis viciſſim acceptis, ſe daturos ultro pollicentur.

60. Ælfredus ad clementiam ſponte pronior, hanc ipſis ut veniam daret, exorari ſe paſſus eſt. Opportunum igitur ratus inſtare, dum corda formidine diſſoluta manerent, quod ipſis ſalutare, ſibi commodum ſit, poſtulat; ut Rex Guthrumnus (reliquis duobus Regibus, Oſcitellâ & Amundo, ut videtur occiſis) cum exercitus ducibus, & reliqua plebe Chriſtianam fidem reciperent, baptizarentur, & terram è Regis aſſignatione pacifice & habitarent, & colerent. Qui vero baptiſmum recuſarent è ditionis ſuæ finibus ſtatim excederent. [a] Quæ Rex popoſcit in ſe recipiunt: deque iis præſtandis interpoſito juramento, & datis obſidibus, quot & quales Rex ipſe imperaret, meliori, qua poterant, ratione cavent.

Quos Rex clementer accipiens, eos qui baptizari nolebant, regnum cogit deſerere.

Aſſer. & Flor. Wigor.

61. Guthrumnus ex pacto, triginta è primis exercitus ducibus comitatus, aliique ex vulgo militari complures, haud ita diu poſt ad Regem [b] Ælream veniunt. Ibique Weadmoræ ſacro baptiſmo initiantur. Guthrumnũ Ælfredus de Baptiſterio ſuſceptum nominat Athel-

Gothrumnum vero & è ducibus triginta ad baptiſmum volentes ſuſcepit.

[a] Malmsb. aſſerit *Haſtingum* reliquias exercitus in *Franciam* duxiſſe, ibique mala, cædes, rapinaſque infinitas commiſiſſe.

[b] **Aalre** Flor. Wigorn. Hoved. **Alre** Floril. Aſſer. Chron. Sax. *Alnea* Ethelwerdus. Videtur hodie dici **Aulre**, oppidulum ſatis obſcurum prope *Athelneyam* in agro *Somerſotenſi*; tunc autem, ut videtur, villa regia. Ibi etiam, non *Wedmora*, baptizati ſunt. ⁊ hiꞅ cpiꞅmlyꞅinᵹ pæꞅ æꞇ ꝼeꞇmoꞃ. Chron. Sax. quæ Aſſerius recte *Chriſmatis ſolutione*, ſi *Chriſmalis* dixiſſet, Wheelocus autem transfert perperam: *Chriſtianitatis autem ſolennitas fuit apud Wedmore*; & Author noſter, *ibi Weadmoræ ſacro baptiſmo initiantur*, duplici errore ſcripſerit. Neque enim *Alrea* minus 12 mill. *Wedmora* abeſt: neque *Wedmoræ* baptiſmus, ſed Chriſmalis ſolutio facta eſt. Tunc ſcilicet linteamen, quod circa baptizatorum & chriſmate ſimul unctorum capita obvolutum (*Chriſmale*, myſticũm velamen, apud noſtros etiamnũ Chriſome appellatum) una cum veſtibus albis deponebatur. De quo ordo Rom. (in Sabbato Sancto.) *Deportantur ipſi infantes ante eum, & dat ſingulis ſtolam candidam, & chriſmale,* —. Et Alcuinus ibid. *Albis induitur veſtimentis propter gratiam regenerationis, & caſtitatem vitæ, & angelici ſplendoris decorem: tunc Sacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine; ut intelligat, ſe diadema regni, & ſacerdotii dignitatem proſtare.* De hac ceremonia Aug. Serm. 160. in dominica in octavis Paſchæ intelligendus eſt. *Hodie octava dicuntur infantium, revelata ſunt capita eorum, quod eſt indicium libertatis.* Aliis authoritatibus ſuperſedebimus, & hoc tantum addemus; hunc morem ad tempora Ivonis Carnotenſis duraſſe, annum ſc: 1090. poſtea vero cauſis quibuſdam, quæ me latent, candida lana (vulgo *bombacium* dicimus) poſtquam in baptiſmate ungerentur, abſtergi Patres voluerunt. Hanc autem cæremoniam non ab ipſo Rege, ſed *Æthelnoth*, factam ſcribit Ethelw. *Gudrun. Rex eorum*, inquit, *ſuſcipit baptiſmatis fontem; quem de lavacro ſumit Rex Ælfred in Alnea inſula paludenſi*, hoc eſt, cui *Ælfredus* ſuſceptor, vel Patrinus fuit. *Ioux pariter Æthelnoth Sumortunenſis*, quem nunquam Regem deſeruiſſe ſupra dixerat, *abluit poſt lavacrum*, Sanctum ſc: baptiſmatis, *eundem in loco Uuedmor*. Ubi alterius ritus fit mentio, ablutionis ſc: cum veſtes candidæ deponerentur. Sed de his ſatis.

 ſtanum.

Cui Rex cum suis omnibus multa & optima ædificia largiter dedit. Asser. & Flor. Wigorn.

stanum. Quem etiam una cum reliquis nuper baptizatis per 12 dies continuos honorifice accepit; eosque tandem dimissos regalem in modum muneribus, prout eorum usus postulabat, saltem prout ipse poterat, prosecutus est [a].

Iisque East-Angliam & Northumbriam concedit.

62. Insuper ut omni, qua poterat, ratione Guthrumnum arctius sibi obstringeret, quem jam existimabat se non tam devicisse, quam conciliasse, & quodammodo peperisse, regna ei tribuit East-Angliæ & Northumbriæ suo beneficio æternum possidenda. Quorum limites à suis possessionibus discretos hunc in modum regebat. Secus *Thamesin* ab ejus ostio usque ad fluvium *Lea*: inde ad caput *Leæ*: deinde recta *Bedfordiam*: deinceps secundum *Isim* ad *Watl'ngstratam* in quam *Huntingtoniæ* incidit. Cæteros quod attinet fines, nulli memorantur, quippe jam ab isto oppido versus occasum solis ad Meneviam usque tunc temporis celeberrimus ille viæ agger termini rationem habebat [b].

Legesque iis præscribit.

63. Horum regnorum collatio tractatum quendam, & capitula certa

[a] De baptismo *Guthrumni*, & ejus Procerum duo extant Poematia, unum Hardingi, alterum vero antiquum sed anonymi, inter Weeveri monumenta funebria, Nordvici p. 749.

The Gunter that fadir was of Havelok
Kyng of Denmark, was then of micel might,
Arived so then in England with his flok,
Danes fel, cruyl, mighty, and wight, &c.

Guthrumnus Headlegæ (Hadleigh hodie in Suffolcia) ubi palatium ejus erat, obiit, ibique sepultus est; & East-Anglorum regnum cuidam *Erico* Dano commendavit, de quo nihil scriptu dignum reperimus; nisi forte ad imperium, quod injuste usurpaverat, violentia tuendum, *East-Anglos* in auxilium *Hastengi*, reliquorumque è *Cantio* appulsorum, & ad *West-Saxoniæ* invasionem maritimam excitaverit.

[b] Et hoc quidem permagno judicio Rex fecisse videtur. Regiones enim illas habitatoribus fere vacuas, & primo barbarorum furori semper expositas, barbari sanguinis impensa & periculo hac ratione defendi voluit. Quæ vero hic dicuntur de Regni utriusque limitibus ulteriori eget disquisitione. Fœderis Ælfredi & Guthrunni, c. 1. hæc habentur.

Æꞃeſꞇ ẏmb uꞃe lanᵹᵹemæꞃa up on Temeſe. ⁊ ðonne up on Liᵹan. ⁊ andlanᵹ Liᵹan oð hiꞃe æꞃylm. ðonne on ᵹeꞃihꞇe ꞇo Bedanꞅoꞃda. ðon up on uſan oððæꞇ linᵹa ſꞇꞃæꞇ.

Quod Latine ad verbum sic sonat.

Primo circum nostræ Terræ limites super Thamesin, & tunc super Ligeam, & ad littus Ligeæ usque ad ejus fontis originem, tunc directe ad Bedansordiam, tunc super Ousam usque Watlingstrætum.

Quæ intelligi possunt, primo, vel quod *Ælfredus* ei concessit tantum East-Angliam & Essexiam, ac si fines regnorum essent *Tamesis, Ligea*, usque ad *Hartfordiam*, ab *Hartfordia* ad *Bedfordiam* per Watling-street. A *Bedfordia* per *Usam* usque ad mare.

Vel secundo, quod ei dedit usque ad *Bedfordiam* supra *Ousam* sive *Isidem*, & deinde omnia extra Watling-street, hoc est, extra lineam à *Bedfordia* ad Cestriam ductam; ibi enim viam hanc terminari ab omnibus fere concessum est. Quod ad me attinet, prior mihi arridet sententia; si modo verus sit iste articulus; qui à Bromptono prorsus tacetur. Quoniam nullus ex antiquis Historicis, neque è novitiis (quos videre contigit) præter Malmsburiensem *Northumbriæ* Danis datæ meminit; sed quod *Ælfredus* iis *East-Angliam* concesserit, eamque statim post discessum à *Cirencestria* partiti fuerint & incoluerint. Secundo, Quod via Watling-street (quæ à *Dubria* ad *Cestriam* perrexisse ab omnibus fere conceditur) per *Huntingdoniam* transiret, nullo modo verosimile est; imo nec per *Bedfordiam*, licet fortassis non adeo longe abinde, *cum Verulamium transiret*, distare poterat. Sed viarum nostrarum delineatio difficilior est nodus, quam qui à me solvi possit, cum omnes nostros Antiquarios effugerit. Tertio, Nulla prorsus sunt, quæ à Gothrunno, qui *Hadlegha* in *Suffolcia* habitavit, & *East-Angliam* tantum cum suis occupavit, inter Northumbros facta dicuntur. *Ælfredus* autem post binos annos *Guthricum Northumbrorum* statuit Regem, quem incolæ somnio à Sancto *Cuthberto* moniti petierunt: & post *Guthrunni* mortem Rex *East-Anglos*, non autem *Northumbros* sacramento fidelitatis novo, & obsidibus datis sibi asserere conatus est. Quarto, Quod *Gothrunno* sive ipsius institutione, sive propria usurpatione quidam *Ericus* in *East-Anglia* non autem *Northumbria* successerit. Unde maxima malorum seges *Ælfredo* orta videtur. *East-Angli* enim Piratis quibuscunque advenientibus sese adjunxerunt, Regis territoria ipsi etiam invaserunt, & *Hastingo Appledorensibusque* receptum & auxilium concesserunt. Neque penitus ab *Ælfredo* subjugati *Edwardo* Principi, tum fælici, tum strenuo, plurimum negotii facesserunt. Cum *Bedfordiam*, *Huntingdoniam*, reliquasque urbes limitaneas adversus ipsum muniverunt & defenderunt.

de

de imperio, quod clientelari jure subjectum tenere debuit *Gothrumnus*, recte administrando, necessario subinduxit. Leges, in quas eo tempore conventum est, partim hodieque apud nos extant (inter Saxonicorum Regum leges à Lambardo nostro editas) binis omnino pactionibus contentæ: Quarum prior hunc titulum præ se ferens, *Fædus Ælfredi & Guthrumni*, nihil aliud continet, nisi capitula quædam ad tempus provisa, rebus tantisper fulciendis donec ordinata Repub. arctior intercederet concordia, & firma pax inter utrosque populos stabiliretur. Eoque post fines descriptos, & terrarum divisionem supra memoratam specialiter factam, statuit, uno eodemque pretio tam Anglorum, quam Danorum capita censeri debere. Mulctamque de alterutro occiso pariter æstimandam. Porro Thanum seu Baronem Regium, si de homicidio, sive de crimine alio, quod 4 marcas excederet, postularetur, per duodecim ex paribus, reliquos autem subditos per 11 pares unumque ex Baronibus Regiis, fore judicandos. Addit, neque venditionem mancipiorum, neque equorum, neque boum, legitimam habendam, nisi venditor sponsione facta publice eam recognoverit. Denique illicita militum ab uno exercitu ad alium transfugia, sine Regis vel Ducis licentia, non esse ferenda.

64. Posterior capitulatio, quæ brevi post priorem insequuta est, à Lambardo inscribitur; *Fædus Edovardi & Guthrumni*, quod eo præcipue spectat, ut Legibus Dano datis eum intra Christianæ fidei præscriptum cogat; formula tamen verborum Saxonibus æque ac Danis (quod enormis istorum temporum licentia flagitavit) communi, & graviori quidem pæna in Saxonas transgressores ut plurimum, constituta. Legum harum forma in hanc sententiam habetur. Quod ethnica impietate relicta Deum unum, eumque solum adorabunt; quod Ecclesiæ pacem inviolatam; pacemque Regis illibatam custodient. Siquis Christianam fidem exuerit, adeoque dictis, aut factis cultum promoverit barbarum, capitis æstimatione, mulcta, aut ipsa Legis violatæ pæna (prout ipsa feret facti ratio) culpam pensabit. Post hæc sequuntur constitutiones adversus clericorum delicta, contra incestum, contra decimarum subtractionem; ne quis emat, vendatve, aut opus servile faciat die Dominica; ne quis Ecclesiæ jejunia violet; neu causæ cognoscantur diebus festis, aut abstinentiæ solennis; neve in sontes animadvertatur diebus Dominicis: contra veneficas, perjuros, &c.

65. Utcunque vero instrumentum hoc Lambardo, viro perquam erudito, *Fædus Edovardi* dicatur, tamen inter Ælfredi potius quam Edwardi acta censeri debet. Quamvis (quo major Autoritatis species accederet) etiam Edovardus in has leges ferendas assumptus fuerit. Hic enim titulus lingua Saxonica, qua etiam primitus conce-

ptum eſt, præfigebatur. *Ordinatio quam Rex Ælfredus, & Rex Gothrumnus primo, dein Rex Edwardus, & Rex Guthrumnus fecerunt: quo tempore Angli, Danique ſe ad pacem integram, & amicitiam compoſuerunt.* Hoc autem Ælfredo ſuperſtite factum manifeſte arguit, quod Gothrumnus minimum decennio ante deceſſerit, quam Edovardus ſolus regnare cæperit. Atqui quemadmodum Edwardi nomen in Sociam partem hujus conſtitutionis forte originem erroris quibuſdam præbuerit, quaſi Guthrumnus ab Ælfredo non fuiſſet ſubjugatus, ita Lambardi verſio hunc errorem firmare videatur; dum non tantum Edovardo ſoli poſteriorem conſtitutionem attribuit, verum etiam pro Legibus Fœdera nominat, quaſi fœdus aut pactum Ælfredi vel Edovardi fuerint; hoc eſt, ac ſi Guthrumno leges non dediſſet Ælfredus, verum cum eo terram partitus eſſet; & fœdus veluti cum parte ſui omnino juris, nec ſuperiori poteſtati obnoxia contraxiſſet, & cum in Saxonico harum legum exemplari hujuſmodi verba habeantur; *in quo die homines juraverunt* (quod plane ad Danos referendum). Interpres veluti de Rege dictum reddidit, *die, in quo hæc juravimus*: ac ſi Ælfredus æque juraſſet atque Dani. Cum tamen hoc illi ultro detuliſſent, ſe iis conditionibus ſtaturos, quas ipſe vellet; neque fidei obſides ab ipſo poſtulaturos. Porro ſubjungit Aſſerius, ipſos, ſicut erant polliciti, veniſſe & Ælfredo juramentam feciſſe. Ælfredum autem iis juramentum viciſſim feciſſe ne verbo quidem ſignificat. Et ſane Guthrumnus cum Danis (ut ſupra monſtravimus) eo tempore ad infimam & neceſſitatem ſerviendi abjectiſsimam, quæ hoſti poſsit accidere, redacti fuerunt; adeo ut per omnia ſe ad arbitrium victoris referre neceſſe habuerint.

Et ut ea regna ſub Ælfredi tenerent. 66. Ulterius autem ut conſtet, quo jure Eaſt-Angliam & Northumbriam, ab Ælfredo in eum collatas, Guthrumnus poſſederit, diſerte teſtatur Malmsburienſis ipſi datas; *ut eas ſub fidelitate Regis jure hæreditario foveret, quas pervaſerat latrocinio.* Quibus accedit, ex eo ipſo quod leges conjunctim tulerint, colligi poſſe alterum alterius fuiſſe clientem: nam ſi ambo domini fuiſſent pari jure, ſupervacuum fuiſſet utrumque conjungere, quorum neuter in alterius ſubditos poteſtatem haberet. Item poſtquam Rempub. male adminiſtranti Guthrumno Northumbri de Sancti Cuthberti conſilio per quietem dato, ademptam in Guthredum tranſtuliſſent; iſque ea de cauſa Aſyli privilegium S. Cuthberti monumento concederet, & donatione facta, territorii quantum Tinam & Teiſam interjacet Epiſcopis Eboracenſibus confirmaret: Ælfredum cernimus, ut ſupremum Dominum, utriuſque muneris autorem etiam codicillis aſcriptum. Quid quod Abbas Croylandiæ, quamvis intra Guthrumni ditionem pariter eſſet, Abbatiæ iſtius præfecturam non tam Guthrumno quam Ælfredo acceptam

Dunelmenſibus potius.

Ingulph.

ptam tulit; neque in dubium venire poteſt, quin ſumma rerum omnium jam penes unum Ælfredum reſideret; qui Guthrumni, Danorumbue, quotquot Angliam id temporis incolerent, Dominus & eſſet pariter & agnoſceretur.

67. Cum in has leges jam eſſet conventum, re tranſacta, Dani Chippenhamia conſurgentes, ſatis lentis itineribus Cyrenceſtriam in agro Gloceſtrenſi adeunt: ubi etiam, quando intra Weſt-Saxoniæ fines non eſſet ſita, quamvis alias ad Ælfredi dirionem ſpectaret, totum illum annum commorari nihil dubitant. Jam vero alia Danorum claſsis advehitur, qui Thameſin bene longe permenſi Fulhamiæ conſederunt, quo tempore communicatis cum Guthrumno conſiliis, primo ipſi ſe ſocios obtulerunt, deinde comperto quod ille inſtituta ſequeretur ſtudiis ipſorum diſſentanea, ſtatim ab eo diſſociantur; & experti viam, quam inſiſtere parabant, periculis opinione pluribus obſeptam, ob ea quibus ſaluti publicæ recens ab Ælfredo proſpectum erat, vere proximo in Flandriam trajiciunt, & Gandavi conſident. Ubi etiam immanem illam ſævitiam exercent quam nobis hic fruſtra intentaverant.

Illi West-Saxonia egreſſi Cirenceſtriam adeunt, an. 879. æt. R. 28. R. 6.

68. Guthrumnus, Cyrenceſtriâ relictâ, regnum Eaſt-Angliæ recta adiit, eamque militibus ſorte diviſit. Horum pars longe major ibi ſedes fixit, & incolere cæpit. Milites vero, qui poſt cladem & pacificationem Edingtonæ factam à Chriſtiana fide recipienda abhorrebant, quietem & agriculturam pariter exoſi à Guthrumno deſciverunt; & ad alias fortunas quærendas accincti, electo ſibi in Ducem Haſtingo quodam, anno ſequenti in Galliam Orientalem, quæ Flandria dicitur, tranſmittunt. Ubi primo cum Francis congreſſu re bene geſta, proſpero ſucceſſu (prout iis conſuetum erat) uſi tantam equorum multitudinem corripiunt; ut dicuntur omnes repente equites extitiſſe. Dein aliquando terram equis, aliquando mare navibus ſubeuntes, per Moſam, Scaldim, Samaram, & cæteros fluvios una cum iis qui ante Gandavi conſederant, per integrum quadriennium ingentes convectarunt prædas; è toto illo tractu Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Artheſiæ, Picardiæ, reliquorumque locorum vicinorum. Poſtea autem cum diverſas regiones populati, ex conſtituto in Ambianos Samaræ impoſitos conveniſſent, totum exercitum in bina agmina dividunt: hi quidem retro in Flandriam, ut loca modo direpta penitius excuterent; illi vero rurſus in Angliam revertebant, quo negotium Ælfredo faceſſerent, quod inferius explicabitur.

Inde Eaſt-Angliam.

Quo tempore novus Danorum exercitus, ſub Haſtingo Tameſin, an. 880 *ingreditur, qui, cum Guthrumnus ſe iis ſociare nolebat, ſtatim in Franciam tranſeunt.*

Malm. an. 881. ætat. Reg. 30. Regn. 8.

885 R. R. 12.

69. Inter hæc Ælfredus (dum ab hoſte circa alia occupato paululum ei reſpirare conceſſum) nullo ſtudio & vigilantiâ, quibus quicquam profici poſſe videretur, omiſſis; ut fortunæ modo fælicius aſpirantis æſtu quam optime uteretur, oras maritimas adverſus hoſtium inſultus

Rex tranquillitatis aliquantulum adeptus claſſem parat, & cum piratis dimicat.

insultus oculo vigilanti custodiendos curavit. Classem numero navium (quarum ingenti labore & assiduitate copias incredibiles apparaverat) adeo auxit, ut anno 882 insigni prælio depugnaret cum numerosa Danorum classe: qui exploratum venerant, qua parte se littori commodius applicarent. Cujus certaminis hic fuit exitus; quod naves Regiæ, post acerrimum prælium cum hostili classe commissum, duas ex Danicis navibus expugnarunt, omnesque prædones illico, sicut à Rege erat mandatum, occiderunt. Simulque binas alias (quibus duo ex summis hostium ductoribus inerant) plerisque propugnatorum aut occisis, aut graviter vulneratis, regiam implorantes misericordiam in deditionem acciperunt. Reliquæ autem aut debiles factæ, aut inter pugnandum disjectæ, ista contumelia accepta cogerentur in latrociniis alibi exequendis novam experiri fortunam.

Dani è Francia reversi Rofestriam obsident, sed Regis adventantis metu præda relicta rursus in Franciam discedunt.

70 Multis hujusmodi conflictibus bene rem gesserat classis Regia; cum nihilo secius ea multitudo peregrini militis subinde advenerat, (eo quod neque de vicinorum apparatibus, neque de profectionibus quicquam per exploratores ante pervestigare moris erat) ut ei nullis humanis viribus occurri posse videretur; quin dum Regii his alibi impugnandis distinerentur, illos alibi tuto in terram exponi contingeret: inter quos etiam pars illa exercitus, quam prius diximus trans mare dilapsam, postquam se à reliquis popularibus circa oppidum Ambianorum disjunxissent, Angliam rursus petentes in Cantium incolumes perveniunt: & amnem Medwægam subvecti Rhoffham obsident. Ibi continuo magnam & excelsam de materia turrim præcipuæ urbis portæ adversam excitantes; alias item minores munitiones circa murum passim disponunt. Verum oppidanis fortiter resistentibus, Ælfredus summa cum celeritate subsidio venit. Tum vero Pagani jam pridem experti cum Rege in acie, si quod uspiam pateret effugium, non temere decertandum, simul ac intellegerent Regem cum exercitu advolâsse, suis viribus diffisi, & conatis desistentes, in naves præcipiti fugâ se recipiunt; ne forte navium potitus Ælfredus, ipsos omni se in alias regiones transportandi facultate intercluderet. Adeoque in hanc unam salutis cogitationem defixi tanta festinatione fugam maturant, ut & ipsam prædam (quam omnibus aliis omnino rebus longe chariorem habuerunt) quo essent ad fugam expeditiores, copiosam à tergo reliquerint. Maxime quidem equi & captivi, quorum utrorumque numerum non parvum habuerunt, Saxonico exercitui prædæ & opimæ quidem cesserunt. Atque ita haud diu in his partibus commorati, sarcinis abjectis iterum trans mare in Galliam, ubi securius rapinas agitarent, necessitate compulsi rejiciuntur.

Rex littorum tutamini sese applicat, recentemque exercitum, priusquam terram attigerit, cadit.

71. Ælfredus ab his advenis opinione citius liberatus, in illud quod prius instituerat, omni diligentia incumbit, ut prædones scilicet subinde

ſubinde commeantes portu prohiberentur. Quippe magis indies & magis ſenſerat hujuſce mali cauſam eſſe, quod hactenus in vi repellenda occupatus ſua tantum tutari curaverit. Ad hanc autem bellandi rationem Regionis præſens conditio haud multum favebat; nam littoralis tractus ubique, vel ab hoſte vaſtatus, vel prædonum metu, qui crebro exſcenderent populabundi, deſolatus, omnibus, qui modo veſtigium in arido figerent incolumes, facile patuit; quod & prædonibus nimis compertum. Quorum examina exſcenſionem fecerunt, quoties regia claſſis de cuſtodiis aliquid remitteret, aut alibi diſtringeretur in oppugnandis iis in quos forte inciderat. Ipſe etiam Rex antehac hoſtibus non prius obſtiterat, quam cum eorum aggreſſiones ſentiret, aut minas propius metueret. Et cum ad prælium eſſet ventum, ſi Rex vinceret, præter inane victoriæ nomen nihil ab iis lucrabatur: ſin eſſet victus, non tantum navales copias amiſit, ſed & terra damnum non minus patiebatur. Nunc autem de ſumma belli meliori ratione gerendi deliberans acerrimum hoſtibus bellum inferre ſtatuit: licet eos nullum ſive habitaculum, ſive ſtationem, ſive patriam, ubi ipſos aggrederetur, poſſidere cognoverat. Cum enim regna *Eaſt-Angliæ*, atque *Northumbriæ Guthrumno* Daniſque ipſi ſubditis Regio beneficio conceſſa, Germaniæ littoribus objaceant, adeoque peregrinis inde pedem huc inferentibus maxime ſint expoſita, illuc bellum primo transferre cogitabat. Eoque magis, quia piratæ toto illo littore ſe jugiter in hanc inſulam infundentes, & facile à popularibus recepti, ſub *Guthrumni* tutelâ deliteſcebant. Adeoque non ſolum ſe latrociniis & piraticæ faciendæ licenter addicebant, ſed omnes illos commercio ſibi jungebant; qui territorium *Ælfredi* quavis ratione infeſtum haberent. Quibus quidem coercendis cum *Guthrumni* (cujus fides ſemper infra debitum ſubſideret) facultas, incertum an voluntas, deeſſet; non tantum damnis aſſidue datis Regi negotium exhibebant, & Regni pacem continuis invaſionibus ſolicitabant; verum ſi quando extrinſecus hoſtilis impreſſio, aut inteſtinum aliquod malum Rempub. forte affligeret, hi, tanquam nubes venti ſedem occupans, procellam ab omni parte incubituram minitabantur. Rex ergo militibus in quaſdam naves, quas in *Cantio* armaverat, affatim impoſitis, mandat ut *Eaſt-Anglorum* prædonum Myoparones in ipſis portubus aggrediantur, dein etiam domus & oppida diripientes, ipſis ſuum ſibi Martem referrent. Hi regia capeſſentes juſſa [a], ſub ipſum egreſſum in amnis *Sturii* oſtio, 16 Danorum prædonum paronibus ad pugnam probe inſtructis, & de more prædæ cujuſpiam oc-

[a] Arbitratur Author prælium hoc ad oſtium *Sturæ*, fluvii *Cantiani*, commiſſum; cum tamen alius datur ejuſdem nominis, qui *Eaſt-Angles* ab *Eaſt Saxonibus*, *Suffolciam* ſcilicet ab *Eſſexia*, ſeparat; in cujus oſtio, ubi nunc *Harwicus*, pugnatum eſſe poſt Lambardum nemo dubitat.

casioni intentis obviam facti; quamvis Regio jussu alio properarent, cum tamen in eundem hostem, & ad idem bellum conficiendum res spectaret, nihil verentur prædones aggredi. Qui, sicut erant bellicosi, Regiæ classis impetum diu sustinuerunt, donec transcensione in eos facta tandem à Regiis expugnantur. Qui ipsos quidem prædones interficiunt; naves autem cum pecunia non parva captas victores ad suos domum abducunt.

Fugati tamen alios ex East-Anglia *sibi sociantes inopinato Regis classem aggressi damnum ei inferunt;*

72. Victoria hoc prælio parta recentes & adhuc indomitos *East-Angliæ* Paganos adeo commovit, ut illico contractis, quot parare poterant, navibus iisque numeroso milite instructis, quasdam ex Regiis navibus ad ostium *Thamesis* derepente invaserint; quibus vi subitanea interceptis potius quam oppugnatis (nam de nocte videtur factum, nautis fere cunctis jam dormientibus) Pagani (quemadmodum refert scriptor quidam, ordine rei non alias enarrato) victoriam reportarunt.

Pacem tamen postulant, & discedunt. Rex urbes direptas & incensas restituit.

73. Cum dico vicisse, nihil amplius mihi velim, quam isto congressu superiores abiisse. Ita tamen, ut advenarum & East-Anglorum iste exercitus (quemadmodum & alii illi *Guthrumno* subjecti superius fecerant) utcunque prælium ipsis commode successisset, nihilominus statim post commissam pugnam ab *Ælfredo* pacis conditiones expetierint. Quam & eodem ipso anno rursus *opprobriosissime* (referente quodam) violarint: quo autem facto, quibusve commodis inde sibi quæsitis, parum liquet: hoc vero satis constat ex rebus à Rege deinceps gestis, ipsius successus & consilia, per ea, quæ perpetraverant hostes, non multum fuisse labefactata. Quamvis enim incensa oppida & ingens civium cædes hic loci à plerisque scriptoribus memorata, non obscure indicant hunc annum 886 Regi fuisse exercitatissimum; tantum tamen aberat ut cursum, quem jam instituerat, de pacanda & ordinanda Repub. tardaverint, ut medios inter tumultus (ac si pace & ocio abundaret, nec assiduis bellis jactaretur) armatus restituendis & muniendis oppidis ab hostibus vastatis, serio incumbit. *Londino* præsertim; quam *Athelwolpho* regnante captam, & à Danis tunc direptam, atque, uti videtur, ab aliis ejusdem gregis nuper oppressam, atque adversus Regem communitam, obsidione valida sibi vindicavit. Eamque, sive ratus opportunam Regni finibus tutandis adversus prædones *Thamesin* subeuntes, seu situs amænitate dignam, quæ totius Insulæ metropolis jam tum haberetur, cum accuratius instaurasset, ædificiis in ampliorem formam quam quæ olim fuerit extructis, custodiendam *Æthelredo* concredit genero, virtute & nobilitate præstantissimo: quem etiam creavit *Merciæ* comitem; quæ recenter Anglici imperii provincia facta, Regnum abhinc esse desiit.

Ass. Men.

74 His

Fines munit; militiam ordinat.

74. His successibus, qui Regi nuper in Danos obtigerant, eoque apparatu, quo se domi munierat adversus peregrini militis affluxum, factum est, ut Danorum torrentes, paulo ante Angliam inundare soliti, jam magna ex parte in Galliam aliasque Regiones sese conferrent. Verum cum humor vitiosus, utcunque ad tempus aliquod breve alio derivetur, si venis & visceribus adhuc inclusus resideat, perpetuo ad prius debilitata membra recurrere soleat, nisi pars prius affecta medicamentis adhibitis validius confirmetur: ideo Rex ad omne fortunæ momentum, quoad ejus fieri potuit, intentus non modo (quod nobis supra memoratum) oppida diruta instauravit, verum etiam novas urbes condidit, & per opportuna locorum arces disposuit. Delectum etiam militum ita commode partitus est, ut & oneri subditorum levando magis consuleret, & eos ad omne opus, quod aggrederetur, paratiores & magis in procinctu haberet. Sæpius enim ante id temporis contigerat, ut Rex cum copias, quantas posset maximas, in hostes hac accedentes duceret, priusquam in eorum conspectum venire posset, rumoribus, alios aliâ è parte adventare longe plures; in diversum vocaretur. Interim vero cum nondum constitutum haberet, utris occurrendum sit, per nuncios monetur, ut utrisque omissis in tertium agmen, quod ambobus gravius instaret, turmas raperet. Cumque Regii exercitus præsentia & conspectus ad hostem profligandum forte valuisset, ipse labore suo, solicitudine & ultra, citraque cursitatione confectus & fere superatus elangueret. Quapropter *Ælfredus*, cum urbes & castella firmis, perpetuisque præsidiis communisset, reliquam gentem pro re nata evocandam in classes ita distribuit; ut quantum subditorum uspiam in armis excubaret, alterum tantum militiæ munere vacaret. Qui tamen stato tempore per vices certas integri fessos exciperent; aut si usus venerit, justo citius exciti, tempestivum obsessis subsidium afferrent. Simul Regius miles, dum alternas vices obit, ipso rerum usu edoctus, non modo justa militiæ tempora & munera per se spectabat; verum etiam levaminis atque emolumenti inde percepti sibi conscius, alacritate parendi, regia jussa, & bellandi institutiones longe promtius & felicius exequebatur.

Ingulf. f. 495.

Reversi in patriam Angli una cum Danis Regis in obsequium se dedunt.

75. Ea prudentia Rempub. administrabat Rex, dum furor armorum se paulum remitteret, ut cives, qui vel hactenus cum hoste pepigerant, vel patria ab inimicis pulsi peregre extorres agebant, vel domi in latibula, quæcunque tutamen præstiterant dispersi irrepserant, adeo manifestis Regiæ prudentiæ atque virtutis indiciis eliciti jam undiquaque redeunt ad officium; seque, suamque fidem Domino communi dedunt. Adeo ut Anglis ad Regis obedientiam ubique denuo conversis; Dani etiam, quamcunque Regni partem incolerent, obsequium debitum pacti, pro summo Domino *Ælfredum* recognoscebant, &

 obsidibus

obſidibus datis fidem ei pignorabant, & Alienigenæ, fruſtra tentato ſæpius ingreſſu, ſponte tandem Inſulam velut infidum receptaculum abdicabant; ipſaque etiam terra per 10 aut 12 annos perpetuos mediocrum otii atque quietis fructum percipiente crederes utiq; pacem Angliæ Monarchiam in ſe recepiſſe condendam; tantoque operi penitus intentam, hoſtibus externis, ne quid amplius interturbarent, aditum occluſiſſe.

Claſſis Danica Cantium è Francia appellit, & Apledoram munit.

76. Verum uti videtur ea Britannici ſoli dulcedo habita eſt; ut qui modo deguſtaſſent inſulam, quicquid alibi fortunarum quæſierant, hic ſibi poſſidendum expeterent. Quamobrem cum numeroſi illi prædonum greges, qui hinc in Galliam Orientalem & occiduam tranſmiſiſſent; ibique tum quotidianis advenarum acceſſionibus, tum inita ſocietate cum compluribus ejuſdem gentis atque farinæ hominibus adaucti eſſent, Duce Haſtingo, per 12 aut 13 annos longe, lateque devaſtaſſent quicquid terrarum Moſam, Scaldim; item Sequanam, Matronam, Ararim, necnon Iönam, flumina adjacet, & nongenta circiter Cænobia inter iſtum latrocinii curſum in cineres redigiſſent; jamque omnibus Galliæ provinciis eo uſque terrori fuiſſent, ut Arnulphus Imperator, Francorum id temporis Rex, quo laborantes terras iſtiuſmodi peſte liberaret, præter Francorum copias, etiam imperatoriam manum educere, & Saxonas ipſos atque Bavaros iis opponere coactus eſſet. Et cum eorum ope, ſemel atque iterum proſpere, ingenti Danorum cæde facta, pugnaſſet: tandem Dani ſpoliis oppidorum omnium, quæ ad amnes ſuperius nominatos ſita ſunt, onuſti (Lutetiâ Pariſiorum exceptâ) magnoque jumentorum atque navium numero inſtructi, Bononiam conveniunt. Unde anno 893, 300 navibus inſcenſis, majore cum ſpe, quam unquam ante conceperant, Angliam iterum petunt. Harum 250 *Cantii* littora tenentes, oſtia [a] *Rowtheræ* fluminis invehuntur; ubi nunc *Ryga* ſita eſt, & amnem ſubeuntes, *Appledoram* uſque veterem munitionem tenui præſidio inſeſſam opprimunt; cujus exciſæ ſolo validius & amplius munimentum imponunt.

Et Haſtingus cum aliis 80 navibus prope Miltonam conſidet.

77. Reliqui 80 parones, ipſo ducente *Haſtingo* [b], qui jam factis eximiam nominis celebritatem aſſequutus erat, oſtia Thameſis invecti, & *Middletonæ*, ſecus fontes Cantianos, expoſiti, caſtra validis operibus

[a] *Limenem* fl. dicit Chr.Sax. reliquiq; ſcriptores antiqui, Author noſter quia *Routhera* hodie *Apuldorum* præterfluit, ipſom ingreſſos aſſerit Danos; ſed veriſimilius eſt fluviū *Limenem* per *Apuldoram* ad *Hitham* (ubi ejus oſtium antiquitus) tranſiiſſe, licet alveus à longo tempore jam nuſquam comparuit.

[b] De hoc *Haſtingo* multa narrant Hiſtorici tum Francici, tum noſtrates, (vid. Walſing. Hypodig. Neuſt.) Aliqoi ipſum *Haddingum*, ut Ubbo Emmius, vel *Addingum*, ut Moriſotus, appellant. Eumque dolo baptiſmum obtinuiſſe ab Epiſcopo cujuſdam civitatis (quam Lituit, Limam, Lunam, vocant alii, Maris Tyrrheni (forte ad ſinum hodie *golfo di Spezza* dictum) litore poſitam) ſtatimque poſtea pro mortuo elatum, & in urbem ad ſepulturam admiſſū, Epiſcopum, Comitem, incolaſque omnes trucidaſſe. Tandemque poſt multa bella, labores, naufragia, & miſerias perpeſſas, à Rege Franciæ civitate *Carnotenſi* donatum, ibi reliquum vitæ tempus pacifice tranſegiſſe.

com-

communiunt [a]. Foxius (Author ſatis locuples, quique ſe teſtatur monumenta aliuſmodi inſpexiſſe de *Ælfredi* vita, quam quæ hodie extant) hoc ipſo tempore alios in diverſis Regni locis appuliſſe Danos aſſerit. *Ælfredum* vero *Guthrumni* morte (quæ ſub hoc tempus contigerat) & quibuſdam ſubditorum querelis adverſus Danos mediterraneos permotum tunc inter Eaſt-Anglos verſatum fuiſſe, cum ei nunciatum eſſet, copias illas peregrini militis huc appuliſſe. Verum neque ipſe Foxius eo progreſſus eſt, ut quicquam ab ipſis factum ſignaret, neque ullam ipſorum mentionem alibi fieri comperimus. Quippe res *Ælfredi* auſpiciis geſtæ ab anno 886, in quem Aſſerius Menevenſis definit, parcius quam antea, & lacunis crebrius interjectis, ad nos pervenerunt. Æqui igitur bonique, quæ habentur, ſcripta conſulentes, accepimus *Ælfredum* Guthrumno mortuo Northumbrienſes, & Eaſt-Anglicos Danos ſacramento fidelitatis rurſus adegiſſe, eumque in finem ſenos ab iis obſides novos imperaſſe [b]. *Flor. Wigorn. Chron. Sax.*

78. [c] Auditus rumor Danos huc tam ingentes copias ſecum reduxiſſe omnia fidei & obſequii vincula inter colonos hic prius demorantes & *Ælfredum* Dominum continuo dirumpit. Lucelli prædæque ſpes *Quibus Dani incolæ adverſus Regem rebellantes ſe conjungunt.*

[a] Quæ adhuc ex parte remanent, vocantur Kemsley-Castle, ſuper Monticulum, vel dunos Kemsley, non longe ab Eccleſia *Miltonæ*, ſive *Middletonæ*, & prope ſinum *Miltonæ* dictum, adhuc navibus minoribus recipiendis commodum: pluribus vero indiciis ſatis conſtat paluſtria illa infra oppidum verſus mare pontum tenuiſſe. Locus iſte non longe diſtat à *Sittingburna*, à fontibus ebullientibus (quos fontes Cantianos Author noſter appellat) ſic dicta.

[b] Chr. Sax. dicit *Guthrumnum*, anno 890, Florent. 891 obiiſſe. Utrique vero obſides hos *Ælfredo*, anno 894, datos conveniunt.

[c] Adeo confuſe ab Hiſtoricis noſtris traduntur horum exercituum in *Cantio* metatorum geſta; ut difficulter admodum in methodum perſpicuam reduci poſſe videantur. Bromtonus certe, qui Chronicum Saxonicum fere tranſtulit, totam omiſit narrationem. Alii partem aliquam, prout intellexere ſcilicet, inferunt. Hoc autem modo ſe rem habuiſſe exiſtimo. Exercitus ille, qui *Apledoræ* conſederat, naves, quibus advecti ſunt, in *Eſſexiæ Merſeiam* Inſulam, tanquam in tutiorem & commodiorem locum, ipſi poſt peractas prædationes terra illas repetituri, præmiſerunt. Interim nunc huc, nunc illuc, ubi prædæ ſpes effulſerat, turmatim exierunt. Verum cum hoc male iis ſuccederet; aliquando enim à Regio exercitu, aliquando à Præſidiariis (caſtella enim Regem locis idoneis poſuiſſe dictum eſt) ipſiſque aliquando militibus, qui Agricolarum munere ex ordinatione regia domi fungebantur, intercepti, & occiſi ſunt. Bis autem totus ſimul exercitus é caſtris excedere verſus Merſeiam itinere ſumpto conatus eſt. Semel *Londinum* verſus, dum Regius exercitus *Cantium* ingrederetur; cui occurrere metuentes in caſtra re infecta redierunt. Rurſus verſus Eſſexiam feſtinatis itineribus contendunt; Regii vero eos *Feornhamiæ* (Fernham prope Ailesford, Speed) non longe à *Thameſi* aſſequuntur; & magno prælio eos fundunt. Qui è fuga ſe colligere poterant *Thameſin* tranſnatare conati ſunt, fluctibus autem abſorpti multi perierunt. Qui vero evaſerunt in Inſulam quandam (Brecklesey Speed) fluvii Colne ſe recipiunt; ibique, Rege ipſorum graviter in pugna ad *Feornhamiam* vulnerato, & itineri ſuſtinendo prorſus inhabili, ſe aliquandiu continent. Regius interim exercitus ad *Haſtenum Midletunæ* obſidendum ſe contulit. Ille vero præmiſſis ſuorum aliquot *Beamfletam*, non longe diſtantem, ſed in *Eſſexiano Tameſis* littore, muniendam imperarat. A Rege ergo ipſum premente *Haſtenus* pacem ſuppliciter petit; ſe è Regia ditione diſceſſurum ſpondet, obſides dat binos filios, quos & baptizandos Regi detulit. Rex eos accepit, baptizavit, & animo prorſus Regio patri liberos, & ſplendide donatos, remittit. Perfidus vero iſte exercitum non longius quam *Beamfletam* (eam utpote *Gothrunno* conceſſam extra regios fines præ ſe ferens) traducit; majorique diligentia muniendam curat. Rex interim è *Cantio* verſus *Eſſexiam* eos, qui Inſulam in *Colnia* inſederant, obſeſſurus feſtinat. Sed cibariis deficientibus, temporeque militandi illi exercitui deſtinato jam elapſo, ipſum dimittit; alteriuſque adventum *Londini*, ut videtur, ſervatis tamen ſecum aliquot è *Weſt-Saxonibus* & *Wallenſibus* ſuis ipſi militantibus, præſtolatur. His *Haſteno* nunciatis, ille ſtatim è *Beamfleta* ad prædandam *Merciam* egreditur. Quam occaſionem arripientes *Londinates* Regiis, qui cum ipſo erant, militibus ſtipati *Beamfletam* expugnant, diripiunt, ſubvertunt. Naves, prædant, captivoſque omnes & inter eos *Haſteni* uxorem, filioſque abducentes Regio conſpectui offerunt. Qui uxorem, liberoſque etiam pecuniis, aliiſque donis auctos *Haſteno*, aſſerens ſe neque adverſus fæminas neque Chriſtianos militare, remittit. *Ha-*

spes plus apud eos valuit quam fidei & jusjurandi conscientia (licet in multis etiam baptismo obsignata fuerit;) & plus quam obsidum miseratio; plus etiam (quod in viris ingenuis ad mortem usque valuisse debuit) quam gratitudo versus Regem: qui toties eos obstrinxerat non modo capitis, cum acerbissimæ morti deberetur, gratiâ factâ; verum etiam conjugibus, liberis, bonisque omnibus restitutis; beneficio insuper maximo, ut inter proprios subditos pari jure terram fortirentur. Quibus omnibus cum repetita perfidia multoties excidissent, rursusque belli eventu in regiam potestatem devenissent, nihilo secius eis omnia remiserat; & certamine quodam pietatis (si quid apud impios pietas valeret) gratiarum vincula multiplicaverat.

Chron. Sax. 79. Verum quicquid hujusmodi in memoriam à Danis revocari par erat, id omne repulerat melior quædam fortuna animo præcepta,

stenus à populatione reversus *Beamfletam* aliquantulum reficit; sed *Sceobyriam* sibi commodiorem existimaos, eo se confert, eamqoe munit. Eoque etiam occurrit è *Bricklesseia* exercitus totus *Appledorensis*. Dum *Ælfredus* accepto oovo exercitu obsidioni necessaria parat, ouo.iatum est 140 naves piraticas è *Northumbria* & *East-Anglia West-Saxonia* litoribus imminere; partemque unam in *Devonia* partibus Septentrionalibus, aliam vero oon longe ab *Exonia*, exscencionem fecisse. Rex itaque novo periculo commotus subito versus Occidentem cum exercitu abripitur. Quo cum advenerat, piratæ, qui *Exoniam* jam obsederant, reliquique ex altera parte *Devonia*, ad naves festinanter se conferentes vela versus *East-Angliam* diriguot. Sed io patriam sine præda regredi dedignantes, *South-Saxonas* iovadunt; à quibus, *Cicestrensibus* maxime, viriliter accepti plurimos suorum, navesque fere omnes, amiserunt. Dum Rex in Occidente hac ratione destineretur. *Hastenus* cum *Sheoburiensibus* latrocinandum exit, juxtaque *Tamesin* usque ad ipsos *Wallia* limites omoia depopulatur; tandemque *Butingtuna* (in agro, ut videtur, Salopiensi) considet. Rege absente *Æthelredus*, reliquique Comitatuum vicinorum Duces cum provincialibus festinanter collectis Danos ibi assequuntur, oppidumque obsidione validâ, ex utraque Sabrinæ ripa, firmiter ciogunt. Donec Dani fame, aliisque calamitatibus oppressi eruptiooem ex Orientali *Sabrina* parte faciunt. Et eorum quotquot evaserant (plurimi eoim à Regiis interfecti sunt) castrum *Sheoburia*, & naves suas repetebant. Quibus post aliquod tempus accessit *Laf Northumbrorum* & *East-Anglorum* Dux cum magno exercitu. Omnea itaque locum illum jam vastatum & comesum deserentes *Legeacestriam* (Werheal prope *Cestriam*, vel, ut alii, ipsam *Cestriam*) versus iter capiunt. Rex cum exercitu, qui eos obsessurus (ut videtur) accesserat, eos quanta poterat celeritate insequitur; sed assequi oon poterat antequam oppidum & castellum cepissent. Quare byeme jam ingruente, nolens suos Rex obsidione longa consumere; occisis quotquot invenire poterat, abactoque omni pecore, & segete, quæ ipsius militibus usui non erat, incensa, protinus discessit. Dani postea *Werheala* relicta, *Walliam* Septentrionalem (*Venedotiam*) populabundi ingrediuntur; prædaque onusti *Merciam* transire non ausi per *Northumbros* & *East-Anglos* io *Essexia* Iosulam *Merseiam* contenduot. Ubi non diutius se continent quietis impatientes, quam navium sufficientem nacti nomerum *Tamesin* ingrediuntur, usque ad *Legiam* fluvium remigantes; adversus quem naves suas in stationem, ut ipsis videbatur, commodam (*Wara*, Speed.) 20 à Loodino miliaribus conducuot. Quos cum *Londinates*, eorum vicinitate commoti inde pellere conantur, ab iis fugati sunt. Rex autem, audita hostes in confinio fere civitatis hærere, exercitum suum iis opposuit; fluviumque, sive io plures canales derivaodo, sive ostium ejus dilatando, adeo diminuit, ut navibos extrahendis non sufficeret. Desertis ergo noctu castris navibusque (Cartbrioge, Speed.) *Quatbrigiam* oppidum non longe à *Sabrina* ripa abierunt; castrumque condiderunt. Ubi licet incommode hyemantes initio vero æstatis, antequam à Rege obsidium tempestas patiebatur, inde discedunt; & à *Northumbris* & *East-Anglis* navibus quoquo modo comparatis, regionem totam hanc liberarunt, & in *Franciam* versus *Sequanam* se contulerunt. *Anglia* gentis potestate omnioo fracti, sed peste magis, quâ per triennium grassante plurimi ex illis æque ac *Anglis* perierunt.

Eodem anno piratæ *Northumbri* & *East-Angli* litora Australis & Occidentalis *Saxonia* maxime infestabant, navibus, quas in hunc osum commodissimas dudum antea præpararant; quibus Rex alias è suopte ingenio noviter fabricatas opposuit. Et primo quidem congressu piratarum 20 (velut alii 30) naves à Regiis comprehenduntur. Postea vero in ostio fluvii *Uthermare* in agro Devoniensi novem Regiæ Sex Danicas aggressæ sunt fortissimas, præliumque ineunt acerrimum; quo occisi sunt *Lucumon* Regis Admirallius, *Wulfheard*, *Ebba*, *Ethelr*, Frisones Regis Duces cum suis omnibus Frisonibus; *Ethelfrithus* Regis bubulcus, & Angli omnino 62. Daoorum vero 120. duas oaves Regii ceperunt; tertia, cui 5 tantum vivi restabant, evasit. Binæ ad littus à tempestate compulsæ captæ sunt, piratæque omnes *Wintonia* Regis jussu in sospendium acti; ultima demum luto infixa ab incolis direpta est. Atque hæc quidem eo ordine gesta videntur; sed quibus annis cum Authores fidei indubitatæ, nec ipsa Chronica Saxonica alias accuratissima, præcedentes non habeamus, decernere non possumus.

&

& ut vero-simillimum videtur, spes quædam rerum novarum, quasi jam futurum esset, ut Saxones iis penitus subjugandi forent. Igitur popularibus, Cantium recens advectis, diligenter conspirantes, quandocunque ii profectionem alicubi pararent; horum pars semper accincti spectabant, ut, signo dato, vel se cum eorum copiis conjungerent, vel ex diversa parte regium territorium invaderent; vel turmas ejus, ut ad resistendum minus validæ redderentur aliquo modo distringerent.

80. Verum *Ælfredus* consultius fore ratus, belli, quod imminebat, caput quam partes extremas aggredi; militum quod satis videbatur in *Cantium* ducere maturat. Ubi cum binos hostium exercitus haud multum inter se distare cerneret, ita inter utrosque castra metatur, [a] ut paratus esset vel prælio decernere, si Dani extra vallum in æquum locum descenderent; vel prædatores carpore, si qui à castris longius frumentari, & terram latius populari auderent. *Contra eos Rex statim proficiscitur;*

81. Hunc in modum dispositi diu se castris continuere, neuterque hostium exercitus (quamvis numero militum Regio longe superiores) ausi sunt Regios aggredi; sed tantum furtim, cum se opportunitate locorum tutos crederent, partim equites per aperta camporum, partim pedites per latebras sylvestres hic illic rari rapinas, prædasque tenues avertere sustinuerunt. Verum, præter quod olim evenerat; ita quotidie vel ab exercitu, vel à præsidiis, vel à civibus intercepti sunt; ut sero experti plurimum interesse inter præsentem regni apparatum atque eum quem pridem cognoverant, suam se opinionem fefellisse deprehenderint. Huc accedebat diligens & attenta Regis circa Danos mediterraneos vigilantia, in renovando juramenti & obsidum pignore, quibus in fide continerentur. Hoc enim pacto si minus effecerit, ut in officio manerent immoti, eo tamen usque perfidiam repressit; ut, maturitate sceleris paulo serius collectâ, dum recentibus advenis neque tempestive, neque tali modo, neque tanto eum copiarum numero, prout sperabatur, succurrere potuerint, conatus eorum quodammodo frustrarentur. Quamobrem cum neque conjunctis copiis Regios invadere, neque sparsi ac palantes, sicut ante, pabulatum amplius ire auderent. Præmissis Merseiam navibus (insulam in Ostio Fluminis Colecestriam alluentis sitam) simul universi consurgentes (quo custodias ipsis obtentas eluderent) regium territorium diversis ex partibus semel involant; unde quantumvis excubantibus Regiis, magno pecoris numero abacto, confestim ipsi cum *Ii vero castra deferentes Cantium prædantur.*

[a] Adhuc remanent Castelli (Bayford dicti) rudera ex altera parte fluminis è regione Castri *Kemsley* prope *Sittingbornam*; ubi verisimile arbitrantur aliqui *Ælfredum* consedisse. Alii vero probabilius existimant ipsum potius versus Mediterraneas Cantii partes, fortassis prope *Boctonam*, quasi in medio inter binos exercitus castra metasse; unde prospectus in planitiem utramque facile daretur.

prædâ itinere pedeſtri contendunt Eſſexiam verſus, ad locum quo navibus occurrere conſtituerant.

Quorum aliquos Rex intercipit Farnhamiæ.

82. Rex agminis hoſtilis iter, quoque tenderent, contemplatus, recteque judicans æque fore facile torrentem ripas diluvio operientem intra terminos coercere, ac tam effuſæ hominum multitudini ſemet opponere, intra caſtra ſuos aliquantiſper continuit; donec integrum illum (qui Appledoræ conſederat) exercitum verſus Thameſin ſigna dirigere conſpicatus, rei bene gerendæ opportunitatem concepit. Eoſque celeri itinere Farnhamiæ juxta Thameſin ſitæ aſſecutus, adoritur, fundit, fugat: eorumque complures Thameſin, qua vadoſus non eſſet, ſine navigiis tranſire compellit: prædamque ingentem & equos magno numero, quos in Gallia rapuerant, obtinet. Quod ubi fecerat, immiſſis qui fugientem hoſtem inſequuti exciperent, ipſe ſe alio convertit hoſtibus, diverſam aliquam regionem infeſtantibus, pariter occurſurus.

Alii cum Hastingo ſe muniunt Beamfleta, ut Merciam prædentur.

83. Haſtingus cum ſuis, ſive ab Ælfredo facto obviam compulſus, ſeu ſponte, fortean etiam doloſe, per colloquium ut eum interim lactaret, dum alii terras ipſius popularentur, cum Rege tranſigens, interpoſito juramento, ſe nihil ipſius territorio damni illaturum, obſides ipſi tradidit; & ipſius oratu, duos etiam filios baptizandos dedit; quos Ælfredus & Æthelredus genet ad baptiſterium ſuſceperunt, eoque nomine Rex in eos multa donaria contulit, & ipſos incolumes dimiſit. Ratus fore, ut Haſtingus jam in aliquo Danicæ coloniæ parte conſideret tranquillus, quod & poſtea fecit. Hic vero cum trajeciſſet Thameſin in Eſſexiam, haud ultra Beamfletam, quæ ſecus amnem poſita eſt, ire perrexit: ubi cum ſe valide, uti putabat, communiiſſet, ſtatim cum copiis, quantas educere poſſet maximas, illico in Merciam (Regii territorii partem) irrumpit, eamq; populatur.

Dum Danos Regii Merſeiam verſus inſequuntur, Eaſt-Angli Weſt-Saxoniam invadunt, Exoniam obſident,

84. Regii, qui Danos fugatos à tergo ceciderant, eos Merſeiam uſque in Eſſexia perſecuti ſunt: in qua etiam inſula obſeſſos tenebant, donec inopia rei frumentariæ, & excurſo militiæ ſibi conſtituto tempore, domum diſcedere deberent. Ad quorum vices excipiendas recentem ex Occiduis, uti videtur, Angliæ partibus militem eo ducere feſtinat Ælfredus. Ethnicis enim ſtatutum erat, inde pedem non movere, quia Rex, ſive agminis iſtius ductor, ibi ſaucius decubuit, neque per valetudinem ex iſto oppido tranſduci poterat. [Neque enim fas ullum vel apud Barbaros religioſius colitur, quam nequis miles ducem vivus vivum deſerat]. Verum Ælfredo paululum ſpatii adverſus ipſos progreſſo nunciatum eſt, Northumbrienſes & Eaſt-Anglicos Danos (qui nullis unquam beneficiis in fide contineri poterant, cum ſpes, qualem nunc conceperant, ad defectionem ſolicitaret) jam in unum coegiſſe bis centum & quadraginta naves; factoque circuitu

circuitu per oram meridionalem ex 100 navibus milites in terram exposuisse, qui Exoniam obsiderent. Dein, 40 aliis navibus ab Aquilone ad occasum ulterius circumductos excensione facta Devoniæ quoddam castellum obsidione cinxisse; reliquos autem navigiis se continentes opportunum quæritare locum, quo maxime sese applicent.

85. Rex, his auditis, minime turbatur, nisi quod solicitum se præberet de iis copiis, quæ coram Merseia relinquerentur: quasi subveritus, nequid forte durius paterentur, si satis tempestive iis non subveniretur; incensus igitur cupiditate Danis meritam perfidi furoris mercedem persolvendi, equitatum omnem secum illico reducit, & pedite misso ad obsidionem Merseiæ continuandam, ipse celeritate, quanta potuit maxima, Exoniam contendit. Quo, cum expectato citius pervenisset, adeo potenter hostium consilia disturbavit, ut subita consternatione perculsi cæpta obsidione destiterint, & in naves quam citissime conjecti se alto rursus commiserint. Dicam quod res est, justo tardius ad exequendum quæ deliberavere, venerant; neque enim his, neque Danis Cantium recens appulsis prosperi eventus effulgeret fiducia, nisi Regios ab alterutrius oppugnatione distinere poterant, quam operam alter alteri exercitus navare debuerant. Rex autem, (qui nunquam rei bene gerendæ occasionem elabi passus est) ex ipsorum mora opportunitatem singulos aggrediendi nactus, ea velocitate rem confecit, ut ambos alterna magis frustratione quam suis viribus debellarit.

Quam Regis adventu territi deserunt.

86. Verum neque hæc res adeo male gesta, neque expectatio ob rebellionem improsperam meritæ vindictæ, Danis insitam prædæ & rapinarum cupiditatem unquam ex animo delere potuerunt. Quocirca qui Exoniam reliquerant, in altum provecti, simulque (uti putabant) unde evenerant rediisse crediti, subito in Suffexiam exponuntur: ubi dum quæ in circuitu Cicestriæ sunt populatum exibant, præter expectationem in magnum militum è Cicestriensibus, & proximis oppidorum incolis collectorum numerum impingentes ita debellati sunt, ut magnam partem concisis aut certe vulneratis, multis etiam navibus captis, reliqui, sed pauci evaserunt.

Et navibus se committentes Cicestriæ terram adeunt; à civibus vero plures eorum cæsi & naves captæ.

87. Copiæ Regiæ, quæ Merseiam missæ fuerant, recta Londinum petierunt. Ubi urbano milite, & quibusdam aliis subsidiis, quæ ab Occiduis Regni partibus adducebantur, firmatæ Beamfletam in Essexia deveniunt. Acceperant enim in itinere non solum Hastingum ibi castra communisse, verum etiam majorem partem reliquiarum istius exercitus, qui Appledora discesserat, eo ad ipsum convolasse, seque cum ejus exercitu conjunxisse. Illi enim lentas Regiæ valetudinis moras expectare Merseiæ longum arbitrati (cum nihil quæstuosæ mi-

Regii Beamfletam (Hastingo cum exercitus parte prædatum abeunte) expugnant, capiuntque Hastingi uxorem & binos filios.

litiæ, illo ægrotante, ibi expectare poterant) simulque audientes Hastingum Beamfletæ in loco egregie munito castra metatum, eo se contulerant. Ælfrediani igitur hæc cognoscentes, simulque ipsum Hastingum cum prævalida manu abesse in Regio territorio quam maxime diripiendo occupatum; hanc, inquam, occasionem, quæ se ultro offerebat, neutiquam ex manibus dimittendam rati, castra hostium Beamfletæ vi magna adoriuntur: & propugnatores vallo depulsos partim occidunt, partim fugant, opera diruunt, quicquid in tentoriis invenerant diripiunt, complures è militum conjugibus, liberisque capiunt, inter quos etiam Hastingi uxorem, geminosque filios captos Londinum abducunt: permultis etiam navigiis potiuntur, è quibus, quæ usui non esse futura cernerent, confractis, aut incensis reliqua Londinum atque Rhoffam secum perducunt.

Qui novis datis obsididibus liberantur.

88. Quid Danis Merseiam insidentibus factum haud ultra memoratum comperimus: hoc tantum conjectari liceat, eos, quemadmodum prius ex eodem agmine fuerint, cum iis, qui Beamfletæ consederant, ita jam cum iis in unum corpus rediisse, & ad eadem consilia pariter exequenda profectos. Hastingus autem, cum ab excursione domum reversus perfidiam in suum caput recidisse comperisset, iterum ad pedes Regiós supplex quam demississime provolvitur; is autem, qui haud aliter facilius expugnari poterat, cum captivos tanquam Christianos & à se dilectione plane paterna prius susceptos respiceret, ab Hastingo exorari se passus est; pacem novis conditionibus cum illo redintegrat, amplius obsidum imperat; neque conjugem tantum ac liberos illi restituit, verum, quo cumulatius fieret beneficium, clementiam lautis etiam præmiis, pro regia liberalitate prosequitur.

Reliquia Sheoburiam muniunt, & prædatum exeuntes Buntingtonæ obsidentur & funduntur.

89. Verum fracti atque dissipati Dani, qui rapinarum tantum spe militantes non aliunde stipendia quam ab suis manibus postulabant, quamvis ducibus inter prospera rerum ultro se submitterent, rebus tamen male succedentibus, quin sibi separatim consulerent, nulla se religione obstrictos existimabant. Hi igitur, inter fugam compluribus ejusdem farinæ aggregatis, rursus exercitum ingentem conflant, & ordinibus denuo instructis Sheoburiam secus ostia Thamesis haud procul Beamfleta descendunt. Ubi locum natura satis commodum etiam manu adhuc munitiorem reddunt. Hic auxiliis è Northumbria, & aliis East-Angliæ partibus adaucti prævalida manu Merciam invadunt; & secundum Thamesis oras progressi non intermiserunt omnia populari, & quantum pecoris deprehenderent, abigere, nullibi ante quam Sabrinam fluvium appulerant, considentes. Neque vero segnius Comites regionibus, per quas iter fecerant, præpositi Athelredus, Athelmus & Athelnothus, cum nonnullis præsidiorum præ-

Præfectis, Regiisque quibusdam satellitibus ad provinciarum istarum perpetuum tutamen relictis eos insequuntur. Illique, copiis haud paucis contractis, Britannorum trans Sabrinam agentium ope compulerunt hostes castris Buttingtonæ seu Boddingtonæ communitis se continere. Oppidum id ad minorem ejusdem fluminis ramum in agro [a] Glocestrensi situm est. Hic conclusos per dies complures arcta obsidione premunt, donec Dani primum omni pecore consumto, deinde etiam jumentis, tandem cibi, rerumque omnium inopia confecti turmatim perire cœperint. Tum sero re desperata, eruptionem facere tentant, obsidentes aggressi, si forte gladio sibi exitum patefacerent. Et sane plures ex Regiis ministris occiderunt: conatis tamen dejecti, acri prælio multis millibus ex eorum numero interfectis funduntur; reliqui autem fuga vix elapsi multum protegebantur ab agro illo quidem seculo densis sylvis obsito, & Aquilonari Merciâ longe, lateque desolatâ.

Flor. Wigorn.

90. Reliquiæ vero, quæ inde evaserant, veteres in Essexia munitiones postliminio ingressi, magno militum supplimento ex reliquis East-Angliæ Northumbriæque partibus firmati, sive per quosdam ex palantium numero, seu potius per pauculos illos oppidanos clanculum cum Danis consilia communicantes, exploratum habebant quam tenuiter tunc temporis [b] Leicestria custodiretur (quam quidem neque præsidio, neque magna incolarum frequentia teneri contigerat) ineunte quidem æstate vallo rursus egressi rectis itineribus urbem illam contendunt. Atque oppido prius potiuntur quam Ælfredus & Athelredus Comes, quamvis à tergo premerent, plane eos consequi possent. Licet novissimum agmen cum impedimentis, & præda nonnulla, quam in itinere acquisierant, intercepta in potestatem regiam pervenerint. Verum cum oppido successissent, quod plus præsidii, quam sustentaculi præbuit (quippe uti videtur, circumjecta regio fere tota vastata & destructa erat præter aliquantillum frumenti atque pecoris in agro urbi adjacente relictum) eos Rex ibi biduum obsessos tenuerat, cum sive aliis rebus inde revocatus, sive certus urbem moræ pretium non fore, segetem aut equis depascitur, aut deurit; & pecus omne quod in circuitu reperiebatur, abigit; atque ita solvit obsidionem.

Qui à pugna evaserant Leicestriam inopinato diripiunt, & deserunt.

Inde Cambriam Septentrionalem invadunt: magnaque præda onusti Essexiam per Northumbriam revertuntur; & per Leam amnem naves trahentes prope Hartfordiam considunt.

91. Pagani sibi permissi confestim oppido egressi Britannos Aquilonares invadunt; & regione late devastata cum ingenti præda domum regrediuntur. Nec tamen interim ausi per provinciam Mercianam pedem referre, greges & armenta per Northumbrorum fines

[a] Potius in Agro Salopiensi, ibi enim Buttingtona est ad ipsum sabrinam sita, ubi etiamnum munitionum vestigia videri asserunt.

[b] Hæc Legeacestria à quibusdam Authoribus expresse Wirheale nominatur, ab aliis Cestria ipsa. Quod magis vero-simile est, nisi urbem aliquam illis temporibus Wirheale dictam extitisse dicamus. Illo autem nomine regionis Cestrensis pars mari vel magnis fluminibus cincta & proinde situ valde munita hodie nominatur.

in East-Angliam, adeoque rursus Merseiam agunt. Ubi, excursione ex animi sententia cedente, prædaque opima referti stativa propius regios fines admovere statuunt. Adeoque naves per Thamesim ad
895. Leæ ostia circumductas, adversus amnem Leam helcio subvehunt, & prævalidam atque amplam munitionem sibi moliuntur; circiter eum locum, quem Hartfordia nunc occupat, intra vicesimum ab urbe Londino lapidem. Londinates, hac re comperta, veriti ne vicinis his uterentur nimium molestis, potius habuerunt, quoquo modo recentia impediendo opera, committere, ut ibi sedes non diu figerent. Contractis igitur nonnullis ex vicinia copiis, manu haud invalida, Danos op-
896. pugnant, munitionibus, si fieri posset, depulsuri. Verum opus opinione difficilius experti detrimento accepto, nimirum duobus tribusve ex Regiis satellitibus non obscuri nominis interemptis, Londinates cæpto destiterunt.

Quos Londinenses irrito conatu aggrediuntur.

Rex vero ipsos circumsidens, &

92. Cum his res parum feliciter successisset, Rex ipse paucis stipatus advenit: remque præsentem, unaque Danorum apparatum, ipsemet speculatur. Quos, ut videtur, operibus clausos cum comperisset; certis intervallis stationes disponit, præsidio futuras frugibus, quæ vel prope urbem, vel in circuitu Danici exercitus adnascerentur, ne (messis appetente tempore) maturas fruges aut urerent, aut in munimenta hostes supportarent. Deinde Leæ fluminis cursum probe contemplatus, sicut equo secundum ripas vehebatur, alveum amnis alio derivandum, & (quod Monachus Wigorniensis refert) obicibus & infixis sudibus arctandum curat; ne Danis facultas suppeteret cum navibus remeandi. Verum Henr. Huntingdonus (cui potius accedo) ipsum tradit ostium Leæ curasse ampliandum, & tripartitum amni exitum per totidem fossas concedendum. Siquidem ostium, uti videtur, antea labiis compressioribus aquas exitu tardatas in altum cumulaverat, æstus autem decessu rapidiores effecerat, uti colligere licet ex eo, quod Dani naves adversus amnem funibus traxerint.

Aquam fluminis subtrahens naves in sicco relinquit.

93. Ostium in tres canales patefactum flumen adeo attenuavit, ut naves in vado destitueret: neque Danis relinqueretur facultas easdem ad libitum educendi. Nec alienum à vero videtur (ut id obiter in medium producam) hanc ipsam hujus amnis in tot divortia derivationem primum in causa fuisse exiccationis planitiei illius gramineæ, & agri compascui ipsa soli ubertate tam urbi principi, quam circumjectis oppidis ad res varias adeo utilis, qui Hartfordiam inter & Stratfordiam illam (cui ab Arcuato ponte cognomen) late sternitur. Illis enim temporibus (uti videtur) tota erat uliginosa atque palustris; & quod ab aquis vindicata culturam admittat, huic regis artificio acceptum ferri debeat.

94. Dani

94. Dani hac solertia non modo navium usu, verum etiam subsidii & frumenti supportatione ad castellum destituti, utraque deserunt: & alia excursione celeriter facta in Occiduas Angliæ partes in oppido ad Sabrinam nomine *Quatbrigia* (forte *Quatfordia* prope *Bridgenortham*) quanta poterant celeritate maximâ, vallum sibi conficiunt. Intra quod istoc anno difficulter hibernarunt; dum Londinates naues, & opera eorum ad Leam in Essexia derelictui habita ingressi diripiunt.

Dani aufugiunt, & Quatfordiam in agro Salopiensi diripiunt.

95. Saxonas jam paululum respirantes (eo quod bellum nonnihil remiserat) de labore, quo prius illos exercitos habuerat, post aliquantillum temporis excipit ingens tam hominum quam pecoris lues. Quæ per tres hos annos continuos ita vehementer per universam hanc Insulam grassata est, ut gravissime Rempub. affligeret, dum ministros Regis Aulicos, & primarios exercitus Duces corripuit: quos inter Episcopi duo Suithulphus Rhoffensis, & Eilhardus Dorcestrensis; Comites, Cantii Ceolmondus, Essexiæ Beorthulphus, item Præfecti Surriæ Wiltoniæque, cum aliis haud paucis interierunt.

Quo tempore pestis sævissime grassatur, multasque regiorum ducum & procerum abripit.

Chron. Sax. dicit Suffexia & Wintonia.

96. Dani, qui satis duram hyemem Quatfordiæ tolerarant, æstate jam eunte, quo se verterent ignari, signis relictis digrediuntur, hi quidem in Northumbriam, in East-Angliam illi, prout sua quemque sors invitaret. Haud pauci vero, ne vestigio quidem reperto in quo conquiescerent, transmarinas partes repetunt, periculum fortunarum in Gallia facturi.

897. *Dani exercitum solvunt, parsque in Franciam navigat,*

97. At Dani, qui nullis adhuc certis sedibus recepti erant, jam infracti, omnibusque terra conatibus dejecti, cum suis etiam colonis oneri essent, & pestis loco habiti, navigia sibi conquirunt; paronesque, quibus oblongis atque citis naviculis ad piraticam pridem usi, reficiunt: & nautici roboris quantum poterant, sibi contrahentes Anglicani territorii oras denuo ad tempus, duce Sigeferto quodam, celebri prædone Northumbro, infestare cæperunt. Donec Ælfredus, æstimato, quibus rebus piratica navigia reliquis præstarent, naves sine mora ædificandas curavit, quæ essent (ut scriptores referunt) altero tanto Danicis longiores, altero tanto celsiores, item altero tanto velociores; interim ad navigandum etiam commodiores paganicis. Quas cum armatis militibus probe instruxisset, in altum provectus intra ejusdem anni decursum 20 myoparones piraticos cepit: illos vero prædones, qui vivi in ejus potestatem venerant, in terram abductos secundum littus, quo cæteris exemplo atque terrori essent, patibulis suspendit. Quomodo factum, ut hunc etiam Martem nihilo magis propitium, quam ille alter fuerat, experti prædones à piratica facienda deinceps abstinuerint.

Pars piraticam sub Sygefertho prædone Northumbro, sed sine successu, exercet.

Rex Danos rebelles Northumbria mulctat.

98. Eoque tandem res adducta, ut Danos Ælfredus non modo superarat præliis, verum etiam penitus debellaverat: & licet (uti poëtæ fingunt Acheloum cum Hercule luctantem alias, atque alias sæpius induisse formas) iidem versutiis atque perfidia multis subinde modis motus atque pugnas adversus Regem redintegrarint; Rex tamen haud minus Herculem referens ausus illorum terra, marique contudit. Nec illos tantum sub jugum misit, verum etiam subjugatos arctius tenuit, regni primum concessi termino laxiore in angustiorem gyrum, uti par erat, revocato. Nam & Northumbria semel iis adempta in Guthredum [a] Christianum atque Saxonem, licet Danis oriundum, translata est: & Essexiæ provincia, Regni East-Anglici pars, cum recidisset in manus regias, Beortholpho Saxoni sive Duci, sive Comiti ibidem constituto, donata est. De reliqua ditione obsidibus aut aliis sponsione acceptis sibi cavit.

Ingulf. *Flor. Wig.*

Eique Cambria Reguli se sponte submittunt.

99. Ne quid autem desideretur quo minus Ælfredus totius Angliæ Monarcha perhibeatur; etiam Britanni, qui hactenus imperata facere detrectabant, (quicquid ab iis victoriarũ Ecbertus Ælfredi avus reportarat) neque Anglos Dominos ullo pacto recognoscere sustinebant, jam ultro se ejus imperio subjecerant. Omnes scilicet universæ Walliæ Australis Reguli [b], quæ pars Britanniæ dextralis dicta, Siluribus atque Demetis habitata, octoque ex 14 Walliæ Comitatibus complexa, præsidium scilicet regium implorantes adversus Rotheri Walliæ Aquilonaris Regis præpotentis filios, vel vindictam Eadredi acris Merciorum Ducis declinantes; quem suo sibi malo commovisse videntur. Et hi jampridem se Regi in fidem dediderant. Tandem etiam aliquando ipse Anaraldus dicti Rotheri filius, una cum reliquis fratribus, abdicato Northumbriensium Danorum fœdere, (quibus cum jamdiu clanculum in societatem coierant) ad Regem sponte se contulerunt, à quo etiam magnifice excepti sunt. Ipseque Anaraldus in fidei Christianæ Sacramento, quod susceperat, impositis Episcopi manibus confirmatus est. Et, uti in eadem obsequii conditione ipse cum subditis suis

Asser. Men. Camden. *Asser.*

[a] Qui tamen sub Imperio Ælfredi vixit, & ad ipsius nutum omnia majoris momenti negotia confecit. Pacem Ecclesiæ Sancti Cuthberti per 37 dies, Guthredus quidem indulsit, sed confirmavit Ælfredus. Sim. Dun. Totam inter Teisam & Tinam terram Sancto Cothberto perpetuo possidendam utrique contulerunt. Obiit Guthredus, anno 894.

[b] Author noster, ne historiæ bellorum Ælfredi filum interrumperet, hanc de Wallis narrationem extra tempus suum aggreditur. Ex Asserio hæc facta videntur, non longe ab anno 884, quo nimirum ipse Asserius ab Ælfredo accersitus. Neque tunc primum Rex Demetiæ regimen acquisivit; *Illo enim tempore, & multo ante omnes regionis dextralis Britanniæ partes ad Ælfred regem pertinebant.* Asser. Vide supra, §. 4. an. Regem autem tam gravi bello in ipsis regni visceribus implicitum partibus hisce remotioribus minorem curam impendere necesse erat. Unde Reguli sive Tyranni illi occasionem avide arripientes fertilem illam & amænissimam Walliæ partem graviter oppresserunt. Neque Merciorum Comes dicitur Eadredus fuisse, maxime si hæc acciderint versus ultima Regis tempora, diu enim ante mortem Æthelredus Gener suus, & ut videtur ipse primus, qui illum regibus omnino dejectis honorem obtinuit. Sed Asserius dicit, *Eadredi & Merciorum.* Fuit autem *Eadredus* Comes sive *Dux Devoniæ*, qui *obiit uno mense ante obitum Regis Ælfredi, qui cum eo fideliter & fortis bella gesserat multa.* Bromp. p. 832.

versus

versus Regem futuri essent, in qua Æthelredus Merciæ Comes, Regius gener, ipsique adeo Mercii erant, in se recepit.

100. Atque adeo tandem Ælfredum vidimus primo sua ipsius manu atque propria animi virtute, & victoriis undique partis illustrem, hostem ferocissimum compressisse; adeoq; viam aperuisse fractas Saxonicæ Heptarchiæ reliquias in unum atq; integrum imperii corpus cogendi[a]. Deinde vidimus perseverantia mirabili, & tantum non perpetuo rei bene gerendæ tenore usum (qui singularem atque conspicuam virtutem exitus fere manet) magnis quidem laboribus atque periculis inchoatum feliciter absolvisse; atque adeo factum totius Insulæ Dominum. Et universam magnæ Britanniæ Monarchiam sub imperio deinceps tenuisse, & posteris suis tradidisse; quando ab Asserio Menevensi in Epistola nuncupatoria Historiæ ejus præfixa eum sic appellatum videmus. Sic autem se habet salutatio illa. *Domino meo Venerabili, piissimoque omnium Britanniæ Insulæ Christianorum Rectori Ælfred, Anglorum Saxonum Regi.* Sed & legimus apud Holinsh. f. 121, & Geogr. Ed. Higgons, l. 6. c. 8. Gregorium Scotorum Regem ipsi paruisse, & in omnibus bellis sub eo meruisse; item Donaldum Gregorii successorem cum 5 equitum millibus sub eo stipendia fecisse, & rebus ipsius gerendis immortuum fuisse.

Conclusio demonstrans Ælfredum totius Angliæ & Cambriæ fuisse Monarcham.

101. Neque huic quicquam repugnat; quod, ut ante monstravimus, ipse Ælfredus in Legum suarum inscriptione, in præfatione quam Gregorii pastorali præposuit, atque in Testamento condendo non aliter quam West-Saxonum Rex appellatur. Nam præterquam quod à fastuosis titulis sibi arrogandis abhorrebat, satis constat tum ab hominibus, qui inibi nominantur, tum ab aliis argumentis è re ipsa petitis, hæc omnia prius facta, quam universos Regni populos in potestatem suam redegerat. Neque vero dominationis consectarium aliquod decus sibi captavit, quemadmodum Ulysses sibi arripuisse dicitur, qui Pergama se tunc vicisse colligit, cum vinci posse coegerit. Hic noster Augustior plane, quam pro eo quem se gereret, princeps fuit: idem (ut ita dicam) solum subegit; idem arborem sevit, quamvis ea apud successores latius ramos ad hodiernum usque diem diffundit.

[a] Ita scilicet, ut Rex plenam & integram potestatem in reliquas partes, prout in West-Saxonas suos, exercuerit; cum nimirum omnia mandata ab ipso primum, & omnes appellationes ad ipsum ultimo delatæ fuerint; cum iis per Præfectos suos, suas leges, suos homines, & non per Regulos feudatarios, prout Egbertus & Ethelwolfus, ut alibi dictum, imperaret. Ibidem vero dictis hæc subjicimus Egbertum in Conc. Londin. an. 833. à Withlafio Merciorum Rege Dominum fuisse agnitum. *Ut istud,* inquit, *privilegium meum fortius & firmius ad posteros perseveret, per Dominum meum Egbertum Regem West-Saxoniæ, & Æthelwulphum filium ejus illud obtinui confirmari.* Et rursus in subscriptione; *——promissum in præsentia Dominorum meorum Egberti Regis West-Saxoniæ, & Æthelwulphi filii ejus.* Et de eodem Withlafio (sic enim ipsum appellat) Ingulfus. Withlafius 13 *annis regnavit, sub ditione tamen & tributo* Egberti *Regis West Saxonum.* Idem reperire est de Bertulfo apud Ingulf, fol. 490. Hæc autem hic ideo inserui, ut modestia Regum Maximorum titulos antiquos non transgredientium noteretur. Quod non tantum Egbertus & Ælfredus, sed & Reges nostri in hodiernum usque diem sunt imitati: dum neque Insularum Britanniæ adjacentium, neque magnarum in America regionum sub ipsorum imperio in titulorum suorum recensione reminiscuntur.

fundit. Igitur & Malmsburiensis Monachus (inrer istius ordinis scriptores judicio maxime pollens) cum latos imperii fines, & filii ejus Edvardi Majoris gloriam recensuisset, subjungit; *de his licet merito Edvardus laudetur, palma tamen potissimum debetur patri per meum arbitrium, qui tantæ potentiæ fecit auspicium.*

102. Cavendum autem, quoties Ælfredum populis his omnibus imperasse asserimus, ne aliud imperium aut dominationem accipiamus,atque quæ bellicosi istius seculi moribus competeret. Quibus nimirum Belli Duces & Magnates nimium potentiæ & jurisdictionis æque ac licentiæ sibi arripientes influentiam regiam in subditos inferiores interciperent. Hoc tamen certissime statuendum videtur, neminem prorsus Regum nostrorum ante Gulielmi Conquestoris ingressum Ælfredo nostro magis absolute, vel magis universaliter imperasse, imo nec aliquos post Conquestum. Ordovices enim, qui Walliam Aquilonarem incolunt, gens ingenio ferox & inquieta etiam ipsis, quos insederant, locis tuta, vix habentur undiquaque pacati ante Edvardi primi tempora; qui anno post victoriam Normanicam plusquam ducentissimo Regnavit.

Epilogus

Epilogus Libri primi.

QUanta difficultate litora portuosa, quæ exscendendi opportunitas ad inopinatas invasiones exponit, ab inimicis defendantur, omnibus notum est. Hujusmodi certe deprædationibus ipsorum Saxonum in hac nostra Britannia *opposuerunt Romani tum maritimas tum terrestres, & numerosas quidem, copias. Non enim classem solummodo, &, ut videtur, satis magnam, stationibus idoneis dispositam, & ad arcendos hostium impetus paratam tenuerunt; Sed sub imperio Præfecti peculiaris (quem* Comitem *appellarunt* litorum Saxonicorum, *hoc est, Saxonibus obversorum* in Britannia) *exercitum: Qui (præter numeros sub* Comite Britanniarum)*pedites* 2200,*Equites* 200. *novem pro pugnaculis distributos, continebat. Romanis vero mos erat, subditorum quoquo-modo sibi suspectorum juventutem in peregrinam militiam educere, reliquos indigenas armis & disciplina militari prohibere, totique regioni alienarum gentium præsidia imponere. Unde factum est, ut, cum militibus ad Italiæ Romæque ipsius adversus Barbaros defensionem opus haberent, eos, sicut ex aliis provinciis, ita & é Britannia, & ex hac maxime, quia remotissima, & à reliquis Provinciis separata, evocarent: Et Britannis, quos diutius protegere non poterant, integram libertatem, suique dominium restituere cogerentur. Hinc tota regio inermis & immilitaris, Pictis, Scotis aliisque quibuscunque invasoribus patescebat. Saxones ergo accersebantur, gens inter omnes Septentrionales fortitudine & animi magnitudine celeberrima. Hi primum in auxilium & stipendia admissi, dein vero Britannorum spiritus subinde resumentium victores, & totius Regionis Domini & possessores facti, prædationes piraticamque neglexerunt; & propriæ fortitudinis opinione securi neque classibus mare, neque præsidiis litora, munierunt. Sed omnes militiæ quodammodo & armorum periti ab invasione & hoste externo sibi minime caverunt; Donec intestinis bellis, nobiliumque discordiis attriti, & resistendo impares effecti, præda latronibus impiissimis & truculentissimis patuerunt. Et* Northumbri *quidem factionibus & bello civili lacerati*, East-Angli *vero nuperis adversus* Mercios *præliis debilitati, resistendæ invasioni prorsus inepti reddebantur*; Mercii *à Mari remotiores, adversis etiam contra vicinos bellis fracti, nova bella horrescebant. Soli ergo* West-Saxones, *neque ii quidem navibus armatis omnino destituti, licet non bene instructi, se viriliter opposuerunt. Piratæ vero ipsos non nisi post copias aliorum regnorum debilitatas, fælicique successu adauctas proprias, aggrediebantur. Soli etiam reliquorum omnium gerebant solicitudinem, sæpius enim ad* Carrum *in* Northumbria, *in* Venedocia, *alibique extra suos fines pro reliquorum defensione acerrima bella gesserunt ipse* Egbertus *&* Ætheluulfus. *Sed etiam ipsissima imperii ratio ad exigendos hostes non erat satis idonea. Quamvis enim sub Egberto Regna illa minora coaluerint; initio tamen non satis alacriter & sincere*, Northumbri *saltem & Mercii, se submiserunt, neque ipsos ille rigido nimis imperio irritandos existimavit. Nam cum in eos tanquam bello domitos, victosque agere non licuit,*

minimum in regiminis forma commutando, Reges suos, Comites, Præfectosque, sed sibi feudatarios, & Edmundum East-Anglum *sibi propinquum, ipsis permisit; paulatim, vel ex occasionibus capto consilio, consuetudines immutaturus. Præterea neque Magistratus satis idonei. Immediate enim Regi Comites, Comitibus Thayni, Thaynis populus suberat. Et Thaynus quisque suos homines habuit, eos scilicet, qui terram ab Rege ipsis commissam dominis colerent. Comitibus ideo nimia potestas, qui nonnunquam Reges etiam (sicut* Æthelredus *&* Æthelfleda *Rex & Regina* Merciæ) *nuncupantur; & Regibus negotium sæpe facesserunt. Dum plerunque nimis ambitioni indulgentes sibi invicem jugiter æmulabantur, & Regi persæpe molesti, contumaces & fide dubia, suspecti saltem; & sine ipso Rege rarissime militare, subditos suos armis assuescere, vel exercere permissi. Neque semper in promptu exercitus. Quare dum Regi hostium adventus, numerus, ratio annunciaretur, milites cogerentur, inimicis avicinaretur; Piratæ cum præda abierant, Regi suisque inanem operam ludificati. Quod si se Regiis numero pares cernerent. exercitationem in armis, laboris consuetudinem, itinerum, excubiarum, frigoris, inediæ patientiam recens coacto militi opponere non dubitabant; & sæpe quidem Victoriam reportabant. Ratio autem bellandi talis erat.*

2. *Piratæ, quamprimum Regioni cuipiam appulerant, vel oppidum aliquod munitum, vel munitioni idoneum; vel, si hoc minus ad vota successerat, locum aliquem castris opportunum occupare vel intercipere conabantur; eumque fere semper montem aliquem præcipitem, fluvioque vicinum, quem vallo statim munire curabant. Castra autem hæc sive munimenta semper rotunda, cum Romanorum quadrilatera: & rotunda Septentrionalium quadris Romanorum commodiora videntur, non tantum quia figura illa omnium capacissima, sed quia vallum ipsum fortius, resistentiæ magis aptum, (valli partibus se mutuo sustinentibus) & a paucioribus defendi poterat. Unicam tantum habuerunt portam, eamque vel vallo & fossa objectis munitam, vel è regione fluvii, cui ob aquationis defensionem brachia ab ipso vallo deducebantur. Ubi vero a flumine remotius, quam ut brachia istiusmodi fierent, metati sunt, puteis intra vallum in loco maxime declivi effossis aquam pluviam interceperunt. Ut videre licet in* Cisseburie. *Hisce autem oppidis vel castris tamdiu immorati sunt, donec circumjacentes regiones expilaverant. Tunc enim vel satiati ad naves revertebantur, vel alium locum longe distantem suis prædationibus commodum quæsiverunt; utpote ab inimicis securiorem, negligentius custoditum, campesque intactos, ideoque populationi magis expositos. Sed nec hoc sine notabili Regionis notitia, aliquibus etiam consciis, aggrediebantur. Maxime vero locos elegerunt mari, vel flumini majori adsitos, quo etiam naves suas præmittere, vel accersere poterant. De disciplina militari, præter omnimodam Regi sive Duci obedientiam & fidelitatem, nihil constat, sicut nec de ratione aciem ordinandi. Sed in his omnibus aliarum gentium, maxime Septentrionalium, consuetudinem secuti; neque adeo diversas formas, & minutiora justruendarum acierum instituta, licet nec harum penitus inexperti, ac fortitudinem & animi virtutem, respexisse videntur.*

3. *Nam*

3. *Nam cum tot prælia inter easdem nationes, in tam paucis annis, confecta legimus, verisimile est; primo Bellicosas hos gentes raro nisi ipsissima vi, & majoribus viribus (iis tamen artificiis & ingenio, loci, scilicet temporis, & circumstantiæ alicujus commodioris occupatione adauctis) fuisse superatas. Victoriasque non sine vincentium notabili damno ut plurimum obtentas; imo vero damna utrinque sæpius æqualia. Neque enim effusa fuga (ut solet) victas partes consumpsit, neque obstinate ad internecionem restiterunt, neque receptui loco imparati accesserunt. Unde factum est, ut victores ad aggrediendum tardiores, victi ad resistendum cautiores, redderentur. Tertio victorias rarissime itidem fuisse plenas & perfectas, neque victos omnino dissipatos & fugatos; sed, qui debiliores se senserunt, una se recepisse in locum aliquem munitum, vel defensioni aptum. Quarto victoresque habitos, qui prælii campum, & interemptorum spolia possedissent. Quinto* West-Saxonas *à recentibus* Danorum *copiis assidue appellentibus, & reliquorum Anglorum æmulatione, non autem* Danorum *virtute fuisse oppressos. Sexto cum apud Historicos nostros ubique occurrat* Wallos *sive* Britannos *vel se* Danis *adjunxisse, eos accersisse, vel alias* Saxoniæ *partes eodem tempore, quo alias* Dani, *invasisse; verisimile est (quod & supra annotatum) à* Britannis *istos* Danos *tanquam injuriarum suarum adversus* Saxonas *vindices fuisse habitos*; Danosque *ab iis invitatos primum* Saxonas *opprimendi consilium, & prætextum accepisse; cum prius piraticam solummodo exercuerint.*

4. *Si quis miretur* Ælfredum, *principem satis cautum, à perfidis hisce piratis toties delusum, hæc sunt, quæ in ejus patrocinium afferri posse videntur. Cum iisdem artibus Francorum Reges & Duces sæpius iidem* Dani *fefellissent, aliam rationem non reddit Otho Frising-quam* Danorum *astutiam & inconstantiam.* Saxones, *inquit*, instabiles, sed feroces. Nortmannorum vero gens levissima est & instabilis, nec propriis contenta terminis, gratiosa tamen quocunque venerit & affabilis. *Nostris tamen aliæ rationes. Nam quæ nonnulli Authores fœdera appellant, Huntingdonius plerumque, sed & alii, inducias nominat.* Ad Snotengaham, *inquit*, (*& fere semper alias*) Inguarus vulpeculari astutia, verbisque delinitis inducias ab Anglis impetravit. Hinguar erat ingentis ingenii, Hubba fortitudinis admirandæ. *Præterea sive fœdera, sive induciæ, fere cum* Danorum *Regulis pacta sunt: novi vero quotidie appulsi principes priorum conventis non stabant, sed ipsi injurati, milites (quibus par fuit huic vel illi militare) abjuratis accipientes, bellum acriter continuarunt. Sed & bis ab iis Christianæ religionis amplexum simulantibus elusus est.*

5. *Omnibus tamen sive* Anglorum *regiminis, sive* Danorum *astutiæ, incommodis summo consilio* Ælfredus *occurrit. Comites namque judiciorum onere liberatos soli rei militari, comitatusque regimini segregavit. Iis Vicecomites, qui absentium in judiciis, aliisque ad officium Comitum pertinentibus, vices supplerent, substituit. Comitatus summo etiam judicio dispertitus est. Nam cum antea Comitum plerique civitati uni circumfusoque districtui, eique etiam pro arbitrio Regis, qui imperium pro voluntate ampliavit, vel coarctavit, imperarent; certos jam fines, re-*

gimenque notum unicuique constituit. Comitatusque singulos ita divisit, ut cuique militi decurio, centurio, Dux suus, locus denique coeundi innotesceret. Adeo ut non citius ignis ille è specula cerneretur, quin omnes armis paratis prompte coirent; neque prius hostis exscensionem faceret, quam cives ad obsistendum coacti ducis mandata armati expectarent. Litorales etiam Comitatus, quo plures invadentibus opponerentur, majores instituit. Cives etiam singulos in militiæ usum festis diebus exercuit, ut peritis periti etiam, militibus milites, fessis insuper & nauseabundis recentes obsisterent. Hac etiam ratione noti, vicinique simul militarent, absque proditionis vel desertionis periculo, cum unusquisque pro sociis & commilitonibus sponderet. Neque his contentus, (quia Dani jam castella, & fortalitia in pluribus Angliæ locis fixerant, unde indigenas expilare, & prædones continuo appellentes recipere, solebant) ipse etiam præsidia in locis convenientibus, militumque sufficienti numero munita, opposuit: quibus vicinia tota res suas invasionis tempore tuto reponeret, quibusque adversus latronum minores cohortes, licet non justum exercitum, defenderentur. Et hoc unico artificio Edwardus Ælfredi *filius* Danos *omnes vel expulit, vel in ordinem, legumque obedientiam coegit. Satellitium insuper secum, & hoc (ut videtur) maximam partem é peregrinis, perpetuo circumtulit, quod minoribus invasionibus reprimendis sufficeret. Majoribus vero difficultatibus (qualis erat ultima illa maximaque* Appuldorensium *&* Hastæni *eluvies) Incolis, quem arbitraretur sufficientem numerum, aliquando totius populi dimidium, militiam semestrem imperavit; qua finita reliqua plebs pari (si opus esset) labore invicem succederent. Et hæc quidem ad piratas debellandos consultissime instituta sunt; iis vero non contentus etiam à terra illos & omnimodo* Anglorum *damno arcere conatus est; dum naves tum suopte ingenio fabricatas tum optime armatas iis opposuit; de quibus supra satis dictum est. Et hisce rationibus Septentrionalium piratarum ferociam primus ipse infregit, viamque stravit, qua filius ejus Edwardus, sub imperio Patris & in ejusdem commilitio & contubernio educatus, neque ipsi fortitudine & consilio multum impar, illos penitus superavit.*

Ælfredus

Ælfredus Magnus

PRIMUS ANGLICANI IMPERII CONDITOR.

LIBER SECUNDUS

Leges & Reipub. ordinationem continet.

Quemadmodum Deus, cum universi hujus fabricam primo creaverit, suiipsius sola potentia, sine alterius cujusvis auxilio, usus est; sed cum ea, quæ ad creatorum, maxime vero hominis, perfectionem (rerum scilicet publicarum, imperiorumque constitutionem conducerent) instituere sategerit, non divinam illam potentiam (quæ quicquid sibi placitum est statim conficit) exerere, sed hominum ministerio potius ea præstare, decrevit: ita vicissim, quo numinis immensa vis per ætates singulas magis elucesceret, nunquam præclarum aliquod opus sibi efficiendum assumpsit, quin eodem tempore viros ad illud negotium explicandum peculiariter instructos pariter excitavit. Nec excitavit solum, sed & eorum animos supra vulgi rationem singulari sapientia, fortitudine & industria dotavit. Adeo ut non facile discernatur, utrum ipsis operibus perficiendis, an vero ministris, quorum operam adhibere dignatus est, instruendis & præparandis virtus ejus & providentia magis elucescerent. Hujusce operis sui specimen illustre in hoc Principe, cujus vitam persequimur, supra alios complures eminere voluit. In illo enim, sicut in orbe quodam jamjam creando, Spiritum Dei, rudi atque informi totius hujus Reipublicæ moli velut incubantem speculemur; qui primo formam, vitamque corpori; dein calorem vitalem, vigoremque illum, & venustatem, maturum denique imperii robur, quo justis sæculorum spatiis vertentibus adolescat, superinduxerit. Quanto cum negotio terram ab Ethnicis Danis infessam asseruerit Ælfredus, ut materiam justi imperii capacem & idoneam, docilem atque subactam redderet, hactenus, quantum nobis præiverunt priscorum annalium vestigia, exponere tentavimus. Operæ jam pretium erit paulisper oculis lustrare industriam, curam, atque solertiam, quas deinceps adhibuerit in civitate constituenda, pariter & instruenda: eum scilicet in finem, ut neque civibus ad fælicitatem, neque sibi ad æternum imperii decus, quippiam deesset. Hic autem dum ab ipso Autore atque Vindice sub unius Principis moderamine, Rempub. ordinatam fuisse demonstravimus, imprimis attendere par est, quam nihil a sanctissima justitiæ lege in his Regni fundamentis jaciendis ab eo discessum est. Rarissime enim usu venit, ut qui summa imperia primi condiderint, omnia sua facta ad severissimam juris normam exegerint. Nec semper accidit, ut civitates minores sub unius Principis imperium in idem jus commune compellerentur absque privati alicujus juris imminutione.

 Cum

Ælfredus Monarcha absolutus

CUm autem Ælfredus bellum piraticum confecerat, reliqua Saxonicæ Heptarchiæ Regna subjugaverat, Regesque ipsos aut interfecerat, aut expulerat; haud ullum apud Anglos & Saxones jus Regni

a Qua ratione *Ælfredus* totius Angliæ imperium sibi vendicaverit, copiose satis dictum est *lib.* 1. § 30. annot. Ab *Egberto* scilicet Avo, primo Monarcha (*lib.* 1. § 1.) post patrem *Æthelwulphum*, & tres fratres rectâ successione ipsum, sed turbis, bellis, difficultatibusque fere obrutum, suscepit. Et propriis viribus, consilioque fæliciter liberavit. Nec hoc solum, sed & summa prudentia & solicitudine adeo subegit, reparavitque; ut novum pene refecisse, hodiernamque Monarchiam quadantenus condidisse dicatur: prout uberius infra demonstrabitur. Eequod vero absolutæ suæ potestatis majus argumentum haberi possit, quam quod de toto regno, pront sibi optimum videbatur, disposuit? quod totum in meliorem ordinem & formam commutavit? Novam totius partitionem, novos Magistratus & officia, leges, disciplinam denique militarem instituit? sed neque alicubi legitur ipsum, Antecessoresve suos pactum aliquod cum subditis iniisse; imo nec juramento quopiam, quod tamen Francorum Reges præstare solebant, sese obstrinxisse. Fatemur quidem *Ethelredum* vel fortassis *Edwardum* Martyrem septuaginta fere post *Ælfredum* annis solenni quadam promissione de officio Regali fungendo semet obligasse; sed tali, quæ potestatem Regiam nulla ratione imminueret. Veniam dabit lector candidus, si è Bibliotheca Illustrissimi Domini *Johannis Cottoni* Cleop. B. 13. & ex transcripto eruditissimi Domini *Franc. Junii*, ipsam, haud multum dissimilem illi Regum Francorum, quæ extat in capitulis Car. Calvi p. m. 166, loco haud admodum alieno, interponendam curavimus.

Promissio Regis vel Edwardi vel Ethelredi (utrumq; enim Dunstanus Kingstoniæ coronavit) circa *an.* 970.

Ðis gewrit is gewriten stæfe be stæfe be þam gewrite þe Dunstan Arceb. sealde urum hlaforde æt Cingestune þa on dæg þa hine man halgode to cinge. ⁊ forbead him ælc wedd to syllanne butan þysan wedde þe he upon Cristes weofod lede. swa se arceb. him dihte.

On þære halgan þrinnesse naman. Ic þreo þing behate cristenum folce. ⁊ me underðeoddum. An ærest ꝥ godes cyrice ⁊ ealle cristen folc minra gewealda soðe sibbe healde.

Oðer is ꝥ ic reaflac ⁊ ealle unrihte þing. eallum hadum forbeode. Þridde ꝥ ic behate ⁊ bebeode on eallum domum riht ⁊ mildheortnesse. þæt us eallum arfæst ⁊ mildheort god þurh ꝥ his ecean miltse forgife. se lyfað ⁊ rixað. *Finis.*

Se cristena cyng þe þas þing gehealdeð. he geearnað him þysum woroldlicne weorðmynt. ⁊ him ece god ægðer gemiltsað. ge on andweardum life. ge eac on þam ecean þe æfre ne ateorað; Gif he þonne ꝥ awægð. ꝥ god wæs behaten. þon sceal hit syððan wyrsian swyðe sona on his þeode. ⁊ ealle hit on ende. gehwyrfð on ꝥ wyrste. butan he on his life ær hit gebete. Eala leof hlaford beorh huru þinga georne þe sylfum. Geþenc ꝥ gelome. ꝥ þu scealt þa heorde forð æt godes dome ywan ⁊ lædan. þe þu eart to hyrde gesett on þysum life ⁊ þon gecennan hu þu geheolde ꝥ crist ær gebohte sylf mid his blode.

Gehalgodes cyninges riht is. ꝥ he nænigne mann ne fordeme. ⁊ ꝥ he wuduwan ⁊ steopcild. ⁊ ælþeodige werige. ⁊ amundige. ⁊ stala forbeode. ⁊ unriht hæmedu gebete. ⁊ siblegeru totwæme. ⁊ gryndlunga forbeode. wiccan ⁊ galdra adilige. mægmyrðran. ⁊ mansworan of earde adrife. þearfan mid ælmyssan fede. ⁊ ealde. ⁊ wise. ⁊ syfre him to geþeahterum hæbbe. ⁊ rihtwise men him to wicnerum sette. for þan swa hwæt swa hig to unrihte gedoð þurh his aful he his sceat ealles gesceád agyldan on domesdæg.

Hoc scriptum de litera ad literam descriptum est ad scriptum illud quod *Dunstanus* Archiep. tradebat Domino nostro Kingstoniæ ipso illo die, quo consecratus erat in Regem: atque illi interdicebat, ne ullam sponsionem daret, præter sponsionem illam quam deposuerat in Altari Christi, quemadmodum episcopus illi dictaret.

"In nomine S. Trinitatis, Ego tria promitto Populo Christiano, meisque subditis.

"1. Dei Ecclesiam, ac universum mei imperii populum Christianum vera pace fruiturum.

"2. Me rapinam, omnemque iniquitatem, omnibus ordinibus interdicturum.

"3. Me promissurum & mandaturum in omnibus Judiciis Justitiã & Misericordiam: ut nobis omnibus, pro infinita sua miseratione, propitius sit clemens ac misericors Deus, qui vivit & regnat *&c. Finis.*

Christianus Rex, qui hæc observaverit, sibi promerebitur honorem mundanum; quinetiam illi Deus æternus misarebitur tam in hac vita præsenti, quam in æterna illa, quæ nunquam deficit. Ac si irritum fecerit quod Deo erat promissum, tum deinceps egregie verget in pejus, mox quidem in populo suo; & omne demum, quicquid sit, convertetur in pessimum; nisi in vitæ suæ spatio illud prius emendaverit. Hoc tecum sæpe meditare quod debeas in Dei judicio gregem proferre & sistere, in quem pastor in hac vita constitutus es; & prospice quomodo conservasti quod Christus Sanguine suo olim redemit.

Regis consecrati jus est *male judicare* neminem; viduas, orphanos & peregrinos tueri & conservare; latrocinia prohibere; scortatores corrigere; incestuosos disjungere ac funditus exturpare; veneficas & incantatores delere, Parricidas & perjuros terris exterminare; pauperes eleemosynis sublevare; senes, prudentes, & sobrios sibi in consiliarios ascribere; justos sibi in ministros constituere; quia quicquid ipsi injustum fecerint ejus [authoritate,] universi illius rationem tenetur ille reddere in die judicii.

Et

ni inextinctum, cui injuriam inferre poterat, restabat. Sicut autem nulla potestas superior aut magis absoluta cuiquam competat, quam ea, quæ jure belli justâ de causâ suscepti victorem necessario sequatur; ita cum Ælfredus noster Regionem armis ab hostili tyrannide vindicaverit, finesque imperii, quaqua patet, juste protulerit; modum etiam authoritatis eum, quem ipse victor pro arbitrio statueret, obtinuit. Cumque jam non modo majores suos potentia superaverit, verum etiam jure supremo & maxime absoluto regnaverit, & utrumque suis sibi laboribus acquisierit; quod à subditis justum vel licitum habendum erat, ab ipso fere proficisci debuit. Attamen æternam ipse veræ justitiæ rationem animo penitus infixam gerens (quæ legibus ipsis, quotquot æquæ sunt, vim atque rectitudinem impertit, cujusque jussis quanto quis magis obtemperat, tanto verius liber, & nulli obnoxius est) civibus etiam suis eandem præscribere, adeoque ipsis veram, honestamque libertatem conferre, satagebat. Quo pacto, dum eos æquis vinculis certi atque promulgati juris obstringit, subditos quidem justitiæ & industriæ amatores, belli periculorumque socios alacres, seipsum vero liberæ & generosæ civitatis principem, reddidit.

Leges ex omnium gentium institutis collectas

2. Quam primum igitur armis sudoreque suo vindicatos subditos pacare cœpisset, eo maxime cogitationem omnem, ingeniumque intendit, ut leges iis salutares conderet. Rectissime enim præviderat, tum æquas & salubres leges ad conformandos civium mores plurimum valere; tum probos & rite institutos civium animos ad stabile futuri imperii decus in primis conducere. Quod ut consequeretur, id unice spectabat; ut leges ad æquitatis & divini sermonis normam componeret; minus circa ea solicitus, per quæ vel imperiis amplior dignitas acquiratur, vel populis privilegia ambitiose venditentur. Unam justitiam semper magni pendere, tum quam populus colat, tum quam Princeps administret, eamque unicum regni columen & stabilimentum reputare, curabat.

Æquissimas condit.

3. In legibus vero componendis adeo solicite, quænam optimæ & æquissimæ forent, inquirebat; ut omnes leges tam divinas quam humanas, quas illo sæculo reperiri contigit, magna solertia evolvisse dicatur. Præcipue vero, adeoque supra omnes alias, quæ in Veteri & Novo Testamento continentur: [a] Deinde leges *Trojanas*, *Græcas*, *Britannicas*, *Danicasque* æque ac suæ gentis, quarum partem haud exiguam vernacule transtulit; partem vero ex inutiliorum acervo selectam suis

[a] Et in legibus divinis suarum fundamenta posuit; nonnunquam verba ipsa retinens. Maxime vero talioni studuit, eique, quam proxime poterat, in omnibus suis accessit. De legibus ab ipso constitutis audiatur Hardingus.

King Alurede the Laws of Troye and Brute
Laws Molmuntynes, and Mercians congregate,
With Danishe laws th't were well constitute,
And Greekish also well made and approbate,
In Englyshe tongue he did them all Translate,
Which yet bee called the Laws of Alurede
At Westmynster remembred yit indede.

 Quid

ſuis inſeruit. Unde & contexuit, non dico *Digeſtum* aut integrum patrii juris corpus abſolutum (quanquam illud etiam conſiliis agitaſſe dicatur) acceſſionem tamen ad eas ſatis notabilem, quæ ante ipſius tempora publicatæ atque receptæ fuerant. Ejuſmodi, inquam, acceſſionem, quæ reliquas perficeret, atque in jus commune totius gentis una cum iis tranſiret. Dum priorum alias ſtabiliat, aboleat, vel explicatas præſentis ſæculi moribus accommodet. Aliis enim inſtitutis coaleſcere debuit totius gentis imperium, quam quibus Heptarchiæ inter ſe diſterminatæ ſtabilirentur.

Quarum licet maxima pars interiit, quædam tamen etiamnum extant.

4. Quamvis autem conſtet, Regem haud parum diligentiæ in legum codice compilando poſuiſſe, eundemque per interjecta ſæcula pro *magno juris Anglicani conditore* celebratum; haud uſpiam tamen hodie comperimus opus aliquod extare, quod tantis ipſius laboribus uſquequaque reſpondere videatur. Nam quod ad leges ejus attinet, quæ in manibus habentur a Lambardo noſtro primum in ſyntagmate legum Saxonicorum Regum publici juris factæ; quamvis a Decalogo in longum recitato rite ordiantur, adjectis inſuper canonibus Apoſtolicis, (qui ſcilicet in Actis Apoſtolorum continentur) nihilominus ex ipſa præfatione liquet, eas leges, dum adhuc Weſt-Saxonibus tantum actu imperaverit, fuiſſe factas: Et ejuſdem Lambardi judicio (quod ex ordine in quem eas conjecerit ſatis colligitur) etiam tempore conſtitutiones eas præceſſiſſe, quas Danis primo ſubjugatis ſcripſerat; ante quod tempus Ælfredo minime vacavit alia proſpicere, quam quæ ex re nata ad ſuam civiumque ſalutem indies ſe offerrent. Neque vero dubitandum omnino, quin ſi poſtea conceptæ fuiſſent, quam rerum ſumma ad unum Ælfredum rediiſſet, varias conſtitutiones complexæ eſſent, circa res haud paucas ordinandas, quæ aliter ſtabilitum Reip. ſtatum neceſſario conſequerentur. Nominatim, Leges ſtatuiſſet perpetuas de civium tutela, & reprimendis hoſtium invaſionibus; quales ſcilicet inſtitutis civilibus, & ſtabili diſciplinæ militaris ordine, ſi quæ armorum eſſet neceſſitas, conſiſterent: Et non temporarias tantum quaſdam, quæ ſubitis belli impreſſionibus reſiſtentiam ſpectarent. Veriſimile eſt etiam aliquid ibi repertum fore de Regno in Comitatus dividendo; deque Centuriis, & Decuriis ab ipſo inſtitutis: quod tamen minime comparet. Neque ullam in iis mentionem deprehendimus de ditiorum filiis[b] in ſcholas compellendis; neque de excommunicatis beneficio

[a] Quid Rex in hiſce præſtiterit videat lector in Epilogis *lib*. 1. & 2. Non enim neceſſarium eſt leges condere de iis quæ actu & re ipſa conſtituuntur.

[b] Apud Ailr-Riev. hoc habetur decretum. Univerſis liberis hominibus totius Regni noſtri prædicti, qui ad minus duas Hydas terræ poſſident, firmiter præcipimus, ut liberos ſuos uſque ad ſpatium 16. annorum ætatis ſuæ habeant & teneant ad literarum eruditionem; ipſoſque interim diligenter inſtruant ut Deum agnoſcant, & deinceps ſapientiores ſint, & melius iis ſit. Etenim liberum hominem illiteratum pro bruto, & cephalo & ſtulto reputamus.

c De

neficio legum interdicendis; neque constat ubi paterna ecclesiæ indulta tum confirmaverit, tum ipse, qua patet Anglia, ampliaverit. [a] Quæ tamen ipsi omnia attribuuntur. Quo autem certius constet monumentorum hujusmodi, quæ ediderat, nonnulla intercidisse; monet Lambardus (in epistola Saxonicis legibus præmissa) jam tum alicubi latere Saxonicarum legum Ælfredi fragmenta recondita: spem insuper injecit studiosis, fore aliquando, ut ea diligenter eruta ipsemet in lucem ederet. [b] Ex quibus coniicere licet aut vitam Regi non superfuisse, quoad tantum molimen ad finem perduceret, aut eos sæculi mores visos, qui tantam institutorum novitatem, quanta fortassis leges illas simul & semel introductas esset consequutura, minime paterentur. Qua ratione par est opinari tantum quædam ex suis decretis, (iisque variis occasionibus nec eodem tempore promulgatis) in usum recepta. Harum autem Legum summam quod attinet; illæ quidem tum ad memoriam tum ad usum in tantum interciderunt, ut earum neque ipsæ rubricæ neque decerptum exemplar (quod sciam) apud nos uspiam extet.

5. Neque hoc sane penitus omittendum videtur, quod inter decalogum (ut habetur superius) recitandum, secundum quidem præceptum De sculptilibus non faciendis, ex usu secundi Concilii Nicæni ante centum annos celebrati, suo loco plane prætermissum est. Veruntamen ut ex ipso sanctorum bibliorum contextu, quod deest, suppleretur, post decimum, quod dicimus, mandatum, aliud insuper ad justum numerum absolvendum adiicitur. *Non tibi facies Deos aureos.* Quod cum ab ipso Rege subjungeretur, Ecclesiam jam tum corrupti dogmatis redarguit; rectæ autem confessionis Regi Testimonium perhibet.

6. [c] Leges autem Ælfredi, quæ supersunt, ad tria capita referuntur, ex quibus primum ab editore Lambardo, Legum Ælfredi nomine insignitur: reliqua duo sunt quæ superius memoravimus; prius scilicet, *Quæ ad tria capita revocantur.*

cet,

[a] De Decimis solvendis, & ecclesiæ per totam Angliam stabiliendis juribus & immunitatibus non arbitror Ælfredum primum decrevisse: prout alibi fusius (Deo volente) tractabitur. Nam ipse primum cum Danis paciscens, eosque ad solvendas decimas & conservandas ecclesiæ libertates obligans, perperam hæc ab iis postulasset, nisi Christiani, inter quos vivendum erat, eadem prius observassent.

[b] Hisce addatur, quod tempore Edwardi primi post conquestum, non solum leges, sed & judicia sua sive rerum judicatarum historiam extitisse manifeste colligitur ex Andreæ Horni, qui tunc vixit, speculo justitiariorum. Sicut & Hardingus (qui tempore Edwardi 4. claruit) etiam suo sæculo Westmonasterii eorus citatas asserere videtur. Vide. supra sect. 3.

[c] De legibus vero latis ab Ælfredo nostro, adeoque reliquis Anglo-Saxonum Regibus observare licebit;

1. Eas omnes a Rege solo, etsi consilio Episcoporum, nobilium & sapientum, aliquando etiam exterorum, factas; Comitiis vero generalibus divulgatas; prout alibi copiosius dicetur.

2. Legibus hisce non imperii politiam, sive majestatis fundamentales rationes vel ordinari vel stabiliri, sed de subditorum mutuis juribus & injuriis solum caveri. Hoc est; nihil in iis, vel quomodo Rex versus alios Reges, vel proprios subjectos; neque quomodo subditi versus Regem, quæve imperandi sive prærogativæ Regiæ, vel obedientiæ subditorum versus Regem, regulæ, limites, vel mensuræ, statutum terminus. Hæc enim a lege divina, Gentium, & recta ratione, quæ de Regis officio, & rationibus, quas vocant, status vel imperii, rectius, quam constitutis municipalibus, decernenda videantur. Nihil etiam de Regio censu, tributis, vectigalibus, alioque negotio fiscali. Quæ omnia à Rege ipso cum Episcopis, aliisque sapientibus, pro diversitate occasionum determinabantur.

 3. Nihil

3. Nihil etiam in iis contra Ecclesiæ canones, nec in eorum præjudicium, vel Ecclesiasticæ authoritatis diminutionem reperitur. Quinimo inter omnia Regum nostrorum Capitula de nullo prorsus magis sedulo cavetur, quam de libertatibus & privilegiis Ecclesiasticis; neque unquam auditum est Ecclesiasticos adversus quemlibet Regum *Saxonum* quærimonias vel lites de hoc negotio movisse. Neque hoc mirum est; cum Episcopi semper fuerint præcipui, tum in legibus condendis consiliarii, tum interpretandis, & exequendis judices. Quare sive Ecclesia nullum sensit è detentis privilegiis gravamen ante Gregorii VII. tempora, sive ille nova ab Imperatoribus & Regibus extorserit; nulla ratione Ælfredo nostro imputari potest, quod adversus Ecclesiam quidvis moliebatur. Nihil enim egit ipse, quod non & alii omnes Reges & Principes inculpate fecerunt. Omnes scilicet leges in subsidium, confirmationemque Canonum, iisque robur & vires addendum statuerunt: Hoc est Canones ipsos leges etiam quodammodo seculares constituerunt, cum pœnas pecuniarias vel corporales infractoribus minitatabantur. Ecclesia enim sua decreta censuris tantum spiritualibus, eaque potius Canones & Regulas quam leges appellata, sancivit. Istiusmodi vero pœnæ ab impiis, sensuumque & hujusce vitæ commodo deditis contemnuntur magis, quam quæ præsentem statum affligunt, voluptates vel commoda coercent. *Quos plus terret*, inquit Rex Edredus apud Ingul. f. 498. *dispendium temporale vitæ præsentis, quam supplicium gehennale perpetuo duraturum.* Videatur lex 1. ejus, quod Lambardus *fœdus Edwardi & Gothrunni Regum* nominat, Johannes vero Brompton magis & ad literam & rei veritatem, *Consilium, quod Ælfredus Rex, & Guthrunus Rex elegerunt*, &c. *Inprimis est, ut unum Deum diligere velint, & omni paganismo sedulo renunciare: & instituerunt sæcularem justitiam, pro eo quod sciebant se non posse multos aliter castigare: plures enim nolebant ad Dei cultum, sicut debebant, aliter inclinari. Et sæcularem emendationem instituerunt communem Christo & Regi, ubicunque recusabitur lex Dei juste servari secundum dictionem Episcopi. Et hoc est primum edictum. Ecclesiæ pax inter parietes ejus, & Regis* handgriþ [sub manu vel Scripto Regis data] *inviolabiliter permaneat.* Præterea Clericorum in plerisque delictis emendatio Episcopo secundum canones judicanda reservabatur. In præfato Consilio l. 3. *siquis sacris initiatus capitale quicquam perpetraverit, capitor, at Episcopo criminis admissi pœnas dependat; prout se regula* [canones] *habuerint Ecclesiastica.* sed & quantum Ecclesiæ attributum est etiam in punitione Laicorum consulatur lex 5. quæ sic se habet. *Si quis rei capitalis damnatus sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupiverit, id ei conceditor. Omnes autem studiose ac sedulo jura omnia divina provehunto, ita uti divinam misericordiam consequantur, atque has à sapientibus irrogatas sontibus pœnas declinent.* Non opus est ut plura coacervemus exempla, quod facile admodum foret, ad ostendendum Ælfredum nostrum, Regem certe pientissimum, nihil contra leges Ecclesiasticas statuisse.

4. Quæ in hisce legibus de connubiis, testamentis, moribusque omnium formandis omitti videntur, è Canonibus Ecclesiæ petenda sunt; prout è Conciliis illorum temporum satis manifeste constat. Testamenta vero condere paucis vel usitatum vel licitum videtur; & rara apud istorum temporum scriptores de iis mentio.

5. Multa de judiciorum formis & rationibus Ælfredum nostrum constituisse ex infra dicendis satis patebit, ipsumque brevia, & formulas citationum, & judiciorum instituisse nullus dubito; sed hæc omnia libris peculiaribus, quos Dome-bec appellabant contineri videntur.

6. E dicta lege Edwardi & Gothrunni tertia. *Siquis sacris initiatus capitale quicquam perpetraverit, capitor, ut Episcopo criminis admissi pœnas dependat*; ortum est privilegium etiamnum aliqua ratione usitatum; cum quis feloniæ coram judice sæculari accusatus (*Prays his Clergy*) Cleri privilegium sibi dari, hoc est, ut judici suo Ordinario sistatur, obsecrat. Et si Ordinarii delegatus ipsum legere asserat, pro primâ vice à mortis pœna liberatur. Quibus vero gradibus à primigenia institutione deflectatur, hujus non est loci disquirere.

7. Tota autem legum harum intentio fere in suo cuique conservando vel resarciendo; & in injuriis, violentiâque compescenda vel vindicanda consistit. Bellicosas enim & semibarbaras nationes mutuis in se ruere injuriis mirum non videbitur. Harum autem compensationem legi divinæ per Mosem traditæ, quantum licebat, legislator noster talionem constituens (dentem scilicet pro dente & oculum pro oculo,) composuit. Sed quoniam eædem injuriæ non omnibus erant æquales, sed qui Magistratui vel Magnati cuivis contumeliam ingereret gravius peccaret, majoremque pœnam mereretur, quam qui privato vel æquali; singulos dignitatum gradus, personasque omnium (vide leges Regis Æthelstani) ab ipso Rege ad Villanum, & servum certa pecuniarum summa æstimabat. Secundum quam omnes injuriæ, etiam mors ipsa, vel ipsimet injuria affecto, vel ejus cognatis compensabantur, quæ apud ipsos ƿere appellabatur; tum Regi vel Comiti mulcta, quam ƿite dixerunt, Dani vero lahslite sive legis infractionem, vel infractionis pœnam, solvebatur. Et in hisce ƿere & ƿite rite ordinandis magna pars legum istarum versatur. Aliquando enim pœna corporalis, & ipsa vita ƿere & ƿite redimebatur; sed, ut videtur, ad arbitrium judicis, non autem vel Rei, vel accusatoris. Quod si culpæ pecuniaria mulcta esset irroganda, mulcta ea nunquam capitis æstimationem superabat. Prout diserte postea statuebat Edredus LL. II. c. 2. Sed de ƿeregild copiosius dicendi dabitur occasio.

8. Sed & in judiciis, sive examinatione & convictione reorum de criminibus sc. acerrime inquirebatur. Qui enim unius testimonio premebatur, seipsum vel per duellum, per probationem ignis aut aquæ, vel saltem secundum æstimationem vel censum suum per tot virorum bonæ famæ juramenta, purgare tenebatur. Et illa quidem per Duellum, Ignem & Aquam judicia diu durarunt apud Septentrionales: donec sc. Eugenius PP. (an 1150.) & post ipsum Innocentius III. magnam iis abolendis dederunt operam. Ea quidem prohibuit apud nos Henricus I. (*Glanv. l. 2. c. 7.*) & apud alios Septentrionales Valdemarus III. Et erat lex ideo acceptior, quod minus periculi formidaret reos ex perjurio quam ex ferro (ut notat Saxo) quamvis multis occasio exinde data perjurio se polluendi. Sed neque prohibitiones illæ statim vim suam & effectum sortiebantur.

Ejusdem vero rationis leges fuisse plerasque Septentrionalium, etiam Francorum in Gallus imperantium, satis constat è Codice legum antiquarum; Legibus etiam Danico-Norwegicis, quas edidit Resenius; & è Capitularibus Regum Francorum; adeo ut qui pleniorem nostrarum sive notitiam sive interpretationem quærat, ex iis habere poterit.

cet, *Fœdus Ælfredi & Guthrumni*: posterius vero, *Fœdus Edwardi & Guthrumni* inſcribitur.

ᵃ7. Atque hæ quidem leges, utcunque rudi & ſimplici ſtylo, ſi conferantur ad poſterioris ſæculi conſtitutiones, conſcriptæ videantur; unius tamen ſunt tenoris, & æque limatæ ac cæteræ quælibet, quæ ſub illud tempus conditæ reperiuntur. Quod teſtantur leges ſcriptæ priſcorum Saxonum, Gothorum, Longobardorum, aliarumque gentium Aquilonarium, quæ Occidentalem *Europæ* plagam incolunt. • Iſtud hic inſuper notare ſubit, Legum ambages atque vafritiem non ante natam; quam diutina pax, & doli mali atque litium infælix ubertas, etiam eo progreſſa eſt, ut judiciis novum modum & ordinem præſcribere; & non pauca de jure tam poſſeſſorio, quam hæreditario definire, compelleretur Magiſtratus. Temporibus vero prioribus Leges, ut plurimum, non ultra mores, de criminibus publicis, de vi, de injuriis, de damno ſeſe porrexerunt. Qua quidem in parte proculdubio æqui bonique regulam diligenter obſervarunt. Neque vero poſteri ab iis receſſerunt, (erant enim aliquando Regni hujus leges) quaſi ſecundis cogitationibus aliquid æquius reperiſſent; ſed ſolo incommodorum, quæ maleficia publice conſequerentur, intuitu; & timore malorum, cui occurri oporteret, ſæpe durius & atrocius in reum conſuluerunt; quam æquitas ſola ob pœnas nocenti, ex commerita noxa irrogandas, per ſe feciſſet.

8. His igitur in legibus videre eſt, quomodo humanæ vitæ longe plus parcatur, quam in ſæculis inſequentibus uſitatum eſt. Quæ, ut delictis non maximis occurratur, ad extremum ſupplicium facile deſcendunt; cum illæ leges ab Ælfredo latæ vix quicquam atrocius decernunt, quam ut falſos & ſeditioſos rumores ſpargentibus linguæ, ſacrilegis manus, præcidantur. Perfidiæ machinatio capite ſemper luebatur; ſive quis in ipſum Regem proditione nefaria graſſaretur, ſeu Comitis, aliuſve cujuſvis Domini vitæ inſidiaretur. Præterea ſi quis in Aula Regia cum altero depugnaverit, telumve diſtrinxerit, is pro arbitrio Regis morte plectendus erat.

Et ſunt clementiſſimæ, cum in iis raro crimina morte puniantur.

9. Verum quicquid horum eſſet admiſſum, reo locupleti pœnam certa fere pecunia redimere licebat. Iſtis enim temporibus ad hanc normam exigebatur juſtitia. Singulorum hominum capita ab ipſo Rege ad infimum uſque ſervum, & unumquodque cujuſvis membrum conſtitutis pretiis æſtimabantur; adeo ut quicunque homini mortem aut vim intuliſſet, non ultra quam pretium, prout cujuſque læſi vel occiſi

ᵃ Quarum codex ſatis amplus primum ab *Heroldo*, dein & aliis, accuratiſſime vero à *Lindenbrogio*, Francof. 1613. editus. Neque eſt, cur Author illuſtriſſimus de legum noſtrarum ſtilo juſte conqueratur; ſuccincte, perſpicue, nec ſine Authoritatis quodam charactere ſcriptas eas eſſe, qui lingua vel mediocriter verſatus eſt, facile intelliget.

Fortaſſe

cisi dignitas postulabat, persolvere tenebatur. Mulcta vero, quæ cædis crimini imponeretur, *Weregild* dicitur: ejusque ab homicida persoluti partem primam Rex, *Frithbote* dictam, violatæ pacis ratione vendicavit, ad jacturam subditi sarciendam; aliam Dominus, deperditi mancipii nomine, quæ pars *Manbote* appellata est; reliquum trientem hominis, qui interfectus est, propinqui & necessarii tulerunt, doloris lenimen; quod *Magbote* aut *Cengild* vocarunt; hoc nisi numeretur, ipsa homicidæ vita propinquis interempti, seu parricidii vindicibus, impune tollenda, ut ex instituto Mosaico, exponebatur. Quemadmodum autem hominis occisi necessarii diminutæ nationis mercedem acceperunt; ita vicissim, cum aliquis post cædem patratam, quod mulctam, quæ *Weregild* nominatur, solvendo non esset, fuga sibi salutem petivisset, ipsius homicidæ cognati vel (si ita usu venisset) vicini [ᵹylðen ða ᵹeᵹylðan (i. e.) solvant contubernales LL. *Ælf.* c. 27.] vel contubernales propinquis interempti tertiam mulctæ partem, quandoque

ᵃ Quæ in hac & § præcedenti, fortasse non satis sibi consonis, de Legum Saxonicarum elementis dicuntur, non à me penitus approbari fateor. Legentibus earum severitas satis patebit. Quales sint leges bellicæ, & quales bellicosis, ferisque gentibus idoneæ, omnes norunt. Sed quod de ƿeƿeᵹilð sive capitis redemptione hic dicitur accuratiori indiget examine. Nam quod in Rei arbitrio erat post homicidium, *v. g.* Regis ipsius, (hujus enim vita etiam æstimabatur, v. leges Regis Æthelstani) tot thrymsarum millibus semet redimere, non est verisimile. Sicut nec homicidii voluntarii, præmeditati, & malitiosi pretium ullum statutum videtur. Hujusmodi enim Septentrionalibus omnibus fuisse de homicidio, sicut & plerisque aliis, leges & pœnas superius dictum est. Tria autem scelera antiquis illis maxime erant detestabilia. Primo perjurium & fœdifragium; hujusmodi enim sceleris reum **Nyding**, hoc est, Ἀπαισίτλω summa infamiæ nota publice dedecorabant. Secundo Homicidium clancularium & sicariorum more patratum, quod veniam nullam impetrabat. Leges enim antiquæ postulabant; ut, siquis Homicida pacem vellet impetrare, eodem die, quo hominem occiderit, coram magistratu se sisteret, ternis vicibus se authorem cædis pronunciaret, doloremque pro perpetrato scelere testaretur. Alias capite solo pensabat. Tertio Adulterium, & quidem in alterius uxorem. Nam mariti pellicatum non adeo usque graviter puniebant. *v. Not.* ad Wolnspaa p. 98. *Homicidium voluntarium nullo pretio emendabit.* Canut.-leg. c. 93. *Tectorum excisiones & incendia, apertæ compilationes, cædes manifesta, dominorumque proditiones scelera sunt jure humano inexpiabilia. l.* 61. Et cum reges nostros, maxime Ælfredum, tanti fecisse video leges Dei Hebræis traditas, ut ipsarum fundamento suas superstruxerit, easque de homicidio particulatim suis præmiserit; ægre potest in mentem cuilibet venire ipsos tam levi mulcta peccatum tam grave punivisse. Quantum ex diligenti harum legum consideratione potui colligere, dicendum videtur. Omni quidem homicidio mortem fuisse pœnam constitutam. Sed in judiciis, vel XII. Virorum fuisse potestate, perpensis omnibus facti circumstantiis, pœnam illam mitigare, vel in pecuniariam commutare. *v. g.* Gentes hæ pugnaces quasi perpetuis faidis sive inimicitiis (quæ bella quædam privata habebantur) inter se exæstuabant; & inimici occisionem non adeo severe vindicatam fuisse videtur. *v. Seld. Jan. l.* 1. § 32. Tacitus in moribus Germanorum. *Inimicitia non durant implacabiles: luitur etiam homicidium certo armentorum aut pecorum numero; recipitque satisfactionem tota domus.* Cognati enim ejus, qui interemtus erat, vindices sanguinis apud nostros, æque ac apud Israelitas, habebantur. In Leg. Valdem. Daniæ Regis, quæ Canuti nostri legibus prorsus correspondent (edit. Resen. p. 643.) *De Homicidio sic statuimus; ut reus in generali placito trahatur in causam, & in secundo placito Actor nominet* XV *de Provincia rei, de quibus illi concedimus tres excipere, &* XII *residui post* 15 *dies a secundo placito jurabunt: vel quod ille pace* [hoc est, misericordia] *privari meruit, quod occiderit innocentem; vel quod satisfacere debet, eo quod ob vindictam debitam occidit illum; vel juramento suo illum penitus excusabunt.* Sed nec faidorum sola erat ratio; alia erant homicidiorum genera, quæ nostrates **Manslaughter** appellant, jura vero alia prorsus ignorant: de quibus mitius statutum videatur. In libro legum Scoticarum *Regiam Majestatem* dicto. In legibus Malcolmi *c.* 11, 12. Videtur solutiones istas homicidæ mortem non excusare; sed ipsum morte mulctandum, & ipsius bona tanti valoris confiscanda. & rursus *l.* 4. *c.* 1. § 5. 10. **Gyf any man is fyled or condemned of that crime, his judgement and punishment of his life and limme depends onely upon the Kinges benefite and gude will** [est in misericordia Regis] **as use is in all pleyes of Felony swa that he and his heyres sould be perpetually forefaulted in all time coming.**

Be

doque etiam dimidiam, pendere tenebantur. [a] In levioribus autem noxis, quæ citra homicidium subsisterent, si mulcta non repræsentaretur, ad talionis Legem res redibat: ut membrum membro, dens dente amisso, lueretur: interdum carceris pœna sequebatur. Usitatissimum autem seu potius solum servile supplicium, verberibus affici.

10. Inter universas autem, quæ hodie extant, Ælfredi Leges, unica tantum habetur quæ possessorium, aut hæreditarium jus attingit; eaque hujusmodi est; [b] *si quis terram ab aliquo cognatorum hæreditate acceptam possideat sub conditione non alienandi, sive ea conditio ex scripto innotescat, seu testibus comprobetur; ei ne liceat eam terram cuiquam, præterquam cognato, vendere.* Unde verisimile est ortum duxisse servitutem illam hæreditatibus impositam; quod scilicet hæreditates, non semper ipsos hæredes, sed certas quasdam personas, nisi præcisio intervenerit, in perpetuum sequantur.

Et unica de successione possessionum & hæreditatum sancitur.

11. Hoc vero notatu, illo præsertim seculo, dignum; quod in iis Legibus, quæ Danis in fidem receptis ponerentur, etiamsi singula earum capita religionem spectant: (nempe de vero Dei cultu fovendo, de pace Ecclesiæ, deque ejusdem peculio, nimirum de Decimis, Oblationibus, & similibus; si quis tamen sacris ordinibus initiatus furtum faciat, pugnet, pejeret, aut scortetur, præter pœnitentiam & satisfactionem ex Canone debitam, seculari insuper magistratui secundum leges satisfacere teneretur; mulctam penderet, quæ ƿeregild. & lahslecht dicitur, prout res postulabat: & etiam sponsores, ut melius se gereret, in posterum dispiceret: secus si fecerit, in carcerem abduceretur. [c] Quod si sacerdos aliquid commiserit circa jejunia, seu festos dies indicendos, Chrisma indiligentius custoditum, seu Baptismum negligentius

Etiam Clerici æque ac reliqui peccantes pœnis pecuniariis subjiciebantur.

[a] Si quis occisus inventus est (homicida fugiente) Centuria ƿeregild solvit; & supponebatur, ipsum fuisse Danum. Et hæc lex à Normannis continuata est, & vocabatur englishire.

Be boclande.

[b] Se mon se ðe boclande hæbbe, ⁊ him his magas læfdon, ðonne settan ƿe þ he hit ne mote syllan of his mægeburh, gif ðær bið geƿrit, oþþe geƿitnysse, þ hit ðara manna forbod ƿære ðe hit on fruman gestrindon ⁊ ðara ðe hit him sealdon, þ he sƿa ne mote. ⁊ þ ðonne on cyninges, ⁊ on bisceopes geƿitnysse gerecce beforan his magum.

Latine sic reddidit Bromtonus.

De eo, qui terram hæreditariam habet, quam ei parentes sui dimiserunt, ponimus; ne illam extra cognationem suam mittere possit, si scriptum intersit, & testis quid eorum perhibuerit, qui hanc inprimis acquisierunt, & ipsorum qui dimiserunt ei ne hoc possit, & hoc in Regis & Episcopi testimonio recitetur coram parentela sua.

Ad quam legem in Analectis *l. 2. c. 5.* sic Seldenus; *En, jurisperiti, feudum (quod dicitis) taliatum, Edwardi 1. decimo supra tertium anno hic multo antiquius habetis.* Nostris etiamnum temporibus robur suum servat; & in bellis nuperis civilibus fortunas suas permultis salvas stitit; licet pluribus Jurisperitorum offuciis futelisque (quæ seculorum sequiorum calliditas) innodata. Sed in alienam messem immittere falcem non decet.

[c] Nescio tamen an hæc (prout insinuare Author videtur) quidpiam contra Clericorum immunitatem faciebant. Præter enim supra dicta, Clericus, utcunque reus, judici suo competenti semper sistebatur. Illis enim temporibus eidem cum seculari judice tribunali insedit etiam Episcopus, unaque judicia exercuit, & sententiam protulit. Neque enim ante Gulielmi Conquestoris adventum fora distinguebantur. Quod & Seldenus tum Jano Anglorum, tum notis ad Eadmerum sæpius adnotavit. Ante fora vero separata Immunitatis nulla erat necessitas.

gligentius administratum, Anglus si foret, Regi mulctam non levem; sin Danus, Lahslechta pendere, juberetur.

Adeo ut Rex sibi suprematum asseruisse videatur. 12. Hæ leges, inquam, hactenus observationem merentur, quod ex iis constet, etiam illis temporibus Reges Saxonicos Ælfredum & Edwardum sensisse se suprematum habere tam in Ecclesiasticos, quam Laicos: Neque Ecclesiam, quæ in ipsorum ditione sita esset, esse quid peregrinum, vel Principi alicui Ecclesiastico extraneo subditam, domi vero civitatis legibus solutam; quod Anselmus, Becketus, aliique deinceps insequuti, acriter contenderunt. Sed quod ipse Clerus, sicut inter Regios subditos censeretur, ita quoad personas atque fortunas, ipsius tutelam respicere, adeoque violatæ legis uni Regi rationem reddere, teneretur. Neque putabant, quod Clericum secundum leges Regni in jus vocare Pacem Ecclesiæ ullatenus immineret. Etenim in ipso primo legum articulo pax Ecclesiæ disertis verbis confirmatur: nec eo minus tamen in capitulis subsequentibus, ea, quæ modo laudavimus, statuuntur. Et certe licet Edgarus, hujus Ælfredi Abnepos, se sui seculi Clero regendum penitus addixerat, unde Romanis constitutionibus haud parum roboris in ejus Regno accrevit; attamen (ut ex ipsius ad Clerum oratione constat, quam ab aliquo Clericorum compositam sunt, qui dicant) de Ecclesiasticorum omnium moribus ad se spectare examen arbitratus est, & ibidem illud profitetur. *Vide* Concilia *fol.* 477. Postea vero Clerus noster (Romanensis magis quam indigena jam factus) fallacia quadam insequentium Principum pietati imposuit; dum sub honoris Ecclesiæ Christi specioso prætextu excellentias eas Ecclesiæ venditavit, quæ Ecclesiæ invisibili, potius quam visibili, conveniant. Et de illa solum verum sit, quod huic Clerus applicabat; eam scilicet Regnis per universum terrarum orbem dignitate & meritis anteire. Hæc omnia privilegia, inquam, & prærogativas, quæ invisibili Ecclesiæ jure competere videantur (quam ex Laicis æque ac Clericis constare novimus) ad unius Cleri ordinem trahebant. Cum neque omnes Clerici Ecclesiæ invisibilis vera sint membra; neque, si vera essent, eo magis sola essent & universa: Itaque ex præeminentia male assumpta perperam colligebant, se corpus esse legibus secularibus, & judicio nativi Principis atque populi, solutum. Quæ immunitas nullatenus eorum sorti conveniebat, qui aut Regno bene instituto subditi, aut Ecclesiæ militanti membra esse deberent. Porro dum sibi, suoque capiti Ecclesiastico integrum Dei Ecclesiæ honorem, potestatemque arrogant, tum Christi Regis, tum Christianorum, qui uspiam reperiuntur, Principum jura pariter involarunt. Cum igitur hæc usurpatio, in hoc Regno examini subjecta, merito exploderetur; Pontificii, quo autoritatem illi ex vetustate acquirerent, huic sæpius institerunt; quod

Ælfredus

Ælfredus rex Ecclesiasticum Romæ principatum recognoverit, eique se submiserit. Cum ex ipsius legibus constet, vel suprematum illum Romanum istis quidem temporibus nondum eo modo, quo posterioribus sæculis, sese extulisse, (scilicet ut Christiani Principes angustius regnarent :) vel si tunc eatenus pertigerit, non eo tamen usque se ei subjecisse *Ælfredum*. Quod igitur Nicolaus Harpsfeildius (ex *Ailredo Rievallensi*, potius quam *Asserio Menevensi*, quem ipse nobis testem producit) de Rege *Ælfredo* refert; *Germanam & genuinam esse Regis dignitatem dictitare solebat, si in regno Christi, quæ est Ecclesia, se non Regem sed Civem agnosceret : si non supra sacerdotum leges se elate efferret, sed legibus Christi per sacerdotes promulgatis, submisso se atque humili animo subderet.* Cum tam male conveniat inter *Ælfredi* verba istic allegata (sensu saltem eo, in quem accipi oportere Pontificii contendunt) & ipsius leges supra memoratas. Unde videre liceat, qua fide tum hujus testimonii laudator, tum ii, qui hoc argumento tam valide nituntur, pium aliquod Regis effatum nobis protulerint. Cum enim docere debuerint, quam vere Christiana animi moderatione & submissione celsum illud & sacrum munus Rex administraret; persuadere nobis annisi sunt, Regem omni in Ecclesiasticos imperio sese abdicasse. Quinimo Clericis subjectum se potius quam Principem eorum haberi postulasse. Quem etiam in finem, eum, propter hoc dictum, cum *Constantino Magno* comparârunt; qui ægre ferens quosdam ex ipsius Episcopis (cum ipse Imperator orbis primus *Christo* nomen dederat) se mutuo scriptis libellis apud ipsum lacerasse, illos monet; quantum noxæ jurgia hujusmodi, apud infideles vulgata, toti ecclesiæ necessario allatura essent; adeoque suadet (quod etiam S. *Paulus* fecerat) ut suas lites apud se audirent & terminarent. Pontificii, ex hoc Imperatoris responso (quod Zelum merum & viscera pietatis versus Ecclesiam sonabat) aliorsùm accepto intelligi volunt; *Constantinum* omni in Ecclesiasticos jure cessisse ; eorum in se potestatem agnovisse ; seque iis ultro subjecisse.

Hist. Ang. Sæcul. 9. c. 6.

13. Illud amplius observandum est, quod ab hisce, cæterisque Regis hujusce constitutionibus, complures, eæque insignes, juris nostri sanctiones, quæ hodie etiam obtinent, profluxerint; nominatim Lex illa de judiciorum æquitate, quam nobis, patriæque nostræ merito gratulamur, cæterisque ubivis terrarum circumjectis gentibus rite præferimus. Quâ nimirum causæ omnes xii. ejusdem cum reo ordinis Viris cognoscendæ permittantur ; hæc, inquam, lex hic primitus instituta est. Sicuti videmus, quod in Regiis Baronibus purgandis xii. itidem Regiorum Baronum, in alterius vero cujusquam ministris, undecim ex eodem ordine virorum, duodecimi vero Regii Baronis judicio tota causa permittebatur. Pariter Decurionum judicium ex xii. Decurionum

Judicium duodecim viralem instituit.

rionum ſacramento terminum ſortiretur; prout mox demonſtrabimus. Quæ omnia primus inſtituit Ælfredus. [a]

Et ut ſuſpectus unuſquiſque ſponſoribus de ſe bene gerendo caveret,

14. Ab ejuſdem Principis inſtituto ſimiliter ortum, ut homines vitæ ſuſpectæ ſponſores, uti bene ſe gererent, ſibi diſpicere cogerentur. Quod ſi nullos invenerint in cuſtodiam darentur.

Et uti equorum, boum &c. venditor non niſi ſua venderet

15. Lex etiam illa, de bonis alienandis per venditionem in foro publico factam, cuipiam Regis hujus inſtituto originem ſuam debere videtur. Cum enim Danis primo ſubjugatis poteſtas hoc Regnum incolendi facta eſſet, frequenter accidit inter geminos, & hoſtes, populos; ut non tantum equos, & boves, cæterumque pecus abigerent, verum etiam viros, fæminaſque plagio ſubducerent, quos ſibi mutuo divenderent. Quo pacto non tantum pecus juſtis Dominis ſubtraheretur, verum etiam liberi homines injuſte in ſervitutem abriperentur. Cumque jam difficile foret venditionis autorem conquirere, bonæne is fuerit an malæ fidei poſſeſſor; ut his omnibus incommodis ſubveniretur, Rex ſtatuit; [b] ſive quis mancipia, ſeu boves, equoſve deinceps venundaret, haud aliter venditionis autorem idoneum haberi, niſi fidejuſſoribus interpoſitis prius ſatiſdaret, ſe, quod venum exponeret, jure poſſidere. Poſtea Nundinis & Emporiis, quia publice conſtituerentur, eadem, quæ fidejuſſoribus, acceſſit anctoritas. Donec longo uſu etiam illa loca in vitium inciderint: præſertim circa equorum venditionem, qui velocitate tranſcurrendi facillime in diverſa quæque loca rapti dominos mutarent. Quantum igitur ad equos, *Elizabetha* 31 annum jam Regina ſtat. 12. illam ipſam *Ælfredi* legem in

[a] Apud ipſos *Germanos*, adeoque veteres noſtros *Saxonas*, Tacitus notat judicia habita fuiſſe a Principe cum adjunctis ejuſdem pagi *centumviris* ingenuis, vel viva voce, vel armorum concuſſione ſententias ferentibus. Hæc tamen judicandi ratio vel paulatim, vel alicujus Regum noſtrorum poſt Chriſtianiſmum receptum mandato obſolevit; utpote faſtidioſa nimis & incommoda. Et primo quidem numerus ille centenarius ad duodecim arctatus eſt; conſervata tamen iis eadem poteſtate & juriſdictione. Adeo ut ipſi xii-Viri Judices erant, & iiſdem ſedibus, & eadem authoritate, qua Præfectus & Epiſcopus, pollebant. Idem apud pleroſque Septentrionales valuiſſe dicitur. Regnerus Lodbrog. (inquit Saxo. l. 9.) *ut omnis controverſiarum lis ſemotis actionum inſtrumentis nec accuſantis impetitione nec rei defenſione admiſſa,* xii. *Patrum approbatione judicio mandaretur, inſtituit.* Poſtea vero viri negotioſi & Optimates (quales plerumque xii-viri erant) non invenientes perſæpe quippiam judicandum tanto eorum labore & attentione dignum, negligentius ſe geſſerunt, judiciique iſtius ratio paulatim emarcuit. Ælfredus ergo ejus vice aliud ſubſtituit, quod apud nos etiamnum viget: ut ſc. xii. é vicinia melioris notæ ingenui, juramento rite ſuſcepto, poſt prolata teſtimonia, reliquaſque probationes, factum ſit necne, de quo reus accuſatur, ſententiam ferant. v. Ælf. legem Si miniſter Regius. Camd-Brit. f. 499. Lamb. f. 45. Videtur etiam Ælfredus hoc xii-virale judicium à criminibus, quibus antea ſolis adhibebatur, pecuniariis, omnibuſque aliis litibus extendiſſe. Notatur etiam Ælfredus Judices aliquot morte legis hujus violatores puniviſſe. De quibus ſuo loco. Illud vero notandum eſt, *Barones*, qui hic dicuntur, fuiſſe Ꝺeᵹneƿ. Barònis enim appellatio vix ante *Guilielmi* Conqueſtoris tempora reperitur, utcunque hic ab interprete ponatur.

[b] Magis perſpicue hæc tradi poſſunt è Lambardo. *In more erat poſitum, ut ſi quis rem furto ſurreptam alteri vendidiſſet, atque is eandem alteri cuipiam, idemque feciſſent plures alii, Domino tamen per leges licebat rem ſuam ubivis deprehenſam ſuo ſibi jure vendicare. Tum vero ejus (quem penes res erat deprehenſa) partes erant venditorem proferre, cauſaque illum advocare, ut is venditionem præſtaret, atque in ſe reciperet. Is demum cauſa advocatus alium citabat, atque alio alium advocante, in ipſum tandem furti authorem culpa transferebatur.* Hanc autem ſuam cuique rem vendicandi rationem, utpote nimis faſtidioſam & litibus obnoxiam ut penitus auferret, Rex ſtatuit; ut quiſque venditor ſponſoribus interpoſitis rem ſuam ſe vendere confirmaret.

1. Omiſit

in usum revocavit, qua venditor ad fidejussorem interponendum teneretur.

Excommunicatos legum beneficio privat, aliaque multa instituit, unde leges nostræ communes sive municipales originem ducunt,

16. Postremo lex illa, qua Excommunicatis legum commercio interdicitur, ab Holinshedo rerum nostrarum scriptore, (fol. 121.) *Ælfredo* Latori attribuitur. Sunt & alia complura tum in formulis judiciorum, tum in administratione Regni (quorum nonnulla significandi dabitur inferius locus) quæ ab regis *Ælfredi* institutis originem duxerunt. Et haud scio an conjecturam illam, quæ satis probabilis videtur, recte prætermittam; quod ipsum *Juris communis* vocabulum ab ejusdem constitutionibus manaret. Sive enim dictum, quod omnibus *Heptarchiæ* jam consummatæ Regnis in unum coalescentibus, jus commune redderetur; seu quod utrique populo Regnum tunc incolenti *Saxonibus* dico, *Danisque* communicaretur; *Ælfredus* Legislator utroque respectu *Juris communis* autor extiterit. Utcunque vero *Danis* suæ suppeterent Leges, quibus *Saxones* neutiquam subiicerentur, quæ ad Confessoris usque tempora duraverint; quod & inde *jus Danicum* est appellatum; id tamen juris & post *Ælfredum* subintroductum est, & admodum pauca habuit peculiaria. Nam quoad rei summam in unum idemque jus commune utraque concesserant.

17. Quamvis autem Rex, rebus hunc in modum compositis, vim publicam compescuisset; & in quantum præsens rerum status capere potuit, civitatem justis & æquis Legibus instruxisset; quicquid tamen hactenus molitus est, longe abfuit ab eo effectu, quem aut ipse optaret, aut sæculi necessitas exigeret.

Ut latrociniis caveretur.

18. Etenim bellum tamdiu, adeoque licenter, toto Regno grassatum est, ut nulla Reipub. pars sincera restaret. Sub ipsum autem belli exitum plus turbarum quam inter arma extiterat. Quod licet haud insolitum, ubi milites primum dimittantur; hic tamen contigit ultra omne id, quod apud alias gentes fieri soleat. Exercitus enim uterque ex diversis gentibus constabant; uterque etiam postquam debellatum est, in eadem terra resederant. Dani adhuc domorum, rerumque necessariarum, quibus pace stabilitâ se receptarent, erant expertes. Saxones etiam suis fere ab Danis spoliati. Dani prorsus infideles & Barbari; Saxones longa assuetudine iisdem sceleribus contaminati: utrisque vero par necessitas extrema audendi, si quando vel tantilla spes inopiæ levandæ per fas aut nefas se offerret. Adeo ut omnia vi, rapinis, atque parricidiis ubique plena essent. Leges etiam, quamvis severiores, quam antea, fuerunt; non ea tamen nocentes conquirendi & convincendi facilitas suppetebat, quam temporum istorum ratio flagitare videbatur.

Regnum in Comitatus, Centurias & decurias partitur.

19. Adeo male se res habebat publica, cum Rex, deliberatione habita, quomodo huic tanto malo occurreret, totum primo Reg-

num curavit perlustrandum; quod ubi comperit in minutas portiunculas concisum, prout Saxones alii alio tempore (ut cuique commodum erat) incoluere; partitionibus illis, ut quæ regimini parum essent idoneæ, prætermissis, Regnum de integro divisum in Comitatus, [a] illos autem in Centurias, seu Classes militares (**Wapentakes** verna-

[a] 1. Omisit Author *Comitatus* divisionem in *Tribingas*, (quas recte adnotavit Dugdalus) & harum in *Centurias*. Erant autem tertia pars Comitatus, licet non præcise, sed continebant aliquando tres, quatuor, vel plures *Centurias*, prout subditorum commodo magis conducere videbatur. Qui vero his præficiebantur Ꝺpiðingegeresas, & secundum aliquos *Thungrevii* appellabantur, quibus referebantur lites, quæ terminari non poterant in *Wapentachiis*. De his copiose Sancti *Edwardi* lex 34. Et licet post *Normannorum* ingressum paulatim obsoluisse videantur, adhuc tamen in *Eboracensi* in usu sunt; & vocantur **Ridings**, fortassis à voce Ꝺpiðing corrupta; & in *Cantio* Leþes (in lege Sancti Edwardi) & in *Sussexia* **Rapes** vocantur, & in eo Comitatu Sex omnino habentur. In Ingulfo (fol. 495. b.) *trithinga* pro *Tithinga* legitur; suspicor tamen aliquid in eo loco desiderari; cum apud eundem alio loco (f. 498.) *trichingam* reperio. Sed de partitione Comitatuum distinctius agatur, & ignoscat lector, si nonnulla methodi gratia iterentur.

2. Et cum *Decuriis* incipiatur, quas communiter Teoþing, Eboraenses vero **Tienmannatale** vocarunt, statuit ergo Rex *Ælfredus*, ut (exceptis Nobilibus quibusdam (de quibus Sancti Edwardi lex 21.) quibus indultum est; ut ipsorum familia esset *Decuria* sive *Friburgum*, & ipse Nobilis quasi *Decurio* & sponsor; etiam Clericis & Mulieribus) unusquisque subditus (**inlaughe**) decimum quartum annum agens in aliqua censeretur *Decuria*; hoc est, in aliquo esset *Friburgo*, vel ut Normani appellarunt, *Franco-Plegio*. Cujuslibet vero *Decuriæ* novem erant sibi mutuo fidejussores (qui in legibus nostris Franci-plegii, hoc est ingenui sive liberi vades); Decimus vero sive *Decurio* (quem adhuc **Tithingman**, & alicubi **Borsholder** sive Borhesealdeр nominant: Nam Borh vel Borgh vadem, & Friborh Vadem ingenuum pariter significat, unde nostrum **Neighbours**, hoc est, vicini vades,) erat vas primarius & præcipuus; reliquosque novem in suo dictus est habere *Borgo*, Reipublicæ & Regi singulorum nomine astrictus. Leges autem *Decuriæ* hujusmodi fere fuisse videntur; primo ut unusquisque Sponsores pro se bene gerendo haberent, servi scilicet Dominos, mulieres maritos, liberi ante annum 14. Patres, & generaliter Paterfamilias pro manupastu suo sive familia, respondebat; licet hoc non ubique observabatur, v. Seld. Jani Angl. p. 53. Et Decurio pro patribus-familias. Hospes etiam pro peregrinis spondebat; Leg. Sancti Edw. 27. Adeo ut universi per totum Regnum erant sub aliqua (& liberi omnes, decennali) fidejussione. 2. si unus foris-fecerit, reliqui novem eum ad rectum (*i. e.* præsto ad justitiam) haberent. 3. Sin reus aufugerit, nullibi daretur ei receptus sine literis (ut ita dicam) dimissoriis; neque *Decuria* quævis advenam sine prioris (ubi degerat) *decuriæ* testimonio acciperet. Et si quis extra *Francum-plegium* existens in aliqua villa reciperetur, tota villa erat in misericordia Regis. 4. Lege Sancti Edw. 20. *Decuriæ* dabantur dies 31. ut reum fugitivum invenirent; & ad Regis justitiam adducerent; ut de suo damnum, quod feceiat, instauraret. vel de corpore suo justitia fieret. 5. Quod si reperiri non poterat, ipse *Decurio* duos è melioribus sui *Friborgi*, & è tribus vicinioribus *Friborgis* novem (de unoquoque scilicet capitalem sive *Decurionem*, & duos melioris notæ) secum sumeret: & coram Regis Justitiario sive Præfecto se suumque *Friborgum* (si posset) de culpa & fuga rei expurget. Quod si non poterat, ipse cum friburgo suo damnum restituat; de rei bonis (si suppetierint, his autem deficientibus, de suo & Friburgi sui) & etiam versus justitiam amendet, secundum quod legaliter fuerit judicatum. 6. Tandem sacramentum, quod non potuerunt adimplere per tres *Friborgos* viciniores, per seipsos jurent; sese nullatenus esse culpabiles; &, si quando possent, reum adducturos ad justitiam, vel saltem ubinam esset propalaturos. Habebant etiam *Decuriæ* sua *Comitia*, sed quoties, vel quando, vel quomodo lege cautum non videtur. Quæ vero negotia ad hos conventus pertinerant, vide Legem Sancti Edw. 32. Tantilla enim negotia *Decurionis* prudentiæ & fidei facile permittebantur; nisi quod lege Edgari habetur, hæbbe mon Ꝺpiya ongean buphgemote. Oppidana ter quotannis habeantur Comitia. Idem quoque Canutus L. 17. Et in legibus Scoticis mentio habetur **Burlaw** sive **Byrlaw**; quæ dici videtur *lex Burgi* facta in **Burgmote**; licet Skenius paulo aliter interpretari videtur. Sed ad majus hujusce partitionis stabilimentum ordinavit Rex noster; ut semel in anno quælibet *Centuria* propriis Comitiis conveniret, quibus non solum liberetenentes, sed & omnes viri tum cives tum peregrini, qui annum ætatis duodecimum attigerint (exceptis nobilibus & clericis) se sistere deberent. Et hic conventus dicebatur *Visus Franci-plegii*, quoniam in eo inquirebatur: si omnes istius Centuriæ *duodecennes* Regi fidelitatem debite jurassent; si omnes *Decuriones* decennariorum suorum numerum tenerent completum; si quis occisus fuerit; & si homicidam rite essent persecuti; si qui exules, exleges, fœneratores vel alii scelerati receptum inter eos haberent; si quis thesaurus repertus; si quod *Wrectum maris*, *Wavium* vel pecus erraticum; vel si quid in Regis damnum commissum fuerit; si Regis officiarii cuipiam injuriam fecerint; & de similibus inquirere, majora vero crimina non ipsi punire, sed regio Præfecto reservare, deberent. Atque hæc est Curia prisca illa, quæ inter Saxones ad *Friborgos*, *Decanias*, *tenmentalas* pertinebat, (Spelm. in glos.) Læta, sic enim & antiquitus, & hodie etiam nominatur. 3. Sicut autem *Decuria* quælibet è decem *Hydis*; ita *Centuria* è decem *Decuriis*, sive centum hydis constabat. *Hyda* vero tantum agri sive terræ continebat, quæ familiæ uni sustentandæ sufficeret. Quod enim Beda familiam vocat, Rex ipse Ælfredus *Hyde-land* transtulit; & quod alii *Mansum* Asserius *Manentem*, Malmsb. *hydam* appellat; alii etiam *carucatam*, *casatam* **Swollingham**, & **Sullingham** (à sulh aratro) & in Dunstani charta habetur, *septem aratrorum*,

aratrorum, quod Anglice dicitur septem Hydas. Certum vero non continet jugerum sive acrarum numerum (alicubi enim Centum, alibi Sexaginta hydam metiuntur) sed aliquando plures, aliquando pauciores. Sicut nec *Centuria* quælibet decem villas, vel villa decem Hydas. Hujusmodi enim accuratæ partitiones ipse Regni status sine magnis turbis & querelis capax non fuit. [Etiam villæ pro ratione magnitudinis unus vel plures Hundredi censebantur; ut Stamford habebantur 12 Hundredi & dimidium]· sed ad hanc regulam Princeps collimans, quam prope rerum conditio patiebatur, accessit. Neque incolarum multitudinem unice respexit, sed & Nobilibus & Thegnia suis nonnihil favisse videatur: cum ipsorum gratia Centurias vel amplitavit vel restrinxit. Quod autem Centuria dicebatur in Comitatibus, ubi Dani magis prævaluerunt, [quales Sti. Edw. l 33. **Everwickshire, Nicolshire** (quas voces pro Evorwick-i-e- **York-shire** & **Lincon-shire** perperam scriptas arbitror) **Notingham, Leycester, Northampton**-Shires, usque ad Watlingstreet] **Wapentachs** appellabantur, vocabulo scilicet *Norwegorum*; quales plurimi erant eorum, quos *Danos* ipsi vocitamus. Apud illos enim pagi, qui se in bellis mutuo comitabantur, & sub iisdem ducibus militabant, **Waabnetach** dicebantur. Vel quod arma simul caperent, vel quia arma simul in Comitiis concutiebant. Germanorum enim morem notat Tacitus, ut in Conciliis approbationem concussione armorum exprimerent. Et *Barangas* Græcorum historici dicunt, cum Regi multos annos adprecabantur, secures sive bipennes (more sc. patrio) concutere solitos. Illa vero Sancti Edw. lex aliam, licet non multo diversam, assignat nominis rationem. *Cum quis*, inquit, *accipiebat præfecturam Wapentachii die statuto, in loco ubi consueverant congregari, omnes majores natu contra* [versus] *eum conveniebant, & descendente eo de equo omnes assurgebant ei. Ipse vero erecta lancea sua ab omnibus secundum morem fœdus accipiebat: omnes enim, quotquot venissent, cum lanceis suis ipsius hastam tangebant, & ita se confirmabant per contactum armorum, pace palam concessa. Quare hac de causa totus ille conventus dicitur Wapentac, eo quod per tactum armorum suorum ad invicem confœderati sunt.* 4. *Centuria* ergo sive **Hundred** uni Centurioni, Centenario, sive Hundredario subjiciebatur; cui potestas erat omnes *friborgos* suæ Centuriæ convocare & cum duodecim viris illius Centuriæ lites ibi emergentes definire & decidere. Etheldredi lex 4. *Liberæ conditionis viri duodeni ætate superiores una cum Præposito sacra tenentes juranto, se adeo virum aliquem innocentem haud damnaturos, sontemve absoluturos.* Unde initium sumpsisse videtur illud causarum examen quod appellamus **by God and the countrey** sive **per pais**. Tenebantur vero hæc Comitia quolibet mense. Edward. Sen. lex 11. *Præpositus quisque ad quartam circiter septimanam frequentem populi concionem celebrato, litesque singulas dirimito.* Præter hæc autem Comitia alia fuisse videntur bis in anno post festa Paschatis & Sancti Michaelis a *Vicecomite* convocata; quæ *circuitus Vicecomitum dicebantur.* In quibus tum causæ omnes graviores, tum judicia in minoribus peracta examinabantur, & si opus erat, etiam rescindebantur. Aderantque huic conventui tum **thegnes** tum *Judices Ecclesiastici.* Ante Guil. Primum enim fora Ecclesiastica à secularibus separatim non agebantur, ut sæpius dictum est. Hæc Comitia eadem videntur, quæ hodie **Sheriffs turnes** dicuntur post Ælfredi tempora bis in anno peracta. Hoc tantum libet addere; ex hisce institutis occasionem cepisse Posteros, multa alia instituta & leges condendi. Veluti *de Hutesio & Clamore* (quod statutum de Winchester dicitur) 13. Edw. 1. *De melioratione locorum incultorum*, &c. Ibid c. 46. quale est & illud, quod si quis felonice occisus fuerit per diem, nisi felo captus sit, tota *villata*, vel *Centuria*, vel in quibusdam casibus etiam *Comitatus*, oneretur. Paulatim vero horum institutorum exolevit severitas, sive altera *Danorum* invasione, sive alia inducta consuetudine. Sed Regis Sancti Edwardi tempore manifestum est; *Nobilibus* aliquot indultum fuisse vice *Comitiorum Decennalium* & *Centuriatorum* sua tenere *Curias* sive *Audientias*; quæ prioribus præter umbram, vix aliquam authoritatis speciem, reliquerunt. 5. De *Trihingis* præter ea, quæ in Sancti Edwardi lege 34. vix aliqua occurrunt. Quæ breviter sic se habet. Erant & aliæ potestates super *Wapentachia* quas vocabant Ðꞃiðinᵹaꞅ quæ erant tertia pars Provinciæ; qui vero super eas dominabantur Ðꞃiðinᵹeꞃeꞅaꞅ, ad hos deferebantur causæ, quæ non poterant definiri in Wapentachiis--- Quod autem in Ðꞃiðinᵹe definiri non poterat, ferebatur in *Scyram.* Et verisimile est tam accuratam fuisse Curiarum Friborgarum & Centuriatarum institutionem, ut litibus minori numero emergentibus, Trihingarum Comitia paulatim, utpote non necessaria, obsoleverint. Initio etiam cum de duarum inimicarum nationum in unum imperium coalescentia agebatur, plurimis opus erat Magistratibus, & accurata vigilantia, & severitate; postea vero sopitis discordiis, subditisque in legum obedientiam educatis, nimia erat illa diligentia; & lites pauciores tot magistratus & comitia non postularunt. 6. De *Comitatibus* autem notandum est. Ante Ælfredum *Comites* integram Comitatus sive Provinciæ suæ habuisse potestatem; adeo ut juri dicendo, militiæ ordinandæ, reliquisque imperandi officiis operam unicus Comes cum *Episcopo* daret. Et videntur quidem quasi *Reguli* quidam suis imperitasse, verum a Rege creati, & ab eodem pro arbitrio abjecti vel ulterius promoti. Onus hoc unius impar humeris *Comites* suis delegarunt, quos *Vice-dominos* appellarunt; non *Regis* sed *Comitum* Vicarios & ab iis constitutos. Quæ quanta Regi Regnoque pericula creare poterant satis est manifestum. Rex ergo noster Comitum potestati novos limites & regulas constituit. Et primo quidem in bina officia *Vicedomini* præfecturam distinxit, servato *Comiti* totius Pagi moderamine generali. Adeo ut negotia Provinciæ suæ apud Regem tractaret, ejusque mandata distribueret, exercitibus, classibus, bellorum (si quæ acciderent) summæ præficeretur, majorisque momenti in ipso comitatu negotia cum Episcopo perageret. Sublatis autem *Vicedominis* Rex *Vicecomites* ab ipso immediate dependentes, & *Justitiarios*, ad lites decidendas substituit. *Vicecomitum* officium & potestas satis nota & obvia etiamnum sunt. Justitiarii vero videntur ᵹeꞃefaꞅ, sapientes, & Judices appellari. Eorumque erat non tantum judiciis, litibusque operam dare, sed & Regiorum negotiorum subire curam. Hoc est, ut forisfacturæ omnes, fiscoque vel debita vel quavis ratione accedentia, rite solverentur: (Regiorum namque redituum non exigua pars ex hisce constare videtur) ut omnia secundum Legum & Judiciorum normam à Regibus præscriptam fierent; ut etiam Vicecomites aliique Magistratus officia sua debite præstarent. Ex hac demum institutione Justitiarios nostros itinerantes originem duxisse nullus dubito, ab Henrico 2. Institutos. Ratio ergo judiciorum, quam Rex noviter statuit, hæc erat; Lites omnes & querelæ minores in Decuria inter vicinos, quantum fieri poterat, terminabantur; quæ non poterant, ut & quæ inter diversarum decuriarum incolas acciderant Conventui Centuriato reservabantur

vernacule dicuntur) Centurias autem in Decurias distribuit: eæ vero plus minus denis hominibus constabant; qui, cum in sua decuria Patres-familias essent, sponsione omnes Regi obligati tenebantur, mutuis tum pro se quisque pignoribus, tum pro singulis capitibus, quæ in ea decuria censerentur; ut bene se gererent, seque in judicio, quotiescunque opus erat, sisterent. Neque enim quisquam legum beneficio gaudere dignus habebatur, qui non in aliqua Centuria & in aliqua istius Centuriæ Decuria conscriberetur: Qui vero extra Decuriam omnem, pro peregrino & exlege censeri debuit; adeoque vel ut Regnum ejeraret compelli, vel ad cujuslibet arbitrium capite & fortunis impune spoliari, potuit.

Statuens ut in qualibet Decuria decennarii pro se mutuo singuli sponderent,

20. Si quis ex aliqua Decuria criminis ullius suspectus aut insimulatus viros istius Decuriæ seu Friburgi (nam eo nomine Decuriæ innotescebant) adducere non posset, qui fidem facerent, atque in se reciperent, ipsum in judicio compariturum, causamque publice defensurum, statim in carcerem rapiebatur: Ubi dum de causa cognosceretur, & reus pœnas commeritas pateretur, in salva custodia maneret. Sin fugam faceret, sive prius seu postea quam sponsores interposuisset, neque de fuga retractus in judicio se stitisset, tum Centuria, tum Decuria, ex qua esset, mulctam Regi solvere debebant.

21. Qui vero processus hujus ordo esset, ex Edwardi Confessoris Legibus fusius explicatur. Reum scilicet fugam capessentem Friburgo seu Decuriæ intra tertium diem conquisitum reducendi copia facta est: quod si minus præstitissent, Decurio Binique ex primoribus suæ decuriæ, Terni itidem Principales Decuriones è singulis Decuriarum viciniorum accersiti (viri numero 12.) sancte dejerarent, se ex animo credere, clam ista decuria tum crimen admissum, tum reum profugisse. Quod si vicinæ decuriæ ad hoc ipsum testandum adduci non possent, tum decuria ista, unde is, qui in suspicionem incidens effugerat, pro delicti ratione Regi mulctam pecuniariam, eamque satis magnam, pendere coacta est. Ad quam quidem conficiendam primo rei bona, si quæ haberet, quatenus valerent, capienda erant: Sin ea infra justam summam subsiderent, reliquum communi totius decuriæ tributo conflatum est. Singuli insuper juramento se purgabant, quod nec delicti affines, neque de accusati fuga conscii essent: insuper in se recipiebant reum judicio sistere, si quando in eorum potestatem veniret.

22. Si

tur; quæ vero ibi finem non repererant, ut & quæ inter diversas Centurias, *Trihinga* deferebantur: appellationes demum ab his & negotia totius Comitatus *Comitiis Comitativis*, quæ bis quolibet anno convenerunt, sistebantur. Appellationes etiam ab hisce Comitiis, sicut & controversiæ majores, & quæ vias quatuor publicas, alveos fluviorum majorum, vel diversos Comitatus spectabant Regi in *magnis* suis *Conciliis* dijudicanda proponebantur. Comitiis vero Comitatus sive Scyre-gemote judices erant Episcopus & Comes; quorum alter jura divina, alter humana populum doceret. v. leges Canuti 16, 17, 18. fol. 108. Vide plura in hujus libri Epilogo.

De

22. Si quando contingeret hominem viatorem (sive notum sive ignotum) qui apud aliquem diverteret, in criminis suspicionem incidere, neque accersitum posse in medium produci; statim quæsitum est, quamdiu in illa domo commoratus esset: quod si haud ultra biduum ibi fuisse deprehenderetur, tum patrifamilias licuit suo duorumque vicinorum jurejurando se purgatum dare, quòd nil nocenti conscisset; adeoque culpa immunis habitus esset. Sin tridui moram inibi fecisse compertus esset hospes, tum Dominus illum in potestate habere, & rationem ejus, ceu domestici, reddere teneretur. Unde (quod & istis legibus liquet) originem habuit Saxonicum illud di- *Leges Edwardi Conf. c. 27. de hospit:* verbium. Tƿa niȝht ȝest, ðꞃið niȝht aȝen hine Biduanus hospes, triduanus Famulus.

23. Non licet hic silentio transire, quod quidam sentiant Ælfredum nequaquam fuisse autorem Regni in Comitatus dividendi, sed alium quempiam ante ipsius tempora fecisse contendunt. [a] Ideo autem *(Ostenditur Ælfredum dictæ partitionis fuisse authorem)*

[a] De divisione Regionis hujus in *Comitatus*, an per Ælfredum instituta, multi dubitant. Et Polydorus Vergilius Incolas ipsos hanc primo partitionem instituisse asserit; quam tamen, cum neque quando, neque à quibus, neque quibus rationibus factam indicat; neque à populo fieri quoquo modo posse videatur, tanquam omnino improbabilem præterimus. Cookus Instit. l. 1. fol. 168. dicit à Britannis factam, fretus legis XII. Sancti Edwardi authoritate; *Quod modo vocatur Comitatus, olim apud Britones, temporibus Romanorum in Regno isto Britanniæ, vocabatur Consulatus. Et qui modo vocantur Vicecomites, tunc temporis Viceconsules vocabantur.* Verum hi *Comitatus* erant Comitum officia sive jurisdictiones, non regionis portiones; quales hodie conspiciuntur, nec quales ab Ælfredo constituti. Nam nec ipsa *Wallia*, Britannorum regio & domicilium, nostro modo ante Edwardi tertii tempora, partim non ante Henrici VIII. sed in Venedociam, Demetiam, &c, hoc est, in partes Aquilonares, Meridionales, & Medias; Et hæ rursus in *Cantredas*, quæ Centuriis nostris propiores sunt, distributa est. Huntingdonius & Malmsb. factam dicunt hanc divisionem ab *Egberto*, quam primum totius Angliæ Monarchiam condidit. Sed nec hoc temporum illorum conditio patitur; paucos enim annos regnorum unioni supervixit; eosque furoribus *Danicis*, & *Merciorum* & *Northumbrensium* inquietudine, adeo turbidos; ut nec huic innovationi consensuri videbantur. Neque *Egberti* consiliis, quam minima immutare satagentis, (prout alibi dicitur) satis convenit. Alii denique hanc partitionem ante Ælfredi tempora, sed à quo Rege (forte Ina) omnino incertum, à Rege nostro tamen *Centurias* & *Decurias* factas; & Ingulfum, qui contrarium asseruit, errasse statuunt. Seldenus Tit. honor. p 618. *Dugd. pref.* ad Warwickshire. Licet Seldenus (Jani Anglo § 35.) Ante Ælfredum nullam Regionis partitionem, præterquam in hydas, agnoscere videatur; respiciens forte divisionem illam quam Camdenus se à Domino Tate accepisse refert. Sed hoc omittamus: non aliis argumentis, quam quæ hic apud Authorem occurrunt, scriptores hi hanc divisionem Ælfredo abjudicant. Veruntamen Ingulfi testimonio (f. 595.) *Rex Ælfredus totius Angliæ pagos & provincias in Comitatus primus omnium commutavit; Comitatus in Centurias, id est, Hundredas; & in Decimas, id est in Trithingas* (Tithingas scribendum est) *divisit*, omnino credendum arbitror. Aliqui etiam addunt hanc divisionem tunc factam fuisse cum Gunthero [Godrunno] fædus icerit. Skene. Non quod ante ipsum Ælfredum *Comitatus* omnino non fuerint; fuisse enim satis manifestum est; sed non quales ipse instituit. Non enim erant regionis portiones certis limitibus terminatæ, sed Comitum jurisdictiones, sive territoria iis pro arbitrio Regis subjecta; & nunc quidem majora, nunc minora, pro Regis favore, vel ipsius Comitis merito. Sic in Comitatu hodierno *Lincolniensi* legimus Comites *Lincolniensem, Lindissiensem, Gainorum*: In *Somersettensi* erant Comes *Somertunæ, Selundshire, Triconshire*, quemadmodum etiamnum in Comitatibus *Eboracensi*, & *Northumbrensi* sunt *Hallamshire*, *Richmondshire*, *Hexamshire* & alii. Et proinde pagorum (velut Asserius pagarum) aptissime (ut mihi videtur) nomine insigniebantur partes urbi cuipiam principali (ubi *Comes* residat) viciniores. *Comitatus* igitur tunc temporis *Comitum* solummodo gratia, & ad eos omnino referebantur, & ubi *Comes* non erat, nec erat *Comitatus*. *Episcopi* enim subjecta ditioni *Comiti* non obtemporabant, neque *Comitatuum* appellationem nisi post Ælfredum sortiebantur. Ab Ælfredo autem *Comitatus* non ambulatorii, & pro Regis arbitrio mutabiles, sed tum numero tum limitibus certi: *Comites* vero nunc plures, nunc pauciores, pro Regis arbitrio. *Ethelredum*, Principem suæ militiæ & Generum, totius *Merciæ* constituit Comitem, exacto Regum, etsi feudatariorum, nomine. Eandem sorori suæ *Ethelfledæ* (marito mortuo) (exceptis Londino & Oxonio ditioni regiæ immediate suppositis) integram conservavit *Edwardus Senior*. à cujus filia tamen *Edwina* totam abstulit. *Leofricus* erat comes *Merciorum*, Hoved (f. 251.) & *Herefordiensis*, Malm (f. 44.) *Godwini* filii quot Comitatus habuerint, quotiesque eos mutarint, notius est quam ut explicatu opus habeat.

autem ſententiam minus ſilere convenit, quod rationibus ſpecioſis, verique ſimilibus nitatur. Neque enim tantummodo variæ Regni partes Comitatuum nomine gaudebant, antequam Ælfredus regnaret; verumetiam complures Comitatus in iiſdem Inſulæ partibus, iiſdem nominibus, quibus hodieque innoteſcunt, vulgo appellabantur; veluti Berrockſhire (qui Ager hodie Bercherienſis) Wiltunenſis; aliique ab Aſſerio Menevenſi nominati. Quinetiam Leges Inæ (ante Ælfredum) ſtatuunt, quod ſi quis Senator reo cujuſquam ſceleris fugiendi copiam fecerit, Comitatu ſuo privaretur. Quemadmodum Aſſerius Menevenſis etiam meminit de agris ſeu Comitatibus Cantii, Suſſexiæ, Suthriæ, Thornſettiæ (ſeu Dorſettiæ) Hantoniæ, Somertoniæ, Domnaniæ, Cornubiæ; nec non de Comitibus horum complurium. Unde etiam ante Ælfredum Comites & Comitatus inſtituti fuiſſe videantur. Verum utut hæc argumenta ſe habeant; mihi neutiquam videtur ab ſententia ſcriptoribus pleriſque antiquioribus tradita recedendum. Quæ perhibet Ælfredum primitus hoc Regnum in Comitatus diſtribuiſſe; idque propter inſequentes haſce rationes.

24. Primo, ſententia ea, quæ contrarium ſtatuit, non eſt antiquitatis venerandæ, verum recens, & è prima verborum inſpectione ſubito concepta. Secundo, Etiamſi Comitatus, quos ſupra memoravimus, iidem fuerint ante Ælfredi tempora, qui hodieque videntur, neque tamen inde continuo refellitur Ælfredum univerſæ terræ deſcriptionem inſtituiſſe. Quippe Comitatus ante nominatos non alios eſſe videmus, quam qui, Thameſi ad Auſtrum adjacentes, Weſt-Saxoniæ Regnum antiquitus conſtituerunt; in quo, quamvis id temporis iidem numero Comitatus eſſent, qui hodieque reperiuntur; nihil tamen ex eo conficitur ad parem Regni diviſionem in ea Regione, quæ Thameſis partes Boreales ſpectans, (adeoque longe maxima) nihilominus ab Ælfredo

Ratio vero diviſionis *Ælfrediana* in aliquibus ſatis manifeſta, & quodamodo naturalis, in aliis obſcurior; ſicut inter *Twedam* & *Tinam* Northumbria; inter *Tinam* & *Teiſam* terra ſancto *Cuthberto* data *Dunelmenſem* conſtituit Epiſcopatum, non proprie *Comitatum*, quia Epiſcopo tantum ſubdita. *Cumberlandia* peculiaris erat regio *Straduccenſium*, gentis lingua & moribus Britannæ, & à Saxonibus prorſus alienæ. *Eboracenſis* inter *Teiſam* & *Humbrum*, montibus excelſis, à reliquis diſterminatur: eratque Deiræ regnum. *Cornubia* itidem Britannorum regio flumine *Tamari* à *Devonia* ſeparatur. *Devonia* ante Ælfredum regio videtur particularis, & diſtincta, & Comites habuiſſe viros impigros, Regique quam maxime fideles. *Cantium* erat Regnum. Cætera non perſequor. Siquis quærat, an *Ælfredi* Comitatus iiſdem prorſus limitibus, quibus hodierni, continerentur; nihil certi auſus ſum aſſerere. Apud Huntingtonium *triginta quinque*, in memoriali quodam è vetuſtiori, ut videtur excerpto (in Bibl Cotton-Fauſt E. 5.) Ælfrediani *triginta octo* perhibentur, nec tamen uſpiam (quod ſciam) nominantur: neque ab aliquo Regum noſtrorum mutatio facta legitur. Hodie *quadraginta* ſunt præter Wallicos; quorum aliquos Edw. I. reliquos Henricus VIII conſtituit. A Regibus quidem noſtris ex uno Comitatu partes aliquas in alias traductas videmus; ſive Nobilis cujuſpiam vel Monaſterii gratia, quo nimirum omnes eorum poſſeſſiones ad eundem Comitatum, cui ſedes principalis inerat, ſervitia ſua præſtarent; ſive alia quavis ratione nobis incomperta; ſed quo tempore etiam incertum eſt. Dugdalus in Warwickſhire (p. 481.) antequam Ælfredus Comitatuum partitionem definiverat factum cenſet. Illud manifeſtius, à quibus Regum noſtrorum pleriſque Civitatibus indultum ſit, ut Comitatuum privilegiis gauderent; ſed in his cum nulla ſit limitum alteratio, non opus eſt ulteriori diſquiſitione. Satis jam dictum arbitror ad aſſerendam *Ælfredo* hanc, tam commodam, tam conſultam, tam fere divinam diſtributionem; de qua in Epilogis copioſius dictum eſt.

Osbertus

do primum instituta fuerit. Constat enim certissime à nullo quopiam, qui eum in West-Saxoniæ Regno antecesserat, potuisse fieri: neque vero ullius ex Transthamesinis Comitatibus mentio ante Ælfredi tempora reperitur. Quod enim tunc instrumentis subscripsisse legitur Egga Comes Lincolniæ, & Leucitus Comes Leicesttiæ, hinc tamen non aliud efficitur, quam ipsos fuisse urbi Lincolniæ aut Leicestriæ Præfectos. Cum *Pagæ Lincoln. Leicest.* &c titulus necessario adscribendus erat, si circumjectis districtibus ipsos præfuisse intelligeremus. Neque tamen id inficior, etiam in Borealibus Regni plagis Comites extitisse; qualis fuit Ethelredus *Muchill* seu Magnus, Comes Gainorum, in agro Lincolniensi. Hoc unum affirmo, non tunc fuisse Comites eorum, qui hodie habentur, Comitatuum. Tertio, ut Comitatus plerique omnes, qui ante Ælfredum extitisse perhibentur, nomine tenus hodieque supersint; non tamen eos exinde sequitur, intra eosdem limites, quibus hodie coercentur, constitisse: quin magis Ælfredum, postquam convenis undiquaque accitis terras frequentasset, urbes oppidaque de integro extruxisset, populosque in Centurias atque Decurias distribuisset; quamvis agrorum nonnullis sua prisca relinqueret nomina, finibus tamen vetustis minime obstrictum; sed eos ita digessisse, uti Decuriis atque Centuriis confirmandis maxime expediret. Quarto, ubicunque igitur ante Ælfredum Comites nominantur, haud ita proprie designantur Comitatuum seu Regionum Comites, qui certam quandam juris dicendi potestatem sibi deligatam exercerent; quin potius bellici Duces, qui suorum Comitatuum legionibus præficiebantur; adeoque tam à populis, quam ab regione vocabulum traxerint; veluti Comes *Hantuniensium*, Comes *Merciorum* Comes *Gainorum*, Dux *Dorsetum*, &c. Hi vero potestate, quam ratione armorum tenebant, licentius usi, dum bellicis negotiis intenti Vicariis suis (si modo qui regionibus præfecti tunc nominantur Comitum Vicarii essent) regiones suas regendas permiserunt. Idque jure quodam dominii potius, quam ut ab iis procurationis, ut ut erat gesta, ratio exigeretur. Quorum effrænis libido causam Ælfredo præbuit, ut secum agitaret, qua ratione Remp. melius ordinaret. Neque vero hoc aliter præstari posse arbitrabatur, quam si munus ipsum penitus sustulisset eorum, quos Comites sibi, velut locum-tenentes, vel Pro-Comitibus suffecerant; quique ab impotenti Dominatione Vice-Domini dicti sunt. Cum autem substituisset Comitatus sive *Shiras* (hosque in Centurias, Decuriasque subdivisos) ipsis etiam Comitibus *administros* subordinavit; qui pariter Vice-Comites (vel Shirereves) appellarentur; quorum tamen potestas justis, juris scilicet dicendi, limitibus definiretur. Unde primum orta est tergemina vocabulorum inter se cognatio, Comitum scilicet,

Ingulf. 495. b.

Vice-Comitum, & Comitatuum; adeo ut antiquæ regionis divisiones, quocunque prius nomine insignirentur, genuini Comitatus vim minime referebant; prout Comitatus ab Ælfredo ordinatus hodie sonat. Adeoque Regnum in ejusmodi Comitatus ab ipso primum fuisse divisum recte affirmatur. Quinto denique, quod Hen. Huntingdonus, & Gulielmus Malmsburiensis terram in Comitatus eo tempore distributam asserunt, quo Heptarchia sub West-Saxonum Rege in unum coaluerit; hanc etiam unionem ante septuagesimum, quam Ælfredus nasceretur, annum, contigisse: pace tantorum virorum liquido constabit, hanc coalituram adeo in ipsius Ælfredi tempora incidisse; ut vel ex istis autoribus evincatur, hanc distributionem ad unum Ælfredum Regem necessario referri debere. Siquidem Ælla & Osbertus (quod supra notavimus) gemini illi discordes Reges, in quibus Northumbrorum Regnum defecit, tertio, vel ad summum quarto anno ante mortem Æthelredi, qui Ælfredum proxime antecesserat, occisi sunt. S. vero *Edmundus*, religiosissimus ille, & idem supremus East-Anglorum Rex anno 871. pariter interfectus est; qui annus Æthelredi postremus, Ælfredi vero primus deprehenditur. * Denique Burrhedus Merciorum seu medianorum Anglo-Saxonum Rex ultimus haud ante tertium Ælfredi Regis annum à Danis pulsus est; adeo ut ante id temporis Heptarchia in unius imperium concedere nequaquam potuerit. Quocirca non solum Ingulphus, verum etiam Huntingdonus, & Gulielmus Malmsburiensis, quoad rei summam, Ælfredum primum Comitatus instituisse nobiscum expresse consentiunt: aliique omnes, quantum est scriptorum, qui deinceps hanc rem tractaverunt, iisdem ad unum omnes fidem & suffragia præstiterunt. • 25. Rex

* *Osbertus* & *Ælla* regnum uterque sine jure invasit. Neque *Eadmundus* & *Burrhedus* Imperium hæreditario nacti sunt, sed juste tamen, quia sub Westsaxonum dominio & tutela regnarunt. Neque verisimile est *Egbertum* aut *Æthelwulfum*, filiosve suos seniores, utpote perpetuis Danorum invasionibus agitatos, de hujusmodi divisione vel cogitasse. Neque Authori nostro assentiendum est, si adversus omnium Historicorum testimonia *Egbertum* neget primum fuisse Monarcham. Quod si velit neminem ante *Ælfredum* potestate illa absoluta fuisse gavisum; illud quidem verum est: sed nec ipse *Ælfredus* aut *Edwardus*, sed *Æthelstanus* (si tamen & ille) totam Regionem in manus ditionemque propriam, & non sine gravissimis tum Patris tum sui laboribus assumpsit. *Egbertus* dissidentia regna conjunxit, titulumque Monarchæ justum & legitimum sibi suisque acquisivit. *Æthelwulfus* ampliori potestate fruebatur, dum Merciis pro arbitrio, ut & East-Anglis Regem tribuit. *Ælfredus* Regium Merciorum nomen in Comitem transtulit, jurisdictionemque, prout sibi visum est, coarctavit, Regem Northumbris confirmavit: & ab East-Anglis, Rege quem ipsis dederat, mortuo, fidelitatis juramentum exegit. *Edwardus* subinde rebellantes Danos compescuit, arcibus, urbibusque munitis, quarum ad Eastanglorum limites maximum habuerunt numerum, exuit; &, ut obedientiam sibi revera præstarent, compulit. *Æthelstanus* Northumbros, Cumbros, Scotosque permagnis prælìis coercuit; sed eas gentes in Provincialium formam non redegit, adeoque nec rebellandi ansam præcidit. Sed de *Eadmundo* antiquus Historicus hæc habet in libro, quem de Principatione Mundi appellat. *En cео temps Anlif le fiz Sytrick, & Regnand fiz le Roy Gurmund de Danois fesoient grant mal en Northumbre. Et quant le roy ceo savoit, il fit tost assembler grantost & fort encontre eux, & les venquist en bataille, & puis il fut Roi de Northumbre, que nul Roy de Westsexe conquist devant li. Lan ensuivant le Roi venquist & conquist Cumberland, mes pur ceo que les gens de la terre furent contrarious il comanda à bailla la terre à Malcolm Roi Descoce issint quil fust en aide à li par mer & par terre.* Huntingdonius breviter; *Regnaverunt* Daci *multo tempore in Northumbro, scilicet* Haldene, & Gudfert, & Nigellus, Sidric, & Reginald, & Anlaf. *confuse autem Regnaverunt* Daci, *ita quod modo ibi Rex, modo duo, modo Reguli multi. Postea vero Regi* Edredo *in dominium contigit* [Edmundo scilicet statim post victoriam illam occiso] *& successoribus ejus. Tunc igitur omnino regnum* Nordhumbre *explicit.* f. 205.

* Senatores

Vice-Comites in quolibet Comitatu instituit.

25. Rex igitur, cum cives singulos in Comitatus, Centurias atque Decurias separatim distribuisset; unaque opera flagitiosos investigandi magnam sibi facilitatem comparasset; Comitibus (ut supra significatum) Vice-dominos creandi jure interdixit. Quoniam qui id muneris gerere solebat non solum Comiti privatim in rebus administrandis Vicariam operam exhibebat, verumetiam solus (uti videtur) jus dicendi potestatem, licet ab illo delegatam, sortiebatur. Inque Vice-Domini locum, quatenus publica negotia tractaret, Vice-Comitem (vel Shire-reeve) subrogavit. Qui jam inde ab illa institutione ad hæc usque tempora perstitit; primo seu Comitis Vicarius, deinde vero tanquam ipsius Regis jam proxime Minister. Quinetiam quo major administrandæ justitiæ facultas daretur, præter Vice-Comites per singulos Comitatus, quosdam Justitiarios constituit, quo autem nomine, quave potestate præditos definire in promptu non est. Illud autem conjicere licet eos fuisse, qui *Regii* [a] *Senatores*, & alias Seniores de Comitatu appellati sunt: quos penes etiam supremum judicium resedit in eo conventu, qui eo, quod ex toto Comitatu celebraretur, Scirgemot nuncupatus est. Hue nempe causæ redierunt graviores, quam quæ decidi possent in Conciliabulis uniuscujusque Centuriæ. Quo pacto *Vice-Dominorum* Præfecturam in duo munera diduxit; hoc *Judicis* seu Justitiarii, illud autem *Vice-Comitis*: quorum prius plane Judiciarium, posterius vero maxima ex parte Ministeriale fuisse videtur.

Et actionum formulas

26. Cum hoc modo magistratum ita temperasset, ut justitiæ promovendæ accommodatior videretur; inde progressus expeditam reddidit, uti videtur, judiciorum rationem, qua suum citius quisque, & minori sumptu repeteret. Idque, quo posset minimo cum negotio fieri, sanxit pro subditorum commodo & celeriori judiciorum expeditione, ut *brevia originalia* (quibus nimirum reus ad comparendum & actioni respondendum authoritate regia compelleretur) ne venia quidem à Rege per specialem petitionem obtenta, cuilibet concederentur, veluti ex debito & officio, non vero a judicis gratia. [b]

Mirabili successu

27. Hæc ita instituta, adeo mirabilis & repentina rerum conversio per totum Regnum consecuta est; ut, cum antea nemo nisi armorum præsidio cinctus viam publicam ingredi auderet; extemplo non tantum commeantibus iter tutum pateret; verum etiam omnia ubique loca tam alta pax insedit; ut cum Rex, periculi faciendi gratia, torques

[a] Senatores Ealdormen erant ipsi *Comites*. Vox enim *Earle* non Saxonica sed Danica est. Sed hi, de quibus Author hic loquitur, potius videntur fuisse, quos *Ælfredi* aliorumque Regum leges *Sapientes*, alii *Judices* appellabant.

[b] In legibus Edwardi senioris mentio est Dome-boc sive libri judicialis, quo verisimile est judiciorum formulas fuisse descriptas. Sed & istiusmodi formulas ab Ælfredo stabilitas fuisse manifestum est è libro *le mirroir des Justices* c. 2. § 13. & alibi.

ques aureos inter compita ſuſpendendos curaret, ii quidem viatorem ludibrio habere viſi ſunt; ut quibus nemo manus injicere ſit auſus. Virginibus etiam incomitatis, quo vellent, iter facere ſine periculo licebat. *Horum cura & induſtria* (inquit Ingulphus) *tanta pax in brevi per totam terram effloruit, ut ſi viator quantamcunque ſummam pecuniæ in Campis vel publicis compitis veſpere dimiſiſſet, mane, vel poſt menſem rediens, integram & intactam indubie inveniret.* Egregiæ quidem conſtitutionis effectum prorſus ſtupendum! [a] quodque difficulter alienis credibile, aut tam cito inſequutum, aut eo uſque invaluiſſe. Quis autem dubitare poterat, quin tam accurata populi diſtributio ſub legibus ita ſeveris, & Magiſtratibus ſibi tam pulchre ſubordinatis, emolumentum aliquod prædicto æquale produceret? [b]

Notitiam totius regni ſui condit. 28. Duo vero in hoc Imperio præcipue notanda ab illo celebri inſtituto duxerunt originem. Primum erat Regni Notitia illa præclara à Gulielmo Victore deſcripta, de qua libellus habetur hodieque **Domes-day-book** vocabulo inſignis, cujus occaſio fuerat hujuſmodi. Cum Ælfredus Cenſum, quem retulimus, egiſſet, eum in tabulas relatum, penes ſe Wintoniæ, ubi tunc temporis Curia frequentiſſime agebat, aſſervari juſſit. Unde primo etiam nomine appellatus *Liber* ſeu *Codex Wintonienſis*: qui, cum in ipſo Victoris adventu extaret, non tantum ei par opus aggrediendi occaſionem, ſed & materiam, præbuit; in tantum ut deſcriptio illa, quam Victor fecerit, nihil amplius eſſet, quam ejuſdem operis editio quidem altera, ſed auctior & locupletior. Quippe revera liber unus atque idem erat cum illo altero Ælfredi

[a] Tale quidpiam de Frothone magno Danorum Rege narrat Saxo Gram. l. 5.

[b] Succeſſus ille pacisque ſtabilimentum non tam legum bonitati quam regis ſtupendæ diligentiæ deberi videntur. Facta enim Miniſtrorum ſuorum & præcipue Judicum diligentiſſime inveſtigavit; adeo ut quos ex malitia, odio, aut avaritia perperam judicaſſe comperit, ſeveriſſime punivit; quos ex ignorantia, ab officiis remnvit. *Judiciorum à ſuis hominibus factorum diligens inquiſitor, perperam actorum acerrimus corrector.* Malms. *Tædioſus examinandæ veritatis in judiciis arbiter: & hoc maxime propter pauperum curam, quibus die noctuque inter cætera præſentis vitæ debita mirabiliter incumbebat, qui in toto Regno præter illum ſolum nullos aut pauciſſimos habuerunt adjutores.* Aſſer. & rurſus. *Erat in exequendis judiciis, ſicut in cæteris omnibus aliis rebus, diſcretiſſimus, etiam & acerrimus, indagator. Nam omnia pene totius ſuæ regionis judicia, quæ in abſentia ſua fiebant, ſagaciter inveſtigabat.* [Quod & præſtitit Regum noſtrorum exemplar Carolus primus, cui Judices ex itineribus ſuis redeuntes rationem ſemper judiciorum ab ipſis factorum reddebant.] *Si aliquam in judiciis iniquitatem intelligere poſſet; Judices ad ſe vocatos leniter interrogavit, utrum tam prave judicaſſent per ignorantiam, aut aliam quamlibet malevolentiam. Diſcrete & moderanter ipſos arguebat,* &c. Et extat apud Harpsfeildium orationis ſumma, quam Rex in Synodo Londinenſi ad eos habuit, qui dignitate aut magiſtratu aliquo fungerentur. Qua multorum inſcitiam graviter increpuit, & temerariam eorum audaciam coarguit, qui cum idonea ad functiones ſuas obeundas cognitione deſtituerentur, & tantorum magiſtratuum adulteratam, & ad ſpeciem ſolummodo, perſonam gererent, illos uſurpare auderent, *&c.* Quæ ejus oratio, inquit, magnum omnibus omnium ordinum hominibus, qui ſuæ inſcientiæ conſcientiam habebant, metum incuſſit; coegitque, ut omne, quod à negotiis neceſſariis ſupererat, tempus ſapientiæ & ſcientiæ ſtudio augendo tribuerent, Ne dignitatibus exuerentur. Quod ſi malevole, hoc eſt, vel odio vel favore alicujus, vel pecuniæ cupiditate eos judicaſſe reperit, ſeveriſſime & fere è lege talionis vindicabat: prout conſtat è libro *miroir des juſtices* cap. 2°. alibique, tempore Regis Edwardi 1. ſcripto. Quando, uti videtur, ipſius Ælfredi tum libri proprii (nam & ipſemet contra Judices iniquos volumen ſcripſit. v. l. 3. § 88.) tum actorum & judicatorum ſuorum Commentarii extabant. Veniam dabit candidus Lector, ſi e cap. 5. iſtius libri plura tranſcripſero, quibus & de Regis juſtitia, & de legum tunc temporis ratione & progreſſu melius judicetur.

Ælfredus

Le Roy Alfred fist pendre 44. Justices en un An, tant come homicides, par lour faux Judgments.

1. Il pendist Darling pur ceo que il avoit Judge Sidulf a la mort pur la retreit de Edulf son fits, que puis s' acquita del fait principal.

2. Il pendist Segnac, que avoit Judge Ulfe, a la mort apres sufficiant acquitance.

3. Il pendist Cadwine pur ceo que il Judgeast Hachwy a la mort sans le Assent des toutes les Jurors, en Cas ou il soy estoict mise en le Juree de xii. homes, & pur ceo que les trois, le voilent salver encontre les neuf ey remova Cadwin les trois autres en queux cest Hachwy ne se mist nient.

4. Il pendist Loel pur ceo que il Judgea Ive a la mort quant fuit arrage.

6. Il pendist Athulf pur ceo que il fit pendre Copping avant le Age de xxi Ans

7. Il pendist Markes pur ceo que il Jugeast During a la mort per xii. nient Jurees.

8. Il pendist Oilline pur ceo que il Jugea Seaman a la mort per vicious garrant founde sur faux suggestion que suppose celly Seaman esser lun person pre le garrant eius ceo que il p' estat.

9. Il pendist Billing pur ceo que il Jugeast Leston a la mort per fraud en cesse maniere. Il dit al people sees touts Jus forsque cestuy que occist le home, & pur ceo que Leston ne s' assist my ovesque les autres il commaunda de mesme pendre, & dit que assest assets, la convist quant il ne soy assist.

10. Il pendist Seafoule pur ceo que il Judgea Ording a la mort come non respondus.

11. Il pendist Thurston pur ceo que il Jugea Thurgnec a la mort per verdict de enquest, prise de office sans sa mise.

12. Il pendist Athelston pur ceo que il Jugea Herbert a la mort pur peche mortel.

13. Il pendist Rombold, pur ceo que il Jugea Leschild a la mort, en cas nient notoire sans Appeale, & sans enditement.

14. Il pendist Rolfe pur ceo que il Judgeast Dunston a la morte pur escape de prison.

15. Il pendist Freberne pur ceo que il Judgea Harpin a la mort ou les Jurors furent en doutes de lour verdit, car en doutes doit lun ains ceo, salver que damner.

16. Il pendist Seabright que Judgea Athebbrus a la mort pur ceo que il fausa mie une si en faux Judgment mortelle.

17. Il pendist Hale, pur ceo que il salva Tristram le Visconnt de la mort que avoit prise al oeps le Roy, de si come de enterprise de le auter contra son gree, & Robbery n'ad nul difference.

18. Il pendist Arnold pur ceo que il salva Bailiffs, que robberont le gent per Colour de distresses doune ascuns per Naams aliens, & ascun per extortion de fines, de si come pernent extortion de fine, de torcenous Naam relesser, & Robbery; n'ad nul difference.

19. Il pendist Erkinwald, pur ceo que il pendist Frankling, pur nul autre desert, mes pur ceo que il enseigna a celuy que luy vanquishe per battaile mortelle a dire que la Mott de Cravaunt.

20. Il pendist Bermond pur ceo que il fist couper l cest Garbolt per son Judgment en Angliterre per tant que il fuist Utlage en Ireland.

21. Il pendist Alkman pur ceo que il salva Cateman, per colour de disseisin que fuit attainte de Hamsockne,

Ælfredus Rex, inquit, unius anni spatio quadraginta quatuor Judices tanquam homicidas morte mulctavit, eo quod falso judicio de vitis subditorum suorum decrevissent.

1. Darlingum suspendit, qui morti adjudicavit Sidulfum, eo quod Edulfua filius ejus aufugisset, ubi reversus se à crimine liberavit.

2. Segnarem pariter, quia Ulfum condemnasset post sufficientem purgationem.

3. Cadwinum, qui Hackwyum damnavit sine consensu omnium Juratorum; hic enim cum se xii- Virorum judicio submisisset, illorumque tres absolvissent, à Cadwino tres alios, qui ipsum reum pronunciarunt, substituente, damnatus est.

4. Loelum, qui Ivonem morti adjudicavit cum esset insanus.

6. Athulfum, qui Coppingum damnavit antequam legitimum ætatis, xxi. sc. annorum, tempus attigisset.

7. Markesium, qui Duringum condemnavit suffragio xii. virorum non juratorum.

8. Oitlinum, quia Seamanum damnavit, cum alius esset ab eo qui in citatione nominaretur.

9. Billingum, qui Lestonum dolo circumventum damnavit, populo enim astanti dixit; sedete vos omnes, præter eum qui N. occidit. Lestonum non sedentem quasi homicidii reum Damnavit.

10. Scafoulum, qui Ordingum judicavit, quia accusationi non respondebat.

11. Thurstonum, quia Thurguerum damnavit ex sententia juratorum ex officio capta, cum ipse iis non se submisisset.

12. Athelstonum, quia Herebertum damnavit criminis non capitalis reum.

13. Romboldum, quia Lischildum damnavit ob crimen non manifestum, sine appellatione, & sine libello accusatorio.

14. Rolfum, qui Dunstonum judicavit, quia è custodia aufugerat.

15. Frebernum, qui Harpinum judicavit cum xii. viri de suffragio ferendo ambigerent, in dubiis enim salvare potius quam damnare oportet.

16. Seabrightum, qui Athebrum adjudicavit morti, eo quod quendam falso judicio condemnasset.

17. Halum, qui Tristramo Vicecomiti pepercit, qui ad usum regis bona cuidam contra voluntatem eripuit. Latrocinium enim & bonorum invito domino direptio minimum differunt.

18. Arnoldum, quia Boylissum absolvit, qui prætextu pro pignoribus distringendi plebem expilavit. Aliquando enim quæ distrinxit, vendidit; aliquando mulctas extorsit.

19. Erkinwaldum, qui Franklin suspendit, quia victum in duello mortali docuit proferre verbum Craven.

20. Bermondum, quia Garboltum damnavit in Anglia pro crimine, cujus gratia exlex factus est in Hibernia.

21. Alkmannum, quia Cateman absolvit burglariæ accusatum sub prætextu disseisinæ.

22. Il

22. Il pendist Saxmond pur ceo que il pendist Barrold en Angliterre on le breve le Roy court pur fait que il fist en mesme la terre, ou le breve le Roy ne Court mye.

23. Il pendist Alflet pur ceo que il Jugeast un Clerk a lo mort, de que il ne poit aver Cognisans.

24. Il pendist Piron que avoit adjudge Hunting a lo mort pur ceo que il fist fornier le Judgement avant le quarrantisme Jour pendaunt l' appele per breve de faux Judgment devant le Roy.

25. Il pendist Diling pur ceo que il fist pendre Eldons qui occist une home per mischeance.

26. Il pendist Osuin pur ceo que il adjudgea Fulcher a la mort, hors de Consistorie.

28. Il pendist Horne pur ceo que il pendist Simin, per Jours defendue.

29. Il pendist Wolmer pur ceo que il Judgea Graunte a la mort per colour de Larceny de chose que il avoit resceve per title de baile.

30. Il pendist Therberne pur ceo que il jugea Osgot a la mort pur fait dount il estoit avant acquite vers mesme l'actor, le quel acquitance il tendist de averror per jurée, & pur ceo que il ne voloit averrer per Record, ne voloit Therberne allower le acquitance, que il tendist.

31. Il pendist Wolston pur ceo que il avoit Jugea Hubert al a mort a la suite le Roy pur fait que Hubert conus, & dount le Roy luy avoit pardon so suite, mes il ent avoit nul Chartre de quel pardon nequidant il voucha le Roy a garrant & oustre ceo de tendre de averrer per le enrollment de la Chauncery.

32. Il pendist Oskitel pur ceo que il judgea Cutlinge a la mort per Record de Coroner ou per Replication allowable ne lui tient lieu. Et fuit le Case tiel, Cutling fuit prise & paine tant que il conust d' aver peche mortelment, & ceo pur ester quite de sa paine. *Et* Oskitel luy Judger a la mort pur sa Confession que il avoit fait al Coroner sans triet la veritie de la paine, el del fait, & oustre ceo fist prendre Coroners & Ministres Accessories que prendent la gents, & touts ceux que puissent le faux judgment aver disturbe & ne les disturberent en toutes points ou les justices fueront pendues; Car il pendust tresstouts les judges que il poiet attaindre que avoient faussement salve home Culpable de la morte ou faussement pend gents contre droit, ou a ascun reasonable exception.

33. Il pendist les suitors Calevot, pur ceo que ils avient Judge un home a la mort en Casé nient notoire, tout ent fait il culpable, car ceux ne poient Judger null le Realme forsque le Roy ou ses Comissaires forsprise ceux Seigniours en que fiens les breves le Roy ne courrent nient.

34. Il pendist les suitors d' Dorcester pur ceo que ils Judgerent un home a lo mort per Jurors de lour franchise pur felony que il fist en le forrein, & dount ils ne puissent conustre pur la forraince.

35. Il pendist les suitors d' Cirencestre pur ceo que ils retiendront tant un home en prison que se voiloit acquitee per forreins, on il dust aver peche felonousement tanque il morust en Prison.

36. *En* son temps perdorent les Suitors de Doncastre lour Jurisdiction oustre le autre paine pur ceo que ils tendront plea defendue per les usages del Realme aux Judges Ordinaries suitors, a tenir.

Il Judgea Sithing a lo Prison pur ceo que il Imprison Herbole pur lo peche sa feme.

D' autre part fist il Couper le poigne Haulf pur ceo que il salva Armock la poigne que fuit attaint devant luy que il avoit coupa le poigne Richbold felonousement.

22. Saxmondum, quia Barroldum suspendit in Angliæ loco ubi breve Regis Currit, pro crimine in loco, ubi breve Regis non currit, perpetrato.

23. Alfietum, quia damnavit quendam Clericum, de quo cognoscendi jus non habuit.

24. Pironem, qui Huntingum damnavit, quia sententiam dedit ante quadraginta dies completos, pendente coram Rege appellatione.

25. Dilingum, quia Eldonum damnavit, qui hominem casu occidisset.

26. Osuinum, quia Fulcherium extra forum damnavit.

28. Hornum, quia Siminum suspendit in die prohibito.

29. Wolmerum, qui Grauntum damnavit sub prætextu burglariatus, cum rem accepisset pro pignore.

30. Therbernum, quia Osgotum damnavit pro crimine cujus absolutionem adversus eundem accusatorem accepisset; quum tamen absolutiooem non poterat scripto antheotico, sed testibus tantum probare, damnatus est.

31. Wolstonum, quia Haubertum Regis nomine accusatum damnavit pro crimine cui veniam antea à Rege obtinuerat: Sed quia perdonam regia charta confirmatam ooo habuit, etiamsi Regis ipsius testimonio se stare promiserit, & Cancellariæ in rotulationem produxerit, damnatus est.

32. Oskitellum, quia Cutlingum damnavit è Coronatoris (cædium quæsitoris) commentariis. Casus autem is erat. Cutlingus prehensus & à Coronatore quæstioni acerrime admotus se crimen capitale commisisse fatebatur, ut à dolore liberaretur. Oskitellus vero ipsum sine ulteriori cognitione damnavit. Et quidem ipsos Coronatores, aliosque Officiarios suos, qui plebem vel male tractabant, vel morti adjudicabant, ipse pari ratione damnavit. Sicut & eos, qui falsum judicium (cum poterant) non impediverunt.

33. Sectatores (quorum officium videat lector curiosus in Skenæi interpretationibus verbo Sok) de Calevot morte molctavit, quia hominem morti adjudicarunt pro crimine non satis probato.

34. Sectatores itidem Dorcestriæ, quia hominem morti adjudicarunt pro crimine extra eorum libertates sive territoria commisso, & cujus cognitio jure iis oon competebat.

35. Sectatores Cirencestriæ, quia quendam in carcere continueruot donec ibi moreretur, neque sese defendendi copiam ipsi concesserunt.

36. A Sectatoribus Doncastriæ jurisdictionem abstulit, quia placita ipsis prohibita tenuissent.

Sithingum carceri addixit, quia Herbolum pro uxoris suæ crimine iocarcerasset.

Manum Haulfo abscidit, quia Armocci manui, qui Richboldum felonice vulneraverat, pepercisset.

fredi Censuali. Unde etiam Codex Wintoniensis pariter appellatus est. Postea vero sive corruptela quadam tituli, qui forte Dome-boc primitus fuerit (quo nomine Saxones omnes omnino rei judiciariæ Commentarios appellarunt) seu potius allusione ad diem judicii universalem facta (quia sc. summæ esset autoritatis, &c, qua regnum pateret, receptus) illud certe nomen traxerit, (quod hodieque obtinet) à districto supremi judicii & examinis rigore Domes-day-boc dictus.

Conventus itidem (sive comitia) comitativos, Centuriatos, & decuriales.

29. Alterum hujus distributionis commodum erat Conventuum sive Comitiorum *Centuriatorum*, *Comitativorum* institutio; nec non & *Decuriatorum*, quæ per singulos pagos, *Curiæ Letæ* postea vocabantur. Quarum non modo legitimum exercitium in desuetudinem abiit, sed & accurata scientia, quo jure fuerint, jampridem nobis excidit.

Recognitionem insuper fidejussorum de pace tuenda,

30. Visus enim Franci-Plegii (qui à nobis *Leta* dicitur, quique in Comitiis Centuriatis fiebat) jus quoddam est, quod nulli, præter unum Regem, proprie competit. Subditis vero, neque per præscriptionem, neque literas patentes amplius licere potest; quam ut certis in locis, regio nomine, pacis fidejussores per cognitorem ab ipsis designatum recognoscere possint. Et per eundem libellos accusatorios

circa

Il Judgea Edulf de esser playe per ceo que il navoit my judge Arnold a player ou attaint fuit devaunt luy que il avoit feloniousment play Aldens & come ne poit accorder.

En meindres peches ne fist il my del tout ex tiels Judgements eins disherita les Justices & les auters tist, selonque les points de ceux estatutes en toutes points ou ils les puissoit attaindre que ils avoient passe les points, ou les mettes de lour delegacie, ou de lour Comission, ou avoient consumes ou fines ou de auter Chose que appenduist al Roy ou avoyent reteste peine ou encrue oustre le droit, ou procurie de encreaser ou plede sans garrant, ou en la propertie per garrant de breve ou de plaint de la possession, ou le reverse, ou en la venial action per mots de felony, ou le Reverse, ou avoient dee a nul partie transcripe de son plea ala journe ou ascuns des parties torteousement de la greve, ou autre tort fait in disabowance de reasonable exception de parties ou de Judgment.

En son temps puissoit chescun plantifs aver Commission & breve a son Viscount al seignour del fee, ou a certaine Justices assignes sur chescun tort.

En son temps se hasta droit de Jour en Jour, issint que ouster xv. Jours nestoit nul defaut ne nul essoigne adjournable.

En son temps puissoient les parties emporter les parties de lour pleas south le Seale les judges, ou des parties adversaires.

En son temps soloient les judges prendre de chescun actor xii. a la forme.

En son temps recoverent plantifs nemy solament dammages des issues, des possessions & des fiens, eins recoverent Custages, quant aux blemishments, desaisines, & quant que lun poit loialment tarer que lun estoit meins puissant per lencheson de tiel fait.

Edulfum vulnerari mandavit, eo quod Arnoldo vulnus non inflixisset, qui Eldenum vulnerasse convictus est.

Ut plurimas ejuscemodi narrationes (quæ apud Authorem ipsum legi possunt) omittam; paucis reliqua comprehendam. In delictis minoribus judicia ipsa non rescidit, sed ipsos justitiarios pro criminis gravitate & legis sanctione punivit, vel exhæredatione scilicet, vel officii judicis deprivatione, ubi jurisdictionis, potestatis, delegationis, vel commissionis suæ limites fuissent transgressi; ubi mulctas pecuniarias, aliudve fisco regio debitum in usus alios intervertissent; ubi pœnas à legibus statutas vel in majores vel minores mutassent; vel ubi actiones perperam quovis modo instituissent; sive absque debita citatione, vel formulis & terminis ad ipsam causam pertinentibus, aut debitarum exceptionum negatione, vel similibus.

Ordinavit insuper ut unusquisque petitor absque dilatione habere poterat commissionem vel breve ad Vicecomitem, Dominum feodi, vel certos judices pro quacunque injuria sibi facta.

Maturari etiam jussit judicia; adeo ut ultra 15. dies nulla excusatio vel essonium admitteretur.

Actori etiam licuit actionem suam sive placitum sigillo Judicis vel Adversariorum munitam secum auferre.

Nulla erat brevium dilatio. Judices autem xii. denarios solummodo à petitore in die judicii capiebant.

Petitori etiam concessa sunt, non solum damna proficuum è possessionibus exeuntium; verum etiam sumptus: qui etiam plene, quantum scilicet per legem poterant, taxabantur.

A a Videtur

circa delicta, quæ sub fori istius cognitionem cadunt, ab iis patribusfamilias accipere, quos ad ea deferenda juramento prius adegerint: eorumque pœnas atque mulctas suis quidem usibus reservare; dum ipsa curia penes unum Regem adhuc remaneat.

Sive visum Franci-Plegii.

31. Etenim hoc institutum *de viso Franci-Plegii*, quo viri locupletes pro se ac suis mutuo caverent, antiquitus (uti videre est in *Edwardi* Confessoris Legibus ab ipso Victore confirmatis) maximum publicæ pacis pignus & Regni firmamentum habebatur. Et certe illud erat, in quo solo constabat integra publicorum judiciorum administratio circa delicta quæque leviora; qualia de vi, de damno, de injuriis & reliqua morum censura, quæ tum in hoc Regno agebantur. Harum autem causarum judex idoneus fuit *Vice-Comes*, qui in *Conventibus Centuriatis* jus dicebat. Cum enim Maneriorum Domini, quo clientium ocio magis consulerent, quoque ampliorem *Conventibus decuriatis* auctoritatem conciliarent, hanc sibi immunitatem redemissent; ut quæ prius in *Centuriatis Conventibus* disceptari solita essent, domi apud se in suis quisque maneriis definiret: hoc pacto quantum potestatis sibi privatim adjecerunt, tantum authoritatis publico detractum est. Ita demum, cum ista ipsa *Maneria* alienatione, forisfactura, partitione, manumissione, consuetudinibus particularibus subinductis, aut alia re quapiam hujusmodi passim dilaniata mutilarentur; alia dimidiata restarent; nonnulla penitus abolerentur, etiam factum est, ut *decuriata* hæc conciliabula minus frequentarentur; & jurisdictio illa magnam partem superioribus tribunalibus posterius subortis translata fuerit, Judicibus scilicet Regiis semestres Conventus obeuntibus, aut Justitiariis in Consessu menstruo. Quo pacto *Curiæ*, quas dicimus *Letas*, vix amplius hodie quam pristinæ potestatis umbram sustineant.

Plurimaque commoda ex hisce institutis, maxime vero Comitiorum decurialium & Letarum, percipit.

32. Nemo igitur nos hic speret hujus instituti primævam rationem inituros; neque vero, id si facere possimus, hujus esset loci. Quo facilius autem ejus præstantiam dijudicemus; observare licet, quod si veteri moris vigor ad priscam normam adhuc perseverasset, multis rationibus vel in hunc usque diem Reipub non inutilis futurus foret. Pauca in medium producam. Quot lites & molestiæ oppidorum vicinorum incolis indies creantur, dum disceptatur utris attribui debeat pauperum & indigentium sustentatio? cum enim unaquæque Parœcia suis pauperibus providere teneantur, onus hoc in vicinorum humeros quoquo modo conferre satagunt. Gravibus item querelis occasionem passim præbet famulorum contumacia; qui pro ea licentia, quam hodie sibi assumunt ad arbitrium heros commutandi, nusquam consistere, neque omnino in famulitium se dare dignantur, nisi iis planetum operis, tum mercedis conditionibus; quæ, ut Dominis ini-

quæ

quæ habentur, ita Justitiariis circa modum ei rei statuendum toto regno negotium facessunt. Huc accedit ingens erronum & mendicabulorum colluvies, quæ magis indies magisque exæstuat. Præter alia complurima hujusmodi incommoda, quibus omnibus magna ex parte subventum fuisset, lege fidejussionis circa pacem diligenter observata. Cum enim nemini liceret, *Decuriæ*, cui accensus esset, se eximere, nisi potestate, & literis insuper dimissoriis ab *Decurione* proprio prius impetratis; neque vero alteri cuipiam *Decuriæ* se ingerere, quæ non scrupulose in illins advenæ mores inquireret, quem in eorum classem recipere, cujusque facta qualiacunque postmodum subire debebant: omnibus illis incommodis, quæ necessario consequuntur licentiam huc illuc facile commigrandi, citra omnem controversiam occurri oportuit. Super hæc, quod suspectis hominibus acriter invigilatum est; & quod vel levissimæ culpæ, quæ in vicini necessitudinem aut etiam bonos mores admitteretur, in istis Curiis celerrima vindicta exigebatur; eo ipso factum est, ut pravorum hominum vel cupiditatibus obviam iretur, ne forte in facinus aliquod publice noxium aliquando prorumperent.

33. Verum ut multa ad enervandum atque corrumpendum hujus disciplinæ rigorem conspiraverunt, ita neque illud diffitendum, quin inter reliquas causas, numerosa populi abundantis soboles huc imprimis fecerit. Quod plane arduum sit Civitatem adultam, & frequentia plebis luxuriantem, arctis terminis circumscribi, & ad pacis fidejussionem rite observandam cogi. Quæ quidem cum Reipub. nascenti tum facilius tum magis necessario præscribantur, in Coloniis ordinandis nullum omnino possit excogitari salubrius institutum; quam quod ad parem quandam rationem plebis in hunc modum decuriandæ recte conformetur. Ut igitur historiæ filum resumam.

Quæ quidem instituta novis Coloniis accommodatissima videntur.

34. Cum Rex iis incommodis, quæ tunc ipsum urgebant, opem hoc modo tulisset, adhuc tamen restabat negotium, in præsentia quidem, reliquis omnibus longe difficilius. Quamvis enim leges condidisset, resque suas adeo prudenter ordinasset, ut parendi necessitas subditis imponeretur; adhuc tamen deerant juris administri idonei, qui causas cognoscerent, quique eas ex legum suarum dictamine deciderent. Huic autem malo subvenire non erat in promptu: Siquidem neque, quos habebat, cives derepente prudentes reddere, neque peritiores aliunde ad se arcessere, poterat. Difficultatem vero supra modum augebat, quod cum virorum jurisconsultorum, in tanta penuria tam magnus tamen numerus manifesto requireretur; is tamen ordo justitiæ institutus est; ut ea per Comitis Vicarios (*Vice-Comites*,) atque *Decuriones* in ipsis *Comitatibus*, *Centuriis* atque *Decu-*

De ministris idoneis prospicit, qui

riis, quibus commorabantur, necessario esset administranda. Utcunque vero modica disciplina ad *Decurionem* instruendum sufficeret; neque tamen hi, neque *Vice-Comites*, aut *Justitiarii*, imo ne *Comites* quidem ipsi, eâ tum eruditione pollebant, quæ muneri obeundo satis idoneos redderet. Quippe cum prius (quod idem, tempore interjecto, postea per aliquot sæcula rursus contigit) jurisprudentiam præcipui *Comites* & viri summates coluerunt; hique legum interpretes, & in suo quisque *Comitatu* ad jus dicendum supremi arbitri adhibebantur; barbara armorum rabies, jam omnia eousque turbaverat, ut misso legum studio, quasi non jam amplius ex jure manum consertuti, id unum agebant, uti a se suisque vim vi prohiberent. Adeo ut cùm hi ab ineunti ætate à literis & ingenuis artibus abhorruissent; plebs autem vicissim in barbariem prolapsa, neque magnam opinionem de Judicum prudentia conciperet; raro admodum ulli sententiæ ab ipsis prolatæ (sive justæ sive injustæ) acquiescere voluerit; donec ab ipso Rege denuo recognita rata haberetur. Unde contigit, ut pleraque omnia totius Regni judicia ad unum Regem, quasi provocatione facta, ab ipso discutienda venirent.

35. Quam omnino contra rationem reliquæ Principis solicitudini hoc adjiceretur onus, unicuique rem paulo attentius consideranti confestim liquebit. Rex autem, ea, qua flagrabat in patriam, immensa charitate, & plebis miseratione, sua ipsius molestia plane posthabita (ratus se tanto magis necessarium quanto plus ejus auxilium imploraretur) cum incredibili labore, & animi fortitudine judicia ea omnia, de quibus appellatus erat, quotidie recognovit. Cumque re probe dijudicata, parti utrique æquitatem suam probasset; tum, ut res tulit, ita graviter egit cum *Comitibus* aut *Justitiariis* de sententia perperam lata, ut una medelam inveniret; & non tantum ubi corruptelam deprehendisset, verum etiam ubi per imprudentiam ex legum inscitia erratum est. Etenim quamvis ignorantiæ venia possit aliquatenus dari; instabat tamen Rex, non oportuisse ad *Comitatum* seu *Præfecturam*, cui jurisdictio conjuncta esset, aspirare, nisi prius animos ad id munus recte obeundum diligenter instruxissent. Porro monebat, ut vel operam studiis eam adhiberent, quæ Provinciæ administrandæ sufficeret; vel magistratu, cujus oneri ferendo essent omnino impares, sese abdicarent. Præfecturas autem vacuas quod attinet, plane recusavit quenquam in illas subrogare, qui non officii fungendi aliquali saltem facultate jam tum præditus esset; majoresque imposterum progressus faciendi spem præberet.

Officio suo fungendo acriter insistunt.

36. Arduum sane, quod magistratui tunc temporis imponebatur. Verum ea Regis jubentis autoritas; eumque exitum ejusdem jussa sortita sunt, ut *Comites* & *Justitiarii*, & in unoquoque Comitatu viri primarii,

primarii, potius quam periculum abrogationis Magiſtratuum incurrerent, juri addiſcendo naviter incubuerint, . Rex interim permiſit aliquibus (modo ex numero Comitum ætate provectiorum) ut cognato vel Aſſeſſore quopiam ſibi adjuncto uterentur ; quem in eum finem alerent, ut ejuſdem opera in juris ſcientia plenius inſtituerentur. Ita brevi conſequuta eſt adeo mirabilis in Repub. ſtudiorum converſio, ac ſi civitatem ex Caſtris in Collegium juris ſtudioſorum ſubito circumactam crederes. Eaque ratione juſtitiæ adminiſtratio corrigebatur citius, quam quiſquam tantillo temporis ſpatio unquam potuiſse fieri arbitraretur.

Et de viris doctis & piis; qui

37. Neque vero quicquid hactenus providerit Rex atque conſuluerit de repub. ordinanda, quodque tam aſſiduis laboribus ipſe proſequutus ſit, adeo ſufficere ipſi viſum eſt ; ut aut animum præclara molientem ab inſtituto opere revocaret, aut ſibi perſuaderet patriæ ad mores penitus emendandos ſatis operæ adhuc datum. Quapropter ſecum reputans, quam parum ſtabilis eſset morum illa reformatio, quæ metu tantum ſupplicii aut vi ſubniteretur ; omnem eo cogitationem intendit, ut rationem aliquam exquirere poſset ; quæ depravatos gentis animos interius ſanaret ; & à fœdis cupiditatibus avide inſectandis abſtraheret. Quando autem hoc aliter effici non poſset, quam diſciplina, & infuſione præceptorum tum divinorum, tum moralium ; quibus fieret ſcilicet ut ſibimetipſis legiſlatores evaderent, & ipſo Religionis ſenſu ab iis, quæ mala ſunt, abſtinerent ; deſuere tanti operis adminiſtri, Doctores & verbi divini interpretes, qui cum aſſiduis laboribus eos inſtituendi, hortandi & admonendi, tandem in viam virtutis aliquando traducerent.

Verbo tam ſcriptis maxime rythmicis & parabolis populum inſtruerent.

38. Utcunque ſe res haberet, Rex, cum ſemel in animum induxiſſet, quam factu neceſsaria hæc res eſset, nulla operis difficultate, neque facultatum inopia, adeo ab ea deterreri potuit, ut ſtudium & ſpes bene de civibus ſuis merendi eum non multo magis ad exequenda conata incitaverint. In methodum tandem incidit, per quam Deo omnipotenti in priſcis mundi ſæculis, ſenſa ſublimiora de religione ſcilicet, juſtitia, humanitate, & gloria rudibus adhuc populorum animis infundere placuit. Et hoc quidem fieri non potuit ſcribendo, Barbari enim legere non potuerunt ; neque adeo prædicando, Gens enim levis & in audiendo pervicax. Sed ingenia quædam divina ultra communem ſortem ſcientia divinitus Inſtructa in ænigmatibus, in Apologis, in Cantilenis, in adagiis & ſimilibus populi moribus & genio accommodatis, tam vivis coloribus depinxerunt, tum vitiorum tunc temporis graſſantium turpitudinem, tum virtutum iis oppoſitarum venuſtatem & gratiam ; ut, dum agreſtes, barbarique auditores dicta, quorum lepore delinirentur, retinerent, iiſque inter ſe

mutuo applauderent; veritati paulatim, quæ in iis continebatur, assensum præbuerint; & ad extremum non minus doctrinæ eo modo propositæ manus dederint, quam sententiarum acumine antea delectati fuissent.

39. Hinc accidit, ut olim inter Ethnicos rerumpub. conditores, dum, qui asperas leges tulerint infamiæ notam adeo meruerint, ut eo nomine fingerentur apud Inferos judices facti, neque tamen eo magis præclari quidpiam ad emendandos civium animos ab iis fuisse profectum memoretur: alii contra, quales *Jupiter*, *Bacchus*, *Hercules*, *Orpheus*, *Amphion*, *Arion*, aliique permulti, magna plerumque nominis celebritate æternum floruerint; eo quod instituta mitiora fæliciter secuti, civitatum suarum mores prudenti hoc consilio in melius commutaverint. Unde etiam in fabulis dicebantur eorum quidam cœtus hominum integros catenis ab eorum lingua ad populi aures pertinentibus constrictos tenere; alii modorum dulcedine non modo feras in sui sequelam trahere, sed etiam nemora, scopulosque adeo mulcere; ut surdas etiam arbores lapidesque obedientes haberent. Quod egregie poeta.

Horat. Arte Poet. *Sylvestres Homines sacer interpresque Deorum,*
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ab hoc lenire Tigres, rapidosque Leones.
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis;
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. --- Alius item poeta in eandem sententiam.

Ovid. *Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?*
Carmine currentes ille tenebat aquas
Sæpe sequens agnum, &c.

Hac arte prisci illi rerumpub. conditores feros & inconditos homines ad mansuetudinem traductos æquis justi imperii legibus subjugarunt. Qui, cum inter eos omnis fere doctrina non scripta traditione, nec aliter quam viva docentis voce communicaretur, (sicut apud Britannos hic à Druidis fieri consuetum) quo lubentius acciperetur; eam numeris constrictam, cum clausulis belle cadentibus tradiderunt. Indeque factum, quod Poetica (quæ propter levitatem suam nimis usitatam fæculis his recentioribus vix mediocrem tueri dignitatem potest) antiquitus in magna veneratione habebatur. Et ipse Poeta, cum divini interpretis & prædicatoris officio fungeretur, etiam sanctos Prophetæ titulos sortiebatur.

Horat. *Sic honor & nomen divinis vatibus, atque*
Carminibus venit----

39. Quæ

39. Quæ quidem disciplinæ ratio, licet rudibus seculis accommodatior videatur; non ideo tamen inutilis in meridiana regnantis eruditionis luce reperta est. Quid, quod in ipsa Dei Ecclesia cerni potest, etiam post Decalogum tabulis incisum; post legem promulgatam; post hortamina Moysis, dum testamentum conderet, populo collata; post divinam majestatem tamdiu oculis totius Gentis conspicuam, unde divini timoris impressio æterna fieri videretur; cum tamen Deus adjicere vellet aliquid, quod ad populum à defectione cohibendum validius faceret; Moysi præcipit, ut summam eorum, quæ Israelitis tradidisset, in *Cantici* formam conjiceret, quo facilius memoriæ mandata, & late inter ipsos tradita ab universis demum reciperentur. Hac ratione enim homines in ore continuo supplicia delictis suis debita versantes neque fræno indigerent, quo à peccando ipsi reprimerentur; neque internis stimulis, quibus ad virtutem colendam incitarentur. *Deut.* 11.

40. *Parabolas* autem & *Apologos* quod spectat, æstimare facile possumus, quam germanas & efficaces non solum moribus novis, sed novis etiam sacris introducendis vires sortiantur; cum iis præcipue usus Servator noster inolitam corruptelam explosit, qua Pharisæi jam à longis retro temporibus Ecclesiæ Dei doctrinam & mores populi corruperant. Quinetiam Salomon, (quamvis omnium, quos sol vidit, mortalium sapientissimus judicaretur, & ingenio ad nullam non scientiam nato) & proinde quantum alius quisquam in arte Oratoria sive scribendo, seu perorando posset; cum tamen ad se reversus operam daret, ut dispendio suo partam experientiam universis utilem redderet; non observationes quidem in perpetuos Commentarios digestos reliquit; sed in capitula, & parabolas, unius cujusque captui attemperatas, & linguæ insidentes dispunxit. Neque vero materiam solam, sed & exponendi modum attendit: & ut investigans composuit parabolas multas, ita etiam inquirens adinvenit verba delectabilia, quibus homines, quasi propriis affectibus velut subjugatos, ad officia præstanda impelleret. Quæ nisi primum dulcedine & illecebris quibusdam insinuasset, & admissa postea ratione solida confirmasset, frustra ipsorum animos sibi subjiciendos aggrederetur.

41. Et sane *Fabellæ*, *Apologi*, *Proverbia*, *Parabolæ*, versus similiter cadentes, & si qua hujusmodi captui familiaria, modo cum delectu & sale quopiam adhibeantur, multo magis per se quam mera & nuda præcepta apud omnes valere inveniantur. Imo (quod amplius est) facile ac libenter admittuntur, ubi simplicis mandati vis repellitur. Etenim licet necesse est, ut rationis dictamen, modo ei auscultetur vires suas sortiatur, corporei tamen sensus ab omni parte blandimentis deliniti adeo valide intellectum obstruunt, ut rationi aditum omnino præcludant.

præcludant. Homines enim ſponte frænum detrectamus, ipſamque legem averſamur, quæ non alium in finem injungitur, quam ut affectus immoderatos inhibeat. Cum autem auſteritas imperii dulcibus alloquiorum figuris temperetur, ſtudia noſtra ſecum rapit, & toto pectore recipitur; noſque ipſi deinceps haud gravatim illi diſciplinæ totos tradimus, cujus antea rectitudinem aſſenſu pleno comprobaveramus. Quemadmodum vero *Fabellæ* & *Sententiæ* multum poſſunt in ſingulis auditoribus conciliandis, atque docendis; ita cum condimento quopiam peculiari ſic accommodatæ ſint, ut in ora hominum, quicquid populo perſuaſum velis, diffundant; tam publicæ morum reformationi quam privatæ optime inſerviunt.

Quibus & Rex ipſe mentem acriter intendit; & plurima ſcribit,

42. Videtur autem Ælfredus in compluribus ceteræ vitæ inſtitutis ſpiritum, factaque Salomonis multum contemplatus; Hic enim in viam virtutis reverſus, ex Rege concionator zelo fervidus & populi doctor factus eſt; *quantoque* (ſicut ipſe de ſe refert) *ſapientior eſſet, tanto magis illos docuit, parabolas itidem & jucunda dicta inveſtigavit.* Ælfredus pari modo (uti conjicere pronum eſt) hac in parte ſibi Salomonem in exemplum propoſuit; cumque eo ingenio natus eſſet, ut prudenter & acute dictis admodum oblectaretur, (ab ineunte enim ætate in Apophthegmatis colligendis ſe ſemper diligentem præbuerat,) indolis propenſioni jam graviter incumbit, & operoſa cura mentem iis omnibus præceptis locupletare contendit, quæ ad morum emendationem conducerent. Præſertim vero iis, quæ in Carminibus extarent Saxonicis: quo nomine hoc illi tribuitur elogium, quod fuerit *Saxonicorum poematum periti*ſ*ſimus*.

43. Ut autem quæ alii ſcripſerant compilavit, ita etiam multa ipſemet compoſuit, per quæ nomen egregii poetæ, imo Principis poetarum Saxonicorum meruit ob tam præſtantes animi dotes in tam ſacros uſus impenſas; & tam mirabiles utriuſque ſucceſſus. Ex quo pariter factum, ut ordinibus eorum abſcriberetur, qui priſcis temporibus ad ſummum honoris faſtigium evaſerunt ſui ſæculi tam Heroes quam Poetæ celebrati. [a] Quanta autem in hoc genere facultas illi fuerit, laborum eventus per ſe ſatis demonſtrat; præſtantiſſimam enim ingenii

[a] Videtur Ælfredus in hiſce cantilenis imitatus etiam Sanctum *Aldhelmum* ſtirpis regiæ Weſtſaxoniæ maximum ornamentum. De quo ſic Malmsburienſis lib° 5° de Geſtis Pontificum. *Native lingua* (*Aldelmus*) *non negligebat carmina*; *adeo ut* (Teſte libro Ælfredi manuali) *Nulla unquam ætate par ei fuerit quiſquam, poeſim Anglicam poſſe facere, cantum componere, eadem apposite vel canere, vel dicere. Denique commemorat Ælfredus carmen triviale, quod adhuc vulgo cantitatur, Aldhelmum feciſſe; adjiciens cauſam, qua probat rationabiliter tantum virum his, quæ videantur frivola, inſtitiſſe. Populum eo tempore ſemibarbarum parum divinis ſermonibus intentum, ſtatim cantatis Miſſis domos curſitare ſolitum; ideo ſanctum virum ſuper pontem, qui urbem & rura continuat, abeuntibus ſe oppoſuiſſe obicem, quaſi artem cantandi profeſſum. Eo plus quam ſemel facto plebis favorem & concurſum emeritum. Senſimque inter ludicra, verbis ſcripturarum inſertis cives ad ſanctitatem reduxiſſe, qui ſi ſevere & cum excommunicatione agendum putaſſet, profecto profeciſſet nihil.* Sed & D. Aug. (Retract. l. 1. c. 20.) dicit ſe Pſalmum ABCdarium compoſuiſſe, contra Donatiſtas, quo ad infimi vulgi captum deſcendit.

a [a] *Imo*

genii vim illi adfuisse oportet, qui mores affectibus pugnantes hominum animis carminibus primus inseruisset. In poetica autem medium quidpiam obtinuisse perinde esset ac si nihil penitus obtinuisset. Ut ille;

---- Mediocribus esse poetis
Non homines, non Dii, non concessere columnæ,

Et idem iterum;

Non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto,
Et quocunque volunt animum auditoris agunto.

Proinde Monachus ille Malmsburiensis diserte testatus est, neminem aut ad inveniendum magis solertem, aut ad eloquendum elegantiorem Rege Ælfredo extitisse. Sed & Æthelwardus asserit, talem ejus fuisse Boetii de consolatione philosophiæ translationem, quæ auditoribus vehementer affectis etiam lachrymas eliceret.

44. Rex his tam à natura quam ab industria donis præditus, haud unquam destitit omnem erudiendi populi occasionem captare pariter & urgere. Sæpe quidem positis majestatis suæ insignibus, quo minus Auditorum animos inter discendum perstringeret, idem mansuetudinem severitate, jocunda seriis, tanto cum judicio temperans; ut natu minores, majores, ignobiles, nobiles, imo Episcopos, Comites, & Comitatibus Præfectos, omnes omnino ad ipsius doctrinam animo penitus imbibendam aut persuaserat aut subegerat. Adeoque brevi effecerat, ut eruditio & humanitas, quæ jamdudum contemptui fuissent, jam in præcipuo honore esse & ab omnibus avide expeti cæperint.

Quorum aliqua etiamnum restant, & eorum specimen datur.

45. Extant in notissima illa Bibliotheca, quæ hodie Cottoniana dicitur, in Codice MS^to^ præcepta quædam & monita sub Regis Ælfredi nomine in unum collecta, plane in eandem sententiam, quam nunc loquimur; quorum mihi copia perhumaniter facta est à Domino Thoma Cottono, Equite splendidissimo. Quæ vero istic habentur haud à me impetrare possim; ut hoc nomine, velut specimen eorum quæ Rex composuerat, in publicum ederem. Neque enim extant, prout ab ipso profecta sunt; imo ne Saxonice quidem, sed farrago quædam est miscellanea ab Autore, nescio quo, multo certe recentiori, consarcinata. Qui etiam pro captu suo, Anglice, nec optime, Regis Ælfredi dicta nonnulla, in quæ inciderat, Rhythmice (cujusmodi forte ipsum erat Autographon) quædam autem soluta oratione, sine methodo, sine judicio corrasit. Præterquam vero, quod ex ipso ordine satis constat, compilatorem non maximo judicio valuisse, qui non aptius ea digesserit; ipsum exemplar adeo mendosum est, & tam scriptura Hybrida, quam sermone semibarbaro, ut nisi impudenter veritati vim

facerem, non auſim publico committere, ad iſtius exemplaris fidem, quod penes me deſcriptum habeo. Quare cum ſint capitula dictorum Regis triginta unum, quorum ſingula ab his vocibus ordiuntur, *Sic inquit Ælfredus*, nec omnia, nec integra deſcribam; quinimo tria tantum aut quatuor ex primis (quæ ſunt etiam perfectiora) ad characterem ſermonis, & formulam dogmatum indicandam, totidem verbis, quot deſcripſeram, apponam, ſubjecta juxta vim vocum ex uſu hodierno interpretatione. Reliqua, quorum veſtigia & ſententiam aſſequutus videbar, vernacule tantum attexui, una cum notis numeralibus quæ deſignarent quem quodque locum occupaverit.

46. Procœmium illorum notatu perquam dignum eſt, quod innuere videtur Concilium quoddam ex Primis in utroque Regni hujus ordine Siffordiam [a] (ſive ea Seaffordia ſit in Agro Oxonienſi ſive alius quilibet locus) convocatum: ibique regem, cum Clero, cum Magnatibus, & aliis, de moribus, & recto civium regimine conſilia agitaſſe: necnon ibidem ſalubres quoſdam admonitus & præcepta magni ponderis de eodem tradidiſſe, per totum (uti credas) regnum divulganda. Nam præmiſſa Concilii mentione, & elogiis Regiis, ſcriptum refert, eum docere cæpiſſe quotquot illum audirent, quomodo vitam inſtituere deberent. Deinde ſubnectit capitula illa 31, veluti doctrinæ ſummas: quibus confirmatur quod ſuperius de cura ejus, & laboribus, quos erudiendis & reformandis civibus impenderat, ex aliis autoribus affirmavimus. Verba Manuſcripti Codicis ſunt, quæ ſequuntur.

At Sifford ſeten Thaines many,
Fele Biſcopes, and fele Boclered,
Earles prude, Knihts egloche,
Ther was Erle Alfrich of the Lage ſwuthwiſe,
And ec Alfred Engle hirde, Engle derling,
On Englond he was King, hem he gan leren
Swo him heren mihten hu hi here lif leden ſcolden.

Alfꝛed he was on Engelond a King wel ſwithe ſtrong,
He was King and Clerk, wel he loved Gods werk,
He was wiſe on his word, and war on his ſpech,
He was the wiſeſte man that was on Englond.

Thus quath Alvered engle fꝛofꝛe,
Wolde the nu liben and luſten yure loveꝛd
And he you wolde wiſen wiſeliche winges
Hu ye mihten werlds wurthe cipe welden
And ec yure ſoule ſamne to cꝛiſte
Wiſe weren the cwethen the ſaide the King Alfred.

Mildeliche Imune yu mine deꝛe fꝛend, arme,
And edilede luviende that ys all dred yure

Dꝛihten

[a] Imo vero videtur fuiſſe Siffordia hodie dicta, ab Oxonio ſeptem millia paſſuum; ubi plurimorum & quidem non vulgarium ædificiorum fundamenta etiamnum conſpiciuntur. v. D. P. Hiſtoriam nat. Com. Ox. p. 22.

Extat

Drihten christ lubiend him and licen for he is
Loverd of lif, he is one God over all Godnesse,
He is one blisse over all blessedness,
He is one manne milde master, he one folce fader,
And frofre he is, one riht wise and riche King,
That him ne scal be pane noht of his will
Hwo him here on werld wurthend and eth.

2. Thus cwath Alvred engle frofre;
He mai no riht cing ben under Crist selfe,
But he be boc-lered, and wise o loage,
And he hise writes wel icweme, and he cunne
Letres, locen him selfe hu he scal his lond
Lagelice helden.

3. Thus cwath Alvred engle frofre the Earl;
And the atheling tho ben under the cing,
The lond to leden mid lagelich deden,
Bothe the clerc and the cniht demen evenliche riht,
For after that the man soweth
Ther after he scal mowen,
And efr ilces mannes Dom to his ogen dure charigeth.

4. Thus cwath Alvred, the cniht behoveth
Ceneliche to mowen nor to werce the lond,
Hunger and of heregong that the Churche have
Grith, and the cherle be in frith,
His sedes to sowen; his medes to mowen,
His plowes to driven to ure alre bilif:
This is the cnihtes lage to locen that it well fare &c.

Hic Carminis antiqui tenor: quod latine sic sonat.
Siffordiæ consederunt Barones complures,
Multi Episcopi, & multi Literati,
Comites magnifici, & Equites mirabiles,
Ibi aderat Alfricus juris admodum prudens,
Item Ælfredus Anglorum Pastor, Anglorum deliciæ,
Angliæ Rex erat: eos cœpit docere
Qui ipsum audirent, quomodo vitam agere deberent.

Ælfredus Angliæ Rex erat admodum prævalidus:
Erat Rex idem, & doctor, divino cultui studebat:
Erat verbis prudens, & verax oratione,
Erat hominum sapientissimus, quos Anglia tulit.

1, Sic inquit Ælfredus Anglorum Solamen:
Diligeretis utique & expeteretis Dominum,
Is vos ea, quæ sapientia sunt, sapientes redderet,
Ut honorem secularem administraretis,
Et pariter animam Christo adunaretis.
Sapientia fuere dicta, quæ dixit Rex Ælfredus.

Leniter vos adhortor, mei chari amici,

Ignobiles sive nobiles dilecti, ut omnes
Dominum vestrum Christum revereamini,
Ipsum diligatis, ipso delectemini.

Est enim vitæ princeps,
Est unus Deus super omnem bonitatem,
Est una beatitudo super omne gaudium,
Est unus homo elemens Dominus,
Est unus publicus parens, & solatium,
Est unus justus & opulentus Rex,
Adeo ut ei nihil defuturum sit, quod optat
Quisquis illum in hoc seculo colit, & timet.

2. *Sic inquit Ælfredus Anglorum Solamen.*
Non poterit esse Rex justus
Christique vicem gerere, qui non idem
Literas novit, & in jure prudens fuerit;
Adeo ut sua ipsius brevia probe calleat;
Et ipse scripta evolvat; per quæ ad suam
Ipsius civitatem secundum leges moderandam instruatur.

3. *Sic inquit Ælfredus Anglorum Solamen.*
Comes & Nobilis Regi subsunt,
Qui civitatem temperent justis decretis,
Cum Clericus, tum Eques ex æquo & bono judicent,
Qualia enim homines serunt, talia metent:
Et suum cujusque judicium ad se redibit.

4. *Sic inquit Ælfredus; Equitis est*
Strenue agri proventum colligere;
Neque committere, ut populus
Fame afficiatur; & ire militatum:
Quo Ecclesiæ quies constet, & Colono pax,
Ad semina serenda, ad prata tondenda,
Ad aratra agenda, nostro omnium commodo;
Hoc est Equitis officium providere ut accuretur.

5. Sic inquit Ælfredus. Parvi sunt divitiæ sine sapientia; nempe si cui contingerent centum septuaginta jugera auro consita; si, segetis instar, late flavesceret metallum, tamen opes illæ ingentes, nihil nobis conducerent, nisi prius ex inimicis amicæ fierent. Quid enim lapidi interest aurum, quo non prudenter utaris?

6. Sic inquit Ælfredus. Juvenis ad malum ne unquam declinet, etiamsi bonum illi non eveniat ex animi sententia; neque omnibus, quæ velit, fruatur. Potest enim, ubi volet Christus, post malum conferre

ferre bonum, & divitias post gratiam. O vere beatum qui ad id conformatus est!

13. Sic inquit Ælfredus. Filius sapiens est benedictio patri. Si tibi puer contigerit, dum adhuc parvus est, præceptis eum imbue, quæ ad virum spectant; & ubi adoleverit, iis adhærebit; ita demum evadet, qui tibi gratiam rependat. Sin ipsum propriæ libidini permiseris, adultum jam fero tui pigebit; suoque Tutori male precabitur. Tunc tibi monenti filius obtemperare recusabit, tibique optabilior fuisset orbitas. Præstat enim puero nunquam nasci, quam non castigari.

27. Sic inquit Ælfredus. Si natu grandior factus opibus quidem abundes, quibus interim frui non possis, insuper viribus ad tui regimen destituaris, tum quæ dominus tibi commodaverit, gratus recole; vitam tuam, & lucis usuram, cæteram etiam delectationem, quam hominibus paravit. Et quicquid demum de te fiat, addas; Velit Deus, quod volet; Dei voluntas mihi erit gratissima.

28. Sic inquit Ælfredus. Affluentia secularis demum ad vermes redit, ejusque gloria versa in pulverem, & vita cito transit. Et si cui contingeret etiam totius terrarum orbis imperium, opumque, quæ in illo sunt, omnium; tamen vitam ad breve modo tempus retinere poterit. Tota Mundi hujus felicitas ad miseriam tuam solummodo valeret, nisi Christum tibi acquireres. Cum igitur vitam ad cœlestem doctrinam componamus, tum commodis nostris vel maxime inservimus. Tunc enim is nos certo sustentabit. Ita namque Salomon ille sapiens nos edocuit; bene est ei qui benefacit in hoc seculo; nam ad extremum eo pervenit, ubi bonum reperiet.

29. Sic inquit Ælfredus. Mi chare fili, propter me nunc consideas, & veros monitus tibi tradam. Mi fili sentio supremam horam mihi instare. Genæ mihi pallescunt. Dies mei prope decursi sunt. Digrediendum est nobis; Ego quidem in alium orbem eo: tu vero solus relinqueris omnium meatum opum hæres. Obsecro te (sicut es filius mihi præcharus) da operam ut populo tuo Patrem ac Dominum te præbeas. Esto pupillorum parens, & Viduarum patronus. Inopes consolare, & infirmos protege; & quantum in te fuerit, corrige quod pravum est. Te vero ipsum, fili, ad normam Legum dirigas; ita Dominum habebis propitium, & Deus super omnia erit tibi merces. Hunc invoca tibi Consiliarium, quoties consilio opus fuerit, ita tibi erit adjumento quo id consequaris, quod effectum velis.

47. Fragmentum hoc (quamvis nihil aliud quam summaria quædam colloquii cujusdam plenioris ab Rege habiti) sufficere possit, ad degustandum, quo Rex affectu, sollicitudine, & industria fuerit circa populi institutionem, ejusque mores reformandos. Et qualiacunque hæc jam videantur, ex ipsius tamen affectu, qui hæc Apophthegmata

 nobis

nobis digeſſit, conſtat; eadem, prout ab Regis ore prolata, illum effectum fuiſſe ſortita, ut non vulgares in animis auditorum aculeos reliquerint. [a]

Bonas literas reſtituere conatur; ac ceterſtis 48. Rex autem expertus maxime quantum hac ratione profici poſſit, & omnia fere ſuperiorum temporum exempla ſupergreſſus, quo præſenti ſeculo ſubveniret, etiam poſteris in melioris civitatis ſpem educandis proſpicere; & ex litteris revocatis tanquam propriis fontibus, ſimul humanitatem, ſapientiam, bonoſque mores propagare, & per totum regnum diffundere ulterius, contendit. Hoc autem conſilium magnis pariter difficultatibus obſeſſum reddebatur; eo quod Dani Barbari non tantum aliud agentes bonas artes deleverant; dum avaritia incenſi loca ea compilant omnia, quæ illis fovendis dicata ſunt; verum diſertim odio quodam adverſus literas, humanitatem, & religionem capitali, non tantum in earum profeſſores, verum etiam in ipſam profeſſionem graſſati ſunt: tam libris ac ædibus illius hominum ordinis igni datis, quam ipſis hominibus ferro occiſis. Eamque rabiem tam late circumtulerant, ut cum Rex ad inſtaurandam literaturam ſe pararet, per totum Weſt-Saxoniæ regnum (univerſus eſt ille inſulæ tractus qui Thameſis auſtrali ripa diſterminatur) non ſuppeteret illi vel unus, qui Latinam epiſtolam Anglice reddere ſciret, nedum Eccleſiæ Agendas interpretaretur: imo pauculi admodum reſtarent uſpiam alibi per totam Angliam, qui tantum facultatis haberent. [b] Præterea quamvis illa domeſtica eruditorum penuria Rex coactus

[a] Extat in Bibliothecâ Bodleiana alius liber cui titulus *Parabola Ælfredi Regis*. Cum autem Rex in illo dicendi genere adeo excelluiſſe dicatur ut de ipſo proverbium ferretur (Dugd-Monaſt-Ind.) *Nemo poſt Ælfredum amplius*. Et Ailredus Rievall- (cujus tempore parabolæ ſuæ extitiſſe videntur) aſſerat, *eas plurimum habere ædificationis, ſed & venuſtatis & jucunditatis etiam*: Hæ vero parabolæ nihil magnum ſapiant; non mihi perſuaderi facile patior eas non eſſe ψευδεπίγραφα, vel ab Rege noſtro Ælfredo, ſed poſteriori quopiam, licet non admodum vulgari, poetâ profectas. Lectoris eſto è paucis judicium.

Provectior ſum quam fui	Ic am elder þan ic wer	I am older then I was
Et tempore & Doctrina,	A wintre ȝec a lore	In winters, and eke in learning
Conſenui magis quam antehac,	Ic ealdi more þan ic dede	I olded (grew older) more than I did
Ingenium meum majus eſſe debet.	My wit ought to bi more	My wit ought to be more.
Diu admodum puer fui	Wel longe ic habbe childe ibien	Wel (very) long I have childe been
Et Verbo & opere,	On worde ȝon dede	In word and in deed
Quamvis annis ſum ſenex	Thegh ic bi on wintre eald	Though I be in winters old
Puer tamen ſum conſilio.	To ȝuing ic am on rede.	To young I am in rede. (counſel.

Hæc ſufficiant ut lectori monſtretur hos verſus non eſſe Ælfrediani ſeculi; rara enim vel fortaſſe nulla tunc temporis ὁμοιοτελεύτων elegantia; plurima etiam ſunt vocabula (ibien, ileb, iboon, iquæðe &c.) quæ Saxones potius dicerent ȝebien, ȝeleb &c. in poſterioribus enim ſeculis illud ȝe mutabatur in y, quæ fere eandem habuit pronunciationem, & aliquanto poſt y in i, ſoni etiam non admodum diverſi. Neque ipſa vocabula in cæteris Ælfredi operibus reperiuntur. Prætereo quod nec ipſa materia Ælfredum, ut dixi, ſapit. Continet enim hoc poema, qualecunque ſit, nihil aliud præter locos aliquot communes, imo vero communiſſimos, de vitæ humanæ conditionibus & ſtatibus diverſis.

[b] Aliis etiam temporibus eædem querelæ reperiuntur, ſed quæ non ſunt nimius ſevere interpretandæ. In Synodo Cloveſhoviana Can- 10° ordinatum eſt; ut Presbyteri ſymbolum & Miſſarum verba in ſua lingua diſcant ſcire; vel (ut Malms.) dominicam orationem & ſymbolum Anglice diſcant, & doceant. Malms. etiam dicit pleroſque Epiſcoporum tempore conqueſtus Normannici fuiſſe admodum indoctos. Vide Regis ipſius præfationem in Boetii de Conſol- traductionem. Et Ælfricum in præf. ad Grammat. *Anglicorum ſacerdotum nullus, donec Dunſtanus Archiepiſcopus, & Æthelwaldus Epiſcopus in monaſteriis doctrinam reſuſcitaſſent, epiſtolam latine ſcribere aut interpretari poſſet.*

Et

coactus esset viros doctos è peregrinis regionibus conquirere, attamen foris etiam (in omnibus citra Alpes locis) Virorum ingenuis literis & artibus clarorum par itidem caritas. Ex consimili scilicet Aquilonarium gentium in Occidentalem Europam irruptione, quæ unius-modi fere vastitiem ubique intulit. Verum ubi viros in istum modum affectos Rex offendisset, omnibus, quibus poterat, modis ad se ut venirent, & sibi operam locarent in linguarum & Artium scientia in has terras postliminio restituenda, effecit. Quos ille tam prolixa munificentia prosequebatur, ut quamvis rari haberentur, complures tamen ad se viros lectissimos attraxit; quorum nonnulli hodieque nobis in memoria durant.

49.[a] *Johannes Erigena*, Hibernus, (quod etiam cognomen indicat) *Johanne Erigena* *Scoti* vero cognomine notior. Quod vocabulum illa ætate utrisque tum Scotis, tum Hibernis commune. Vir ingenio præacuto, singulari doctrina (pro captu seculi, quod agebat,) cum artium, tum linguarum, præser- *Bal. Malms.* tim *Græcæ*, *Chaldaicæ* & *Arabicæ* insigni peritia. Quas ut assequeretur, annos complures tum *Athenis*, tum aliis Orientalibus terris consumpserat; indeque in *Italiam* reversus, & deinde in *Galliam*, incomparabilis eruditionis nomine summæ existimationis apud *Carolum Calvum* habe- *Hoved.* batur. Qui eum magistrum appellavit; nec indigne tulit, quod una secum è regione ejusdem mensæ considens, interque cibos ab se joco interrogatus, quid interesset inter *Scottum*, & Sottum; reposuerit, mensa tantum.

50. Hic *Scotus* postmodum ab Ælfredo rege sollicitatus in *Angliam* trajecit, ubi cum primum ipsi Regi præcepisset tum in linguis tum in artibus; postea eodem promovente publicus in Monasterio *Malmsburiensi* Professor extitit. Istic (jurgio coorto) in ædicula quadam à propriis discipulis scalpellorum mucronibus confossus interiit.[b] Corpus ejus obscuro loco inhumatum; donec (uti scribunt) crebrum lumen sepulchro circumfusum cerneretur: hinc igitur causa propius explorata

[a] Incidit autem hic Joannes in tempora, quibus calide agitabantur controversiæ de Prædestinatione à libello quodam Gottescalchi natæ. Et Episcoporum Gallicanorum quidam cum Remigio Lugdunensi Gotteschalco favebant, alii cum Hincmaro Rhemensi ipsi adversabantur; inter quos Johannes noster nomen suum professus non minimam à Lugdunensibus invidiam sibi conflavit. Adeo ut non solum Florus, dictus Magister librum edidit *adversus cujusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Johannes, ineptias & errores de prædestinatione & præscientia divina*, &c. Sed & Concilia bina Lugdunense, & Lingonense opinionem ejus satis severe taxant. Et fieri quidem potuit, ut ipse harum controversiarum tædio, licet tanta apud Carolum Calvum gratia, ut *ejus individuus comes & mensa & cubili extiterit* (Sim. Dunelm. & alii) se tamen subducendi vel consilium ceperit, vel occasionem libenter amplexus fuerit. v. Annot. ad § 97. l. 3. Ejus ab hæresi vindicationem vide apud Twinum. Quæ si omnino, certe facilior nobis, est. Cum nuper repertus sit liber ejus de Naturæ divisione, cui quod heterodoxias author sapuit, inesse scribit Hovedenus f. 240. *Sunt revera*, inquit ille, *in libro περὶ φύσεων μερισμοῦ perplurima, quæ nisi diligenter discutiantur, à fide Catholica abhorrentia videantur.* Dicitur etiam librum scripsisse de Corpore & Sanguine Domini, in Conc°. Vercellensi postea damnatum a° 1050. Eundem vero fuisse, qui sub Bertrami nomine postea prodiit post Reverendissimum *de la Marca* docti consentiunt.

[b] In Ecclesiola Sancti Laurentii nefandæ cædis conscia prope partem australem transepti Abbatiæ occisus. Ubi postea imago ejus erecta est. Leland. Ipse etiam pene pari, quo Sanctus Aldhelmus, veneratione celebrabatur. Malmsb. obiisse autem dicitur a° 883.

[a] Fulconem

explorata, *Martyr* habitus eſt ; & effoſſæ reliquiæ in Eccleſiam majorem illatæ ſunt, cum hoc titulo ſepulcrali ;

Conditur hoc tumulo ſanctus ſophiſta Johannes,
Qui dictus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum
Quo, meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

Grimbaldo, *Malm.*

51. Alium etiam non obſcuri nominis è Galliâ arceſſivit : is erat *Grimbaldus*, vir eximiæ pietatis, qui præter inſignem literaturam, in muſicis peritus, & antiſtes egregius habebatur. Rex dicitur in ejus notitiam primo perveniſſe per hoſpitalitatis commendationem. Quippe qui *Rhemis* puerum honorifice excepiſſet, cum iſtac Romam proficiſceretur. Archiepiſcopum autem * iſtius loci flagitanti Ælfredo hunc *Grimbaldum* poſtea in Angliam ſubmiſiſſe ſcribitur.

Aliiſque evariis locis & regionibus

52. Alios aliunde exciverat ; quos autem quibus ex oppidis certo non conſtat. Abbas ille primus Cœnobii, quod *Æthelingeiæ* extruxerat, ex veteri Saxonia vocatus eſt : & plerique ejus Monaſterii Monachi, Preſbyteri, & Diaconi fuere, qui peregre advenerant. Duos præſignes

* Fulconem; inter quem Regemque noſtrum excitiſſe literarum commercium ſatis familiare videtur. Nam præter eas, quæ apud Flodoardum habentur, (quas mox in Plegmundo recitabimus) Harpsfeildius dicit in Annalibus Wiotonienſibus conſervari & Epiſtolam Ælfredi Grimbaldum ab Archiepiſcopo petentis; & reſponſum Fulconis gratias Regi agentis pro muneribus ei ab ipſo miſſis, & nominatim pro canibus luporum venatoribus ; refertque ipſum viciſſim *ei miſiſſe canes, non quidem carnales, ſed ſpirituales : qui Chriſti gregem vigilanter cuſtodirent, ab eoque ſpiritus impuros inſtar luporum inſidiantes, abigerent. Regem exinde hortatur Grimbaldum (paſtorem illum digniſſimum) digne recipere, & authoritate ſua protegere ; quo audacter & ſincere graves illas Eccleſiaſticæ Anglorum diſciplinæ depravationes à Prælatorum inſcitia prognatas, reformaret, ipſorumque Eccleſiaſticorum laicorumque mores vitaſque ſceleratas corrigeret. Regi etiam oſtendit una cum Grimbaldo ſe inſuper miſiſſe decreta & conſtitutiones Eccleſiæ ab Apoſtolis viriſque Apoſtolicis traditas, quæ ſi in Anglia obſervarentur, fructum inde ſperaret maximum.* Hæc ex Annali-Wint. Creſſius. Quos etiam tradere dicit Regem Archiepiſcopumque totius Regni Proceribus comitatos Grimbaldo obviam proceſſiſſe, & non velut hominem, ſed ut Angelum Dei recepiſſe. Nec longe poſt ejus adventum ſynodum Londini convocaſſe, ut Grimbaldi ſapientiam cunctis propalaret, reformationique ab ipſo introducendæ initiom daret. Extant apud Harpsfeildium concionis capita, quam Grimbaldus habuit in ſynodo Londinenſi coram Rege Ælfredo & Archiep° Æthelredo ſive Ældredo; qua graviter & ſapienter multa de dignitate humanæ naturæ, ad quam in initio creationis Deus illam evexit, & quomodo à peccato primorum parentum ea ſit labefactata, diſſeruit. *Adiecitque multa valde accommoda quibus Auditores à turpi, vitioſa, & voluptuaria, molli & delicata ad ſanctam, gravem, continentem, & ſeveram vitam revocaret.* Et reliqua. Quæ de hoc Grimbaldo ſive Grimoaldo legimos, hæc fere ſunt. Quod Ælfredus conſilio Ældredi Archiepiſcopi Cant- oratores ad Monaſterium Sancti Bertini ad accerſendum Grimbaldum miſit; inter quos Johannes Presbyter, & Aſſerius viri eruditiſſimi præcellebant. Lelandi Adverſ. . [videtur tamen ex Aſſerio Grimbaldum à Rege ante ipſum Aſſerium fuiſſe accerſitum.] Cujus maturitas, morum dignitas, eloquentiæ, & doctrinæ ſublimitas jure omnium permulcebat animos. Tanta nimirum Angliæ lumina (Rege ventilante) doctiſſimi Grimbaldi lampas accendit clariſſima. Id. Quod de renovatione ſtudii Oxonienſis per ipſum effecta intelligendum videtur. Ældredo Pontifice Contuarienſi mortuo Ælfredus dignitatem Grimbaldo obtulit, quam ille obſtinate recuſavit, vitæ religioſæ omnino deditus. Rex igitur poſt ejus diſceſſum ab Oxonio com eo egit de inſtitoendo novo Monaſterio Ventæ ; primumque domum & capellam citato opere in ejus gratiam paulo ante mortem ſuam fabricavit. Mortuo vero Ælfredo Eadwardus ejus filius novum conſtruxit Monaſterium & Grimbaldum Abbatem conſtituit. Idem. cujus tamen ſtructura Ælfredo à multis authoribus tribuitur. Fieriquidem poteſt, ut ipſum cœperit Pater in ſuburbiis Wintonienſibos, inde autem ad Hydam removerit, & dedicaverit filius Eadwardus. *Anno autem* 904. *Sanctus Presbyter Grimbaldus, vir magnæ ſanctitatis & unus Magiſtrorum Ælfredi Regis gaudia conſcendit Regni cœleſtis.* Floril. Natus autem eſt Tornaci Nerviorum, vel ut alii Teruanæ Morinorum : Grandior factus monachis Benedictinis Audomaropoli ad Sanctum Bertinum ſe adjunxit. Vitam ejus ut & aliorum Anglorum ſanctitate celebrium ſcripſit Gotcelinus, ejus commemoratio Jul. 8. Miræus in faſtis Belgicis.

* De

præfignes monachos inveftigarat ex monafterio *Menevenfi*, qua *Cambria* maxime Auftralis longiffime in mare procurrit; qui monafticæ vitæ penitus addicti, metu cum Danicæ incurfionis tum domefticæ tyrannidis, in illas latebras fe abdiderant, ut prædones fallerent: ubi difficulter inveniri poffent; inventi vero nihilo facilius etiam obfecranti Regi officium hoc detulerunt, ut Cœnobia digreffi vitam Aulicam colerent.

53. Alter ex his *Afferius* (cognomine inde tracto) *Menevenfis*, etfi fenferat gratiam, qua apud Regem valiturus erat, plurimum è re Cœnobii fui futuram; feque illa ratione plus Fratribus commodaturum, quam fi domi apud ipfos conclufus delitefceret, haud immerito fperaret; hactenus tamen exorari fe paffus eft, ut Coenobii tempora cum Rege partiretur. Nec ultra fex menfes perpetuos apud Regem commoratus, reliquum femeftre fpatium domefticis facris impenderet. Hic eft ille *Afferius*, quem Rex adeo charum habuit, [a] quem *Epifcopum Shireburnenfem* conftituit, & in quem præter alia complura *Amersburiam*, *Banwellam*, & *Exoniam* contulit. Is, adhuc fuperftite Ælfredo, compendium rerum ab ipfo geftarum contexuit, ipfique Regi nuncupavit. Quod tamen ut ad ipfius Regis exitum perduceret, non advixit.

Afferio & Johanne Menevenfibus

Malmsb. & Ingulf.

54. Alter autem monachus, quem *Menevia* devocavit, in magna pariter apud ipfum exiftimatione propter doctrinam habitus fuit; Præfertim ob peritiam in Logicis, Muficis, & Arithmeticis, haud alio nomine nobis innotuit, quam quod *Johannes* Monachus dictus eft: & ipfe idem fuiffe videtur, quem in præfatione *Gregoriani Paftoralis* Ælfredus ipfe *Johannem Miffæ-Sacerdotem* fuum appellat. Quique, inter alia, (ut ibidem refert) ipfum Gregorii librum & intelligere, & Saxonice vertere docuit. Habuit & alios doctrina celebres Saxones quidem hujus Regni incolas natos; eos tamen inter tot impedimenta, tamque difficulter quæfitos, ut vel externis merito accenfeantur.

55. *Werefridus* Epifcopus *Wigornienfis* fuit fub *Burrhedo Merciæ* Rege. Cum vero à Danis Merciam ingreffis *Burrhedus* ejiceretur, etiam *Werefridus* (cujus Diocefis ibi fuerat) trans maria fibi confulere coactus eft, donec ab Ælfredo domum reducebatur. A Lelando, & Capgravio, virorum circa Ælfredum doctorum antefignanus appellatur. Hunc Rex Gregorii Dialogis Saxonice vertendis admovit: virum, dum fupereffet, admodum venerabilem, & poftquam deceflerat, fanctis annumeratum.

Werefrido Epifcopo Wigornienfi.

56. *Plegmun-*

[a] De hoc plurimum dubitatur--- vid. lib. 3. Sect. 38. annot. Illud verofimilius ejus opera Regulorum Britannorum plerofque Regi noftro fe fubmififfe: licet ejus modeftia illud fibi attribuere non permittat.

Cc [b] Cujus

Plegmundo Archiepiscopo postea Cantuariensi

56. *Plegmundus*, quem Ælfredus in *Archiepiscopum Cantuariensem* consecrari jussit, literarum sacrarum scientia reliquos sui temporis præstare dicebatur; & unus ex iis erat, quibuscum Rex consilia conferre solitus de iis, quæ ad religionem & literas spectarent. [a]

Dunwulpho Episcopo Wintoniensi, quem Ælfredus sues pascentem inveniens literis tradidit informandum, perfectius institutum creavit Episcopum. Malmsb. 242.

57. *Dunwulphus* Episcopus *Wintoniensis*, ut recensendus est inter eos, quos Rex sibi subsidio sumpsit in opere illo præclaro cum literas tum Religionem collapsam apud suos restituendi, ita etiam vel ex primis fuerit, qui Regii circa hæc studia laboris fructum perceperit. Etenim is revera fuit ille pastor, apud quem Rex inter adversa rerum delitescere coactus est. [b] Quem ingenio acri compertum, & animi dotibus ad altiora comparem, ipse jam Regno restitutus literis erudiendum curavit: in quibus addiscendis Regis opinionem adeo non fefellit, ut tandem Episcopus *Wintoniensis* fieret; & is esset, cujus consilio Rex in majoribus Regni negotiis uteretur.

Wulfsigo, Athelstano, Wereberto, Wereolpho Mat. Westmon.

58. *Wulfsigus* & *Athelstanus* [c] Episcopi *Londinenses*, *Werebertus* episcopus *Cestrensis*, *Wereolphus* presbyter admodum pius cum aliis nonnullis.

Præcipuè Sancto Neoto

59. Verum inter alios extitit, qui quamvis eruditus, ob reliquarum tamen virtutum excellentiam, ista potissimum laude non censebatur. Is est ille *Neotus*, quem antea diximus hodie *Sancti* prænomine celebriorem. Hic Abbas sanctitate vitæ, maxime autem pio zelo & industria in vera fide propaganda, adeo insignis fuit, ut etiam mortuus in tanta omnium veneratione vulgo habitus est; ut *Einsburiæ* in agro *Cornubiensi* in æde S. *Gueriri* sepultus *Sancti* illius *Cornubiensis* quondam celebre nomen ita præstrinxit; ut illi ipsi loco, qui una cum religiosa Clericorum domo nomini suo indigitaretur, de se **Neotstow** nomen

[a] Cujus ad Archiepscopatum promotionem Regi gratulatus est Folco Rhemorum Archiepiscopus apud Flodoar. l. 4. c. 5. (p. 612.) *Fulco*, inquit ille, *Albrado Regi amicabiles literas mittens, grates refert, quia tam bonum virum & devotum, Ecclesiasticis que regulis congruentem destinarat Episcopum in civitate Cantabrug. Audierat enim quod perversissimam sectam paganicis erroribus exortam, & in illa gente relictam verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta suggerere videbatur Episcopis & Presbytaris subintroductas habere mulieres: ad propinquas quoque generis sui, quas quisque vellet, accedere: insuper & sacratas Deo feminas incestuare, & Uxores habentes concubinam simul habere.* Et ad ipsum Plegmuodum (quem Pleonicum vocat p. 618.) *congratulans bonis ejus studiis, quibus eum laborare compererat, pro abscindendis & extirpandis incestuosis luxuriæ fomentis, supra in his literis, quas Albrado Regi scripserat, commemoratis, quæ in ea gente videbantur inolevisse, sacris eum instruens & animans autoritatibus censura canonica particeps nimirum piis ejus laboribus cupiens existere.* De hæresibus & erroribus hisce si non illa in fœdere Ælfredi & Gothrnnni, c. 3, 4. intelligenda sint, oullibi (qood sciam) aliud quidpiam reperiri potest. De Plegmundo autem in chronico Saxonico ad annum 890. notatur. *Hoc anno Plegmundus à* Deo & *omnibus Sanctis suis electus est.* Et Bromp. *Plegmundus venerandus sapientiæ fructibus renitebat, præditus columnis justitiæ, prudentiæ, temperantiæ, & fortitudinis.* Vir foisse videtur tum scientiæ ubertate, tum morum sanctitate, tum Rerum agendarum prudentia spectatissimus. Vitam eremiticam non longe à Cestria, donec à Rege accerseretur, duxisse fertur.

[b] De hac relatione merito dubitat Harpsfeldius; Nam neque Antiqui Authores tanquam rem certam, sed tantum ex iocerto auditu referunt, neqoe temporum ratio facile permittit. Quale enim viro ingenium, qui in ætate provecta à suibus pascendis, & literarum omnimoda ignorantia, in unius anni spatio tantam scientiam doctrioamque acquisierit, ut Episcopatui Wintoniensi idoneus haberetur? Aothor noster l. 1. §45. Ipsum fuisse asserit Pastorem Regiom, sive Thaynum, qoo testimonio fretus, nescio.

[c] Athelstanus dicitur Episcopus Herefordensis, & Werebertus Legeacestrensis, à Rog. Wendovere; (ut videtur) ab Ælfredo facti.

[a] Extat

nomen impertierit. Postea vero (uti videtur) quasi parum honoris ei esset habitum, Comitis *Alrici* palatium in Comitatu *Huntingtoniensi* in Monasterium ipsius memoriæ sacrum conversum est. Quo translatum ipsius corpus oppido, quod hodie S. *Neoti* dicitur, nomen dedit. Etiam amplius anno 1213. *Henricus Croylandiæ* Abbas existimans tantæ sanctitatis virum honestius in Coenobio suo collocari posse, anno Johannis Regis 15. S. *Neoti* oppido reliquias ejus asportatas in *Croylandiæ* sacello deposuit. Tanto virum honore prosequuti sunt posteri. Hic Balæo *Neotus Adulphius* appellatur. Eumque Speedus *Æthelwulphi* seu Adulphi filium putat. Asserius autem Ælfredi non fratrem germanum, sed consanguineum appellat. Primus ille Regiæ juventutis erat moderator, dum sano consilio minus adhuc audiens esset; majorem vero apud Regem assequutus autoritatem, eum ad multa præclare facienda perpulit; etiam post obitum apud eundem magno in honore habitus, obiisse dicitur anno 883. [a]

60. His usus administris Rex (ut ita dicam) perpetuo consultabat, quibus modis Ecclesiæ & Reipub. inopia doctorum virorum, qui cives, religionem, justitiam, & humanitatem docerent, laboranti succurreret. Et cum aliquando neque Presbyter, neque Episcopus (præter hos modo memoratos) reperiretur, qui quod ad Episcopi aut Presbyteri munus pertineret, intellexit: neque ullum fere auxilium daretur, quo vir indoctus (utcunque docilis & gnavus) ad officii sui notitiam pervenire posset (Latine enim neque sciebant, neque ad manum erat, qui doceret, Saxonici autem Libri hujus argumenti, ut videtur, extabant nulli) Rex horum virorum eruditione præstantium tum consilio, tum opera tam dextre usus est, seque in omnes partes ita sedulum præbuit; ut partim viros, tam ab integritate morum, quam habitu mentis idoneos assequendo, partim ejusmodi repertos indefesso labore literis imbuendo, brevi effecit; ut singulis provinciis Episcopi præficerentur, si minus excellenti doctrina, attamen ad tantum munus cum laude gerendum habiles, & sufficienter instructi.

Rex subditis instruendis operam dat.

61. Verum

[a] Extat Sancti Neoti vita in bibl. Coll. Magd. Oxon. à quodam Gulielmo Ramsy Monacho Crowlaudensi circa annum Domini 1360. versibus, sed puerilibus conscripta. Et ab ipso hausisse videtur Capgravius (qui claruit anno 1464.) quæ de eodem edidit. Sed cum in scripto illo neque historiæ veritatem, nec poematis elegantiam, nec doctrinæ religiosæ (quam tamen unice videtur affectasse) dignitatem est assequutus; non tanti illud æstimamus ut lucem conspiciat. Adulphum Cantii Regem, unum è Tetrarchis hujus gentis Sancti Neoti unicæ sobolis patrem fuisse asserit. Cui errori ut medeantur aliqui, dicunt ipsum fuisse filium Æthelwulphi ex Juditha natum. Neotum vero juvenem Glastoniæ Monachi habitum induisse sub Abbate Dunstano, qui etiam Archiepiscopus Cantuariensis Abbas tamen ibidem remansit. Multa hujusmodi, ab omni verisimilitudine aliena lector, qui volet, in illo scribillatore reperiet. Vitam autem Sancti Neoti ab Asserio citatam extare non credo. Verisimillimum est, quod è Jo. Angl. citatur, ipsum fuisse è prosapia Regia *East-Anglorum*, & ad *West-Saxonas* studiorum & devotionis gratia concessisse.[a] Primumque Monasterio *Glastoniensi*, postea in *Cornubia* loco quodam minus frequentato devotioni operam navasse, ibique ab Ælfredo sæpius visitatum, & inde ab ipso ad Evangelii prædicationem, bonarumque literarum, maxime vero Theologiæ, promotionem eductum. Hujus tum instigatione, tum auxilio Rex *Oxoniæ* Literarum studium de novo reparasse dicitur. Qui post quadriennium ibi peractum anno sc. 890. immortalitatem ingressus est; decem scilicet annos ante obitum Ælfredi.

[a] Author

Et libris tra-ducendis, 61. Verum quoniam digni fedibus Epifcopi non ultra ætatem durant; & ut ut eruditione fpectabiles haberentur, incertum tamen erat, an iis defunctis, pari dignitati habiles reperirentur fucceffores; igitur ut incertis temporum eventis obviam iret, Rex aliquos libros, maxime Ecclefiafticis ufui futuros, Saxonice verti optimum factu judicavit; adeoque libros illos Epifcopis & Clericis continuo transferendos commifit. Ipfe vero inter alios *Gregorii Paftorale* de Epifcoporum & Presbyterorum officio vernacule tranftulit. ejufque exemplaria, quæ compluria defcribenda curaverat, circum fingulos Epifcopales provincias, fingula dono miffa, penes ipfas affervari juffit. Hoc confilio, ut fi forte confimili temporum iniquitate impofterum Ecclefiaftica beneficia in viros indoctos linguæque latinæ ignaros conferri contingeret; nihilo fecius extaret vernacule, unde quæ ad paftorale munus & onus gerendum fpectant, haurirentur; uti amplius patet ex præfarione Paftorali Gregoriano præfixa, quam *Wolfsigo Londinenfi* Epifcopo infcripfit. Hnjus ordinem (ad verbum fere de Saxonica Epiftola expreffum) hic cernere licet, ipfam autem Epiftolam, ficut extat Saxonica, una cum aliis nonnullis eodem fpectantibus, ad calcem libri, mantiffæ loco, fubjeci.

(Teftante ejus Epiftola ad Wulfsigum) 62. Ælfredus Rex Wulfsigo Epifcopo fibi caro & dilecto S. certiorem te facere volui, quam fæpe mihi in mentem veniat, quam præftantes fapientia viri paffim tota gente Anglica tam Clerici quam de fæculo pridem extiterint, quamque felicia iftius ætatis tempora univerfis Anglis fuerint. Utque Reges, qui tunc populo præeffent, Deo fcriptæque ejus voluntati paruerint; & quam bene rem gefferint belli, togæque; domi vero rectæ admiuiftrationis gloria quam late diffufa fit, utque fcientia & fapientia profecerint. Etiam facris ordinibus initiati quam diligentes fe præbuerint; tam in docendo quam difcendo, nec non circa omnem cultum divinum: utque tunc viri peregre adventantes fapientiam & doctrinam in his terris quæfitum huc fe contulerint: nunc autem nobis eandem petituris in externas oras eundum fit, fi eam confequi velimus. Adeo rem literariam inter Anglos collapfam effe, & pauci admodum cis *Humbrum* reperti fint, qui Liturgiam Anglice interpretari fcirent, aut Epiftolam Latinam vernacule redderent. Nec, opinor, multi trans *Humbrum*, qui id poffent, extiterint. Apud nos fane adeo pauci fuerint, ut mihi mecum illud recolenti, quo tempore Regnum aufpicatus fum, ne unus quidem fubeat. Deo omnipotenti gratias, quod quifquam hodie Cathedram impleat. Quapropter obfecro te, ut facias (quod etiam te facturum mihi perfuadeo) ut fapientiam illam, quam Deus tibi contulit, omnibus, quibus poteris, quaquaverfum impertias. Cogita quid fupplicii vel in hoc fæculo nos manfurum fit, qui neque ipfam fapientiam dileximus,

dileximus, neque aliis post nos reliquimus. Christianorum inani modo nomine gloriati, pauci admodum officia implevimus. Cum hæc omnia recordarer, videbar etiam videre (priusquam omnia rapinis & incendiis vastata sunt) ut omnia gentis Anglicanæ templa libris quidem & donariis abundarent, permultos vero Dei servos parum admodum fructus ex iis libris etiam illo tempore percepisse, quos nequaquam intelligerent, cum vernacule scripti non essent, cum (ut nobis dixerunt) antecessores nostri, qui hæc loca ante nos occuparunt, literis studuerint, indeque scientiam reportarunt, quam etiam nobis tradiderunt. *H*ic etiamnum eorum industriam cernere est, inspicere autem non datur, quia tum scientiam tum sapientiam amisimus, quibus quærendis animos submittere recusavimus. Cum hæc animo versarem, magno quidem opere miratus sum hos viros pietate & sapientia insignes, qui tota Anglia sparsi libros illos omnes perdiderant, nullos tamen ex illis in linguam vernaculam transtulisse. Verum cito mihi dilui objectum, & reposui nunquam illos opinatos, fore, ut homines eo negligentiæ prolaberentur, aut bonæ literæ eo usque deficerent: hinc illos hunc laborem missum fecisse, ratos tanto plus sapientiæ inter nos futurum, quanto plures intelligeremus linguas. Deinde mecum revolvi legem primitus *H*ebraice scriptam reperiri. Postea vero à Græcis perceptam etiam integram Græce versam, ut & alios omne genus libros. Deinde & latinos recens cognitum per interpretes peritos vernacule transtulisse. Consimiliter omnes omnino populos Christianos partem ejus aliquam saltem in suum ipsorum sermonem vertisse. Quapropter consultius mihi videtur, si vobis eadem sit sententia, nos quoque libros aliquos, qui omnibus intellectu maxime necessarii existimantur, in linguam nobis vulgarem vertere. Insuper etiam efficere (quod ope numinis, si quies contigerit, haud magno negotio fieri poterit) ut omnes Anglorum liberi (quibus modo suppetant opes ad sumptus præbendos) præceptoribus instituendi tradantur. Ut dum nihil sublimius capere possint, prima rudimenta in scriptis Anglicanis distincte legendis ponant: deinceps ulterius ad latinas literas addiscendas suos promoveant, si qui promotos volent, & ad superiorem gradum destinant. Cum mecum memoria repeterem Latinæ linguæ scientiam aliquam diu jam in desuetudinem abiisse, licet complures Anglice legere scirent, statim accinxi me inter varia & compluria hujus Regni negotia librum hunc qui latine Pastoralis [curæ] inscribitur, Anglice vero **the Heardsmans booke**, vernacule transferre. Quandoque ut verbum verbo respondeat, alias sensus sensui. Quemadmodum ex Plegmundo Archiepiscopo meo, ex Asserio Episcopo meo, & Grimbaldo Sacrifico meo, & Johanne pariter Sacrifico meo, didiceram. Ab his igitur edoctus eum. tractatum qua ratione optime intelligerem, Anglice verbi & ad

uniuscujusque Episcopi sedem per totum, qua patet, Regnum singulos deferendos curabo. Quibus singulis stylus adjicitur, qui valet quinquaginta marcas. Per Deum autem adjuro ne quis stylum his libris deripiat, neque librum Antistiti. Quando nobis haud constat quamdiu perseverabunt Episcopi tam docti, quales hodie (Deo gratias) ubique superant. Quocirca velim pluteis usque fixos inhærere, præterquam si quando penes se Episcopus habere velit, aut si quo tantisper commodentur, dum aliud ex iis describatur exemplar.

Scholisque fundandis,

63. Prologus hic multa in se continet notatu perquam digna. Præcipue vero in eodem contemplari licet fervidum Regis studium in Religione instauranda, vera Dei cognitione, cultuque reducendo, & in felicitate populi promovenda. Sed cum in hisce adeo caute præstandis illud tantum provideret, ut non omnino fine suo frustraretur, etiamsi quid accideret, quo minus consummatius illud opus, quod animo moliebatur, ad optatos exitus perduceret; prout ex præfatione ipsa abunde liquet. His igitur, quanta potuit celeritate, confectis, ad id quod potissimum destinabat, contendit; ut scholas scilicet perpetuas, & doctrinæ seminaria duratura conderet; unde velut ex penu inexhausto virorum ab omnibus scientiis tam divinis quam humanis in omnes Reipub. usus idoneorum copia domestica jugiter suppeteret. Adeoque in diversis Regni partibus (uti videtur) ludos literarios juventuti erudiendæ curavit aperiendos; cum in proœmio modo recitatæ epistolæ edicitur, ut omnes ingenui, quibus modo pecuniæ ad impensas erogandas suppeterent, liberos literis instituendos curarent. Verum ut amplior & omnibus numeris absoluta literatura proveniret, universale studium publicæ Artium & scientiarum professioni consecrare statuit.

Et Universitati Oxoniensi

64. His de causis *Oxonium* in Universitatis sedem, potius quam aliud quodvis de Regno *West-Saxoniæ* oppidum præoptavit. Quo facto Regia prudentia duplici commodo Reipub. necessitatibus prospexisse videtur. [a] Quando enim tractus ille terræ, qui in collimitio Regni

Merciæ

[a] Author Illustrissimus, ne videretur Rex *Oxonii* Universitatem renovasse potius, quam de novo condidisse, hanc affert consilii Regii, prout ipse conjectatur, rationem: quæ, utconque ipsi probabilis videretur, certe secum male cohæret. Verum nec deerant optimæ considerationes iis, qui Musarum domicilia ibi primitos construxerunt, vel à *Crekelada* transtulerunt. Veluti regionis circumjectæ amœnitas & salubritas, soli stupenda fertilitas, omniumque victui humano necessariorum abundantia mirabilis, ædificiis materia omnis necessaria in procinctu & ad manum, fluviorum piscosissimorum copia & jucunditas. A *Londino*, & à Regni umbilico justum utrinque intervallum. Nescio tamen an ista sufficerent Regi nostro movendo, ut extra charam sibi *West-Saxoniam*, tam prope à loco natali (à *Wanatinga* enim vix decem miliaria distat *Oxonium*) sicut nec à *West Saxonum* ditione nisi fluminis latitudinem, in solo (ut ita dicam) alieno publicum hoc studium institueret. Non sibi deerant apud suos loca satis idonea; charum Progenitoribus suis domicilium *Abendonia*, sedes antiqua Episcopalis *Dorcestria*, aliæque *Oxonio* urbes utique vicinæ. Si Rex securitatem à Danis Northumbriæ & East-Angliæ respiceret; erant *Northamptonia*, *Warwicum*, *Bedfordia*, præter alia multa oppida meditullio insulæ propiora. Ægre idcirco conjectari possumus, cur hic potissimum *Academiam* instituendi cogitationes Rex noster conceperit, nisi loci Genium studiis assuetum, urbemque jam paratam, domos, hospitia, Scholas, Ecclesias, omnia denique ab antiquo tempore aptata & idonea reperisset. Adde quod ipsa antiquitas non nihil gloriæ addidisset; & Musæ æque ac omnia alia, notis, consuetisque

habitaculis,

Merciæ positus, fere desertus jaceret propter vicinos Northumbros, East-Anglosque Danos; Rex, Academia istic condita, tam frequentandis istius terræ Regionibus vastis (convenarum numeroso cætu illuc aggregato) quam literis denuo revocandis, consuluit. Etenim *Oxonium* in extrema *Mercia* situm locus fuit maxime remotus, in quo studii Universalis sedem satis tuto desigere poterat. Quoniam si in partes remotiores contulisset, sive ad Aquilonem, sive ad Ortum, aut in territorium Danicum (veluti *Cantabrigia*) necessario incurreret, aut saltem nimium malis vicinis iisdem offenderetur. Adeoque eorum incursionibus opportunum esset, cum ab Rege suppetias allaturo nimio plus abesset. *Oxonii* igitur *Academiam* Rex constituit. In qua condenda, non ille earum sequutus est exemplum, quas aut prius audiverat, aut alibi viderat; sed eximia quadam animi solertia contemplatus quid ad finem, intentionemque suam maxime conduceret, non tantum perpetuo honorario prosequutus est Professores, qui diligenter prælegerent spontaneis modo auditoribus, qui suo se sumptu alentes ad arbitrium in literarum studio durarent, verum tam Doctores quam discipulos, munificentia sua complexus, eosque pro diversis facultatibus in tria Collegia partitus, alumnis circiter octuaginta, reditibus in omne ævum duraturis, providit. Hos ut tam moribus quam doctrina cultiores redderet, in Contubernia sub certis legibus compulit; iisque præcepit, ut quotidie aut precum faciendarum vices obirent ipsi, aut iisdem faciendis interessent, antequam ad reliqua studia se conferrent. Qui mos etsi hodieque in *Academiis* nostratibus religiosissime observetur, neque tamen hic semper obtinuit; neque in omnibus transmarinis Academiis adhuc receptus est. Ideoque notatum ab *Edvardo Higgons* comperimus (neque is autor plane hesternus) velut eximium quoddam decus, quod huic Ælfredi Regis *Academiæ* peculiariter competeret. Et extra controversiam (ut homines ingenio sumus proclivi ad ea imitanda, quæ priores recte recogitarunt) insequentes Collegiorum conditores utriusque *Academiæ* Ælfredum æmulati, dum studiosos ad communiter vivendum sub idem tectum cogunt, & severiori disciplina tam moribus eorum excolendis quam doctrinæ promovendæ cavent; effecerunt ut *Academiæ* nostrates ad reliquarum omnium invidiam hodie florescant. Etenim externæ pleræque *Academiæ*, quantumvis erudiendæ juventuti optime prospexe-

MS. l. 6. c. 8. Et cum abunde in eisdem suppeditentur facultates, communiter vivunt; ac quotidie mane aut sacris operam dant, aut intersunt, priusquam ad studium aggrediantur, habentur hæc etiam apud Polid. Verg. p. 107. l. 5.

habitaculis, acquiescunt & delectantur. Sed & urbis ipsius amplitudinem & celebritatem spectare poterat. Neque enim nudæ sunt conjecturæ, quas amicissimus & eruditissimus Dr. Robertus Plot pro antiquitatis & celebritatis hujusce urbis testimonio attulit. Viæ nimirum publicæ huc tendentes, nummi Britannici frequenter effossi, Regiæ in vicinia habitationes, locus denique negotiosus. Neque prætereundum est, Quod Eadwardus Ælfredi nostri tam fortitudine & prudentia, quam natura & educatione filius, cum totam Merciam sorori suæ charissimæ regendam contulerit, Londinum & Oxoniam tanquam sorores, vel aliquo modo suppares, sibi suæque curæ quasi filias reliquis intimiores, deliciasque suas immediate reservavit.

ª Qualis

prospexerint, eidem tamen regendæ parem diligentiam non adhibuerant, neque revera adhibere poterant. Studiosi enim de suo fere victitantes propemodum sui juris severius imperium omnino respuunt. Inde fit, ut istarum *Academiarum* alumni plerunque adeo dissoluti & petulantes sint, ut pluribus in locis vel ipsi Religioni notam inurant, ipsum vero scholarium nomen ignominia afficiant. Quod ad ædificia attinet, ipsaque latifundia, quibus dotata est *Universitas*, qualia, quantaque fuerint, dabitur alias dicendi locus, ubi de Regis magnificentia verba faciemus: hic loci nihil amplius commemorabimus quam quod ad Remp. ordinandam, & recte administrandam faciat.

Militiam ordinat.

65. Ut autem Rex civilibus legibus Remp. & Ecclesiam salubribus institutis ordinavit; ita pariter belli & armorum & jura & usum inter suos stabilivit, adeo ut grandes sub ejus imperio progressus disciplina militaris fecerit. Quod si singula circa hanc rem ab ipso constituta salva ad nos usque pervenissent, non est dubitandum, quin ipsius gloriæ, posterorum vero delectationi (æque ac utilitati) materiam abunde suppeditassent. Cum autem hæc ordine tradita non compareant, haud obscura nihilominus vestigia produnt, eum multa hujus generis, nec pœnitendo successu, perfecisse. Nam (quod antea perstrinximus) singulis *Comitatibus* singulos Præfectos aut Tribunos præfecit; militum in unoquoque *Comitatu* numerum iniit; quorum aliquos instar militiæ præsidiariæ, castellis & arcibus recens à se extructis custodiendis attribuit; reliquos vero occasionibus subitis belli occursuros bipartito distribuit; adeo scilicet ut aliquibus certo militiæ tempore defunctis, deinde reliqui (si usus veniret) domo exciti in vices succederent. His item omnibus præfecit quem *militiæ Principem* appellat; cui secundum Regem summa imperii militaris competebat. Quo nomine Rex ipse in supremis tabulis *Æthelredum* generum suum, *Merciæ Comitem*, diserte vocat: ut qui munus istud illo tempore exercuisse videatur.

Prætores sive Præsides provinciarum constituit.

66. Nec probabili caret argumento, præter illos, qui artem bellicam professi ordines ducerent, Regem insuper, quo copias subsidiarias in promptu semper haberet, etiam alios constituisse, quibus Regni provincias adversus irruptionem *Danorum* custodiendas, committeret. Fuerunt hi viri principes magni nominis, fidei, & existimationis apud Regem; qui, cum domi quisque suæ inter populos sibi concreditos ætatem agerent, potestate quadam majori instructi erant, ad eos tumultus sedandos, quibus compescendis præsidiarii milites non sufficerent, adeoque Regionem ab omni parte salvam præstarent. Talem fuisse legimus *Ceolmundum* Comitem *Cantianis* prætorem datum; *Rhoffæ*, *Swithulphum* Episcopum; *Essexiæ*, Comitem *Brithulphum*; *Londini* Comitem *Æthelredum*; *Dorcestriæ*, *Halardum* Episcopum;

Mat. westm. Godw. f. 337.

Sussexiæ,

Suffexiæ, *Eadulphum*; *Wintoniæ*, Episcopum *Bertulphum*; item alios complures certis in locis, utcunque nobis de nomine parum innotuerint. [a] Aliud indicium juris militaris ab ipso conditi Malmsburiensi debetur; qui de eodem sic ait: *Ille inter stridores lituorum, inter fremitus armorum, leges tulit, quibus sui & divino cultui, & disciplinæ militari assuescerent.* Nihil autem ad hanc laudem aut astruendam, aut exaggerandam validius adduci potest, quam ipse hujus disciplinæ successus, & res bene gestæ, prout supra demonstravimus. Quippe *Dani*, qui sub initia Regni ejus insula excesserant, non tam indigenarum formidine, quam popularium subinde adventantium multitudine (verentes scilicet ne tot consortibus satis prædæ non suppeteret) postquam per plures annos perpetuos maximam *Galliæ* partem populationibus fere devastaverant, & proculdubio peritiam armorum longo peregrinæ militiæ usu sibi pepererant, huc denuo reversi cum & tuto expositi essent, & castris communiti; tamen adeo levi negotio castris exuti, & trans mare rejecti sunt; ut plures milites conscribendi civibus necessitatem non imponerent, quam qui de *Comitatibus* appulsûs eorum loco vicinioribus, in armis tumultuarii accurrerent. Imo indigenæ, quod optimum factu esset, ipsi per se ita exploratum habebant: eoque fiduciæ processerant in rebus ordine, cui insueverant, gerendis; ut quos ante pigros & trepidantes multis ad certamen incitari & impelli oporteret, jam è contra adeo alacres evaserant, ut vix inhiberi possent, quo minus in hostes etiam injussu Ducis impetum facerent. Ipsi autem hostes ex diverso, qui prius iis terrori fuissent, nunc ludibrio fierent.

67. Sed non opus est multis demonstrare disciplinæ accuratioris necessitatem; sine qua scilicet res tantas efficere, totque bella ad exitum perducere fuisset impossibile. [b] Penes lectorem arbitrium esto, qui modo, quæ superius ostendimus, recordabitur. Rege & Saxonibus non oppressis modo, sed & propemodum extinctis, terra fere civibus viduata, hostibus autem infessa, tam infinitam multitudinem jugiter repullulantem quomodo poterat tam exigua hominum manus, non sustinere tantum, sed etiam superare absque cognitione armorum perfectissima? Et certe si illius disciplina ad Romanam severitatem composita

[a] Qualis forte erat Edredus. Dux Devoniæ, uno mense ante ipsum Regem defunctus, qui cum eo fidelis & fortis bella gesserat multa. Bromp.

[b] De Ælfredi in militia rebus gestis audiatur Hardingus.

And in the yeare 800. 80. and eighteen
Then Alvrede this noble King so dyed
When he had Reigned XXIX. yeere clene
And with the Danes in Batayle multiplied
He Faught often as Colman notifyed
In his Chronicle, and in his Cathologe
Entytled well as in his Dyaloge.

That fifty Battails and six he smote
Sometime the worse and sometime had the better
Sometime the Field he had at his note
Sometime he Fled away, as saith the Letter,
Like as Fortune let his cause unfetter
But nevertheless, as oft when so they came
He contred them, and kept the Land fro shame.

 a Sexagensis

composita fuisset; si milites sui veteranos Cæsaris virtute æquassent; si denique ipse Ælfredus in belli administratione Cæsar alter fuisset; satis, superque negotii haberet adversarios numero superiores, armis instructiores, prœliis exercitatiores, subigere primum, & demum à patria expellere. Eoque magis, quod domi militans tanto deteriori, quam Cæsar, conditione bellaret, quanto facilius est cum paucis numero militibus in alienos labores incurrere, raptoque se alere, quam civibus paucis, primo victum quærere, deinde tum se, tum labores suos; adversus hostem longe numerosiorem & undiquaque imminentem tueri. Quam sane rerum difficultatem subindicare videtur illa militaris constitutionis clausula, qua cavit; quod ubi delectus haberetur, puberes ex media saltem parte domi relinquerentur; procul dubio qui operibus agrestibus vacarent. Quippe id temporis iidem necesse habuerunt, & militem, & artificem, & agricolam præstare; tum qui hostium invasioni prompte & celeriter occurrerent, tum socios suos militia fessos tempestivo subsidio integri exciperent.

Classem instruxit

68. Neque vero terrestribus tantum copiis amplificandis operam dare contentus est; etiam navali militiæ animum adjecit, eamque mirifice excoluit. Primus omnium classem, quæ gentibus exteris terrori esset, in hæc maria diduxit: Primus imperium maritimum auspicatus est; & navalibus præsidiis populo incolumitatem, atque gloriam sibi peperit. Quippe cui naves erant non tantum numero omni oræ maritimæ custodiendæ sufficientes, verum etiam ad eam formam, modumque fabricatæ, quæ reliquas omnium naves, quotquot unquam maria infestarunt, facile superarent.

(Quales vero fuerint naves non adeo facile concipitur)

69. Quis vero illarum modus, vel forma fuerit, utrum nostrates hodiernas, an antiquorum actuarias referrent, neque satis constat, neque id mihi definiendum sumam. Verum non unimodi fuisse, quin & aliquæ ab nostratium, aliæ ab longarum navium forma propius abesse videbantur. Quasdam etiam earum ex ipsius Regis præscripto singularem in modum ædificatas fuisse jam ante demonstravimus. Unde non temere colligas, easdem naves & longas & actuarias fuisse (remis enim plus quam quadragenis [*] singulæ agebantur) etiam altero tanto longiores, altero tanto celsiores, altero tanto velociores atque quævis ex hostium navibus, & quæ inter velificandum minus labarent.[*] Quomodo autem factum sit, ut eo altitudinis consurgerent,

H. Hanting.

[*] Sexagenis inquit Chron. Sax. sed præstat integrum locum apponere, ad an. 897. Dani usi sunt longis, quæ ipsi ante plures annos extruxerunt. *Tum mandabat Ælfredus Rex longas naves adversus ista navigia extrui, quæ erant duplo iis longiores, quorum aliquot sexaginta remos, plures aliquot continebant. Erant autem tum velociores, tum stabiliores & firmiores, tum quoque altiores. Neque inter Fresonas, neque inter Danos fabricabantur, sed prout ipsi Regi visum est.* Naves Rex fabricavit, quas Ciulas sive Galeias nuncupant. Floril. f. 179.

[*] Gradu

surgerent, quæ Danicarum navium fastigia geminaret; cum interim non velis tantum, sed & remis impellerentur, haud facile conjecerim; nisi quo laxius reciperentur milites, & commodius præliarentur (omnis autem illa pugnandi commoditas in stataria pugna, quæ confertis navibus tunc fieri solita, ab eminentia loci omnino pependit) nisi, inquam, fori, per quos dispositi remiges transtris insederunt, superiori tabulato consternerentur; unde telis gravius adactis hostes è superiori loco obruerent. Aliter enim illa ipsa altitudo, quantum commoditatis inter pugnandum attulisset, tantum ad celeritatem remigandi obfuisset. Firmitas autem, & æqnale libramentum magnitudinis, ingentisque capacitatis indicio est. Unde sequitur etiam carinas altius fuisse immersas; quod etsi velocitatis esset impedimentum (majoris enim corporis motus sunt tardiores) hoc tamen incommodum emendavit major remigum numerus, qui tanta carinæ longitudine commode insederint & remigarint. Si cui vero hæc sententia magis perplexa videbitur; lector, si velit, reputet altitudinem, quæ memoratur, tantum ad puppium, non vero laterum, celsitudinem referri oportere. Adeo ut veterem Venedicorum navigiorum formam quodammodo retulisse existimemus. Quarum puppium altitudo, ubi cum iis Cæsar navali prælio conflixit, etiam excitatas in Cæsarianis navibus turres superabat. Istæ autem Venedorum naves remis non agebantur, sed pellibus in modum velorum expansis; hæ vero Ælfredi vel remis tantum, vel iis præcipue, impulsæ sunt.

Quod si libeat ulterius disquirere Saxonici navigii formam; Tacitus memorat *Suiones* (ea gens *Suevorum*, quemadmodum & *Saxones*) navigii forma rudi sane & infabre facta in *Sinu Codano* usos, quod à prora & puppi celsius consurgeret; & cujus utrinque prora paratam semper appulsui frontem ageret. Remorum quidem vi subigebantur, sed eorum non ordinatim fixisque scalmis adactorum, sed hinc vel illinc, ut res poposcerit à prora ad puppim, aliamve quamvis navigii partem pro tempestate mutabilium; quod etiamnum apud nos in scaphis & Lintribus factum cernimus. Naves hæ quidem in omni profectione tardiusculæ, quamvis Tacitus *Suiones* classibus valere, tradat. Utrum *Saxones* in hujusmodi navibus huc trajecerint, formamve à majoribus traditam retinuerint, an ipsi commodiorem hic adinvenerint, aliis discutiendum relinquam. Ad argumentum, quod instituimus, conficiendum abunde erit, demonstrasse; quod classem Rex, quæcunque ea demum ante sui regni initia fuerit, & numero & mole firmiorem, & ipsa ædificandi forma ad pugnas habiliorem reddiderit, quam acceperat.

De moribus German.

Præter viros & arma, classibus valent, de mor. German.

Etiam naves commercio usitatis commodiores comminiscitur.

quod quivis in hoc seculo miratur.
Malms: de gestis Pontif. l. 2.

70. Neque vero Rex naves ad pugnas tantum utiliores, sed ad cursum etiam expeditiores, & ad commercia facienda commodiores instruxit. Adeo ut voti solvendi causa Eleemosynas ad *Indos* usque *Orientales* navibus transmiserit; magna non istius modo seculi, verum etiam feræ posteritatis admiratione. Unde & nostris mercibus commutatas gemmas, aromata, & reliquas Orientis delicias nostro orbi nunquam ante cognitas ei reportarunt.

Et Ochtherum investigandæ breviori ad Indos Orientales Navigationi versus Euro-Aquilonem adhibet.

71. Quo magis autem Regii cordis amplitudo vere principalis, & omnibus numeris Augusta dignoscatur; extat (uti à fide digno accepi) in Cottoniana Bibliotheca Commentarius satis antiquus de itinere, quod *Octherus* quidam natione *Cimber*, Regis Ælfredi rogatu confecit. Quo scilicet exploratum haberet, an versus ortum Aquilonarem Navigantibus ad *Indos* Oceanus esset omnino pervius. Hunc ut viderem aliquantisper operam dedi; cum autem duo, triave folia non excederet, accidit ut chartis, libellisque forte alio translatis, nec in certum, justumque ordinem restitutis, omnis mihi spes assequendi quod quæsieram in præsens concidit; donec schedæ denuo recognitæ in ordinem debitum reponerentur. Quid in hoc commentariolo traditum sit, ignoro. Minimum certe quod in eo contineri suspicer, apponam; illud scilicet, quod jam pridem de *Octhero* publicatum est per *Hacluitum* & *Purchasium* nostrates in Collectaneis suis navigationum, & remotarum regionum navibus lustratarum. E quibus illud certe constabit; Ælfredum inter varios cujusque sortis homines, quos undiquaque arcessiverat, virum quendam secum habuisse in arte nautica peritum atque strenuum; quem ne forte opinemur ad Regem casu delatum, talemve, qui eventus suos recitando admirationem aut voluptatem captaret auditorum, ex ordine narrationis observare licet; *Octherum* non temere sed sponte atque consulto huc advenisse; idque eo animo atque consilio ut à Rege (quem istiusmodi studiis ac conatibus impense favere audierat) incitamentum & emolumentum aliquod sortiretur. Regiæ igitur voluntati & consiliis seipsum laboresque suos libenter largitur; ut opera sua uteretur vel ad ignota locorum exploranda, vel magis ad *piscaturam*, quæ *Cetaria* dicitur, exercendam. Pergit eadem ista narratio, & Ælfredum non solum velut *Octheri* Dominum atque principem memorat; verum etiam ostendit *Octherum* ab oris recens investigatis huc reversum Hippopotamorum dentes quosdam Regi muneri detulisse. Sed præstat ipsam historiam Saxonice primo exaratam breviter describere. Ea vero, quantum ad rem nostram facit, sicut ab editoribus translata extat, hujusmodi est, quæ sequitur.

72. Octherus ait; terram, quam incolit, Halgolandiam appel-

lari.

lari. * Octherus Domino suo Regi Ælfredo dixit, se Normanniorum reliquorum omnium proximas Boream sedes habere. Dixit etiam se incolere ad terrarum maxime Aquilonarium littus Occidentale. Idem asseverat terram, quamvis longissime in Septentriones porrigatur, desertam tamen jacere, nec usquam ab incolis teneri; præterquam perpaucis in locis, ubi Finni perpauci hic illic sparsi maris oras accolunt; qui hyeme ferarum, æstate piscium captura, se alant.

Quis fuerit ille Octherus.

Ait se quondam incensum cupiditate explorandi quousque Aquilones versus continens se porrigeret; à sede sua recta ad Arctos oram legisse; ita ut à dextris terram desertam, à sinistris vero vastum Oceanum, semper haberet; eundemque cursum triduo adhuc delatum ad partes æque boreales evasisse, atque ii fere solent, qui ad balænas capiendas proficiscuntur. Inde progressum itidem boream versus, quantum itineris altero triduo conficere potuit, tandem senserat vel terram ad ortus reflexam, vel mare sese versus continentem aperuisse, quam longe nescire se dixerat: illud vero, scire & commeminisse, ibi se coactum expectasse donec venti ab Occasu & partim à Septentrione spirarent. Tunc autem versus Ortum litus adlegisse, quantum potuit quatriduo, sub cujus temporis exitum, coactum se asserit rursum operiri quoad Boreas ventus flaret; tum autem reperisse oram maritimam inde recta versus austrum reflectere, vel saltem Oceanum in Continentem se infundere, & quo usque quidem se ignorare. Inde secus oras in Austrum perpetuo quinque dierum cursum divexit: ibi sub quinti diei exitum amnem ingentem conspexit, qui in terras longissime penetraret. Ejus ad ostia substitisse, cursumque demum se retro flexisse asserit: neque enim ausum flumen subire metu incolarum; cum terras intra amnem colonis frequentes cerneret. Quæ primum illi Regio, postquam domo excesserat, culta reperiebatur; quando proficiscenti ab dextris semper vastæ solitudines (nisi forte alicubi pauculos piscatores, Aucupes, aut Venatores ex gente Finnorum conspexisset) ab sinistris vero per totum iter, apertus Oceanus illi visus fuisset. Dixit Biarmios quidem multa secum fabulatos tum de patria ipsorum, tum de vicinis gentibus. Interim se neque certo nosse, neque quicquam pro comperto traditurum, quando terras eorum ipse non attigisset: id tantum opinari tum Finnos, tum Biarmios una eademque lingua uti. Ipse autem præcipuum in ista profectione spectabat,

* Gradu lat. 66. inquit Hackluitus (p. 235.) ipse autem periplus, sicut & alius Uulstani, Anglietiam, ut videtur, & Ælfredo subditi, Maris Baltici, extant in capite primo Orosii: quem Rex noster Saxonice reddidit, sed proprio usus judicio, hic enim plurima addidit, alibi etiam omisit. Quum vero videantur Hackluitus & Purchasius (è quibus verbotenus hæc transcripsit clarissimus Author) aliis exemplaribus usi fuisse, in nonnullis enim differunt ab Orosiano nostro, melius duximus, hanc relationem ex Orosiano codice integre inter Appendices rejicere.

ftabat, ut oras & Regionum iftarum tractus exploratos haberet, quo commodius Hippopotamorum pifcatio exerceretur: quorum dentibus infunt offa, quæ magnô in honore & pretio apud fuos habentur. Horum ille reverfus nonnullos dentes Regi dono dedit. Pelles etiam eorum ad rudentes conficiendos imprimis valent: eumque in ufum adhibentur.

Hoc belluæ genus reliquis cetaceis, molem fi fpectes, longe minus eft: cum vix ultra 7. ulnas excrefcat: Balænas vero ordinarias afferuit in mari, quod patriam fuam alluat, & plurimas, & optimas, & facillime capi: quarum quædam 48. nonnullæ 50. ulnas longitudine adæquent. Harum, qui Sexagenas triduo interfecerit, ipfe fe Sextum fuiffe affirmabat. Vir fuit prædives opum, quæ iftic loci æftimantur. Quo tempore ad Regem venerat, 600. domitos Cervos, iftius generis quos Rangiferos vocant, domi creatos habuit; ideoque inter fuæ gentis Principes habebatur. Neque idcirco illi plufquam 20. boves, totidemque fues erant. Quantum autem agri culti habebat, id omne equis coluit. Opes illis præcipuæ conftant ex cenfu, quem iis Finni pendunt. Quales hæ funt, ferinæ pelles, avium plumæ, balenarum offa, & armamenta navium, ex belluarum aut phocarum pellibus confecta. Unufquifque folvit, &c.

Artes mechanicas & manuales fovet.

73. Poftremo Rex fecum reputans, quantum regno detrimentum contigerit inopia artificum & fabrorum, æque ac eorum, qui magis ingenuas artes profeffi funt; homines ejufmodi undiquaque ad fe arceffivit. Adeo ut cum per alias gentes publicaretur, quid requireret, qualique munificentia ufus effet verfus eos, qui quavis facultate pollerent, ad Aulam ejus cito convolarunt omnium ftudiorum advenæ; Galli, Franci, Aremorici, Britanni, Germani, Frifones, Scoti, Cambro-Britanni, aliique plurimi; quos dum Regia benignitate, pro fuis quemque meritis, excepit, eadem opera patriam civibus in omni Artium genere peritis inftruxit. Illiufque eorum ope inftructæ defectus ac fquallores plenius atque maturius deterfit ac fupplevit; quam tantulam unius hominis vitæ portionem unquam fuiffe effecturam quivis arbitraretur.

In omnibus fuis negotiis prudentium opera & confilio utitur

74. Quamvis autem in omnibus, quas unquam geffit, rebus, primus operi manum admoverit; ipfiufque genius (velut Apollo inter mufas) toti negotio præiverit, atque modum pofuerit; gnarus tamen in variis Reipub. Momentis æque multorum folertiam atque virtutem requiri, junctifque confiliis res non tutius modo fed & expeditius atque maturius procedere; confuevit ille, quoties ufus venerat, examine fcrupulofo & accurata difceptatione, pro rei magnitudine interpofita, fententiam eorum expifcari, quos fibi in concilium adhibuerat, quofque jure dixeris à *fanctiori Concilio*, licet illo nomi-

ne

ne nondum appellatio illa innotuerit. Hoc autem pro diversis reipublicæ negotiis duplex fuit.

Quot in bina Concilia cogit; primum publicum sive Regni & status;

75. *Prius magnum* illud *Regni Concilium*; ubi (de more tam antecessorum ex West-Saxonia, quam omnium Saxonicæ Heptarchiæ Regum) consultabat de legibus ferendis; de legando atque disponendo patrimonio, quod ex ejus Testamento cernere licet; item de cæteris ordinandis, quæ ad Reip. moderamen pertinent. Huic aderant *Episcopi* universim, *Comites*, provinciarum *Præfecti*, *Judices* Regii, & præcipui *Baronum* (ita *Thanos* intepretari fas) qui latifundia beneficio Regis essent sortiti.

Alterum secretius.

76. *Alterum* (quod *Concilium interius* vocare liceat) ex iis constabat, quibuscum semper consilia inibat, seorsim de rebus secretioribus, magisque arduis: ibique negotia prius accurate pensitabat, quam ad superius illud Concilium referrentur. Hi fuerunt *Episcopi* quidam delecti, *Abbates* & *Monachi*, quos supra memoravimus; omnes vero, ex ordine *Clericorum*; qui cum sapientiæ, literarum & probitatis gloria cæteros antestarent, iis nominibus (uti Chusai apud Davidem) in amicitiam & interiorem Regis fiduciam recepti per eundem consulebantur, prout sua quemque facultas Regi utiliorem redderet. Non quod nomine *secretioris Concilii* tunc dicerentur, neque enim id temporis munus aliquod peculiare, seu provincia credita est hujus officii procuratio: Sed qui plurimum apud Regem gratia potuere, cum ad manum perpetuo essent, uni præter cæteros sunt adhibiti, quibuscum in causis majoribus consilia conferret.

Præter ea etiam ad majora Regis negotia Parliamentum

77. Cum hoc modo singulis sive defectibus sive vitiis in Repub. deprehensis singula remedia Rex adhibuisset; ibi secum reputans, quantis fluctuationibus & rerum novarum periculis teneræ, nec adhuc satis confirmatæ, Civitates necessario subjacerent, arbitratus est administrationi juris noviter ab se conditi, omnia haud satis tuto permitti. Quare quo perpetuam, certamque de Reipub. negotiis, de tempore in tempus notitiam assequeretur, adeoque malis, quæ ingruere prospiceret, vel obviam ire, vel adortus antequam vires nimias obtinuissent, facilius elidere posset; Edicto perpetuo sanxit, ut bis in annos singulos, aut sæpius, si ita res posceret, haberetur Conventus (*magnum* hujus *Regni Concilium*, dico *Episcoporum* atque *Magnatum*) Londinum convocatus ad consultandum de Repub. recte administranda.

Le roy ordeigna pur usage perpetuell a deux foits per an ou pluisovent pur mestier in temps de peace se assembler a Londres pur Parliamenter sur &c. Mirroir des Justices.

78. *Hic* consessus *Ordinum Regni*, sive totius Regni repræsentatio (quod intelligere convenit) ab Ælfredo certis quidem vicibus, & iis ordinariis est constitutus: non quasi ejusdem formæ atque celebritatis esset, cujus & hodierna Comitia, quæ *Parliamentum* vulgo dicuntur,

sed

ſed ut quantum eſt in Anglia terrarum, tunc aut unius omnino Regis erat, aut Comitum ejus atque Baronum, & qui ſub illis agros colerent, eos Clientelari tantum atque precario jure poſſederint; ut qui toti ab nutu Dominorum penderent: ita quicquid iſto tempore ab Rege, Comitibus ejus, atque Baronibus conſtitutum eſt, toti Regno ſanctum erat: velut ab iis tranſactum, quibus in cæteros ſuprema & abſoluta poteſtas eſſet, adeoque reliquorum ceu clientium & mancipiorum jura includeret. *Epiſcopos* quod attinet, hi magnis hiſce Conciliis nunquam non interfuerunt, ſuiſque ſuffragiis leges ſanxerunt. Nam præter illud, quod ob ſæculares fundos *Barones*, vel ob ipſum ſacerdotii honorem ſacroſancti, cenſebantur: ea inſuper ſapientia plerunque præſtabant, ut non tantum ſuffragia procerum æquipararint, ſed & actis omnibus venerationem atque pondus addiderint. Ab hoc Regis inſtituto manavit (uti videtur) mos ille poſteris Saxonibus non inuſitatus, ut *Concilia Epiſcoporum atque Magnatum* ter quotannis celebrarentur, nempe ad *Domini natales*, *Paſcha*, atque *Pentecoſten*; ad conſultandum de arduis Regni negotiis; neque id uno ſemper eodemque loco, ſed ubicunque res poſceret, licet fere ubi Rex cum Aulicis ageret præſens. Quod & factum vidimus ubi ſub Ælfredo *Siffordiæ* in agro *Oxonienſi* conventum eſt, ut ſupra memoravimus.

Epilogus Libri secundi.

1 T*Otius Regni terra sive solum (quod in regionibus bello acquisitis plerunque accidit) ad Regem pertinebat. Quod victores* Saxones *primum duplici, post Christianam vero religionem receptam triplici, conditione distribuerunt. Primo,* Partes *enim quasdam Reges sibi suisque usibus reservarunt: quas propriis colonis (sive* Socman) *qui certas fructuum sive commodorum inde natorum portiones in usum Regis, suæque familiæ statutis temporibus suppeditarent: reliquis ipsi fruerentur. Et in plerisque (majoribus saltem) locis palatium sive domus Regi recipiendo idonea habebatur, talesque* Villæ Regiæ *dicebantur, iisque frequenter Reges diversabantur: hoc compendium inde consecuti, ut ipsi subditis magis cogniti, eorum vicissim necessitates melius coram inspicerent, & de remediis providerent. Neque Regni quispiam angulus influxu suo & salutari præsentia (unde tot utilitates & ipsius reipublicæ pax & vires) destitueretur. Licet alia ratione non satis convenienter, neque absque incommodo, Tribunalia publica cum eorum Officiis, nobiles etiam plerique, ipsum comitarentur. Sed & huic quoque medelam aliqua saltem ex parte Regem nostrum (ut alibi dicitur) adhibuisse admodum verosimile est. Secundo,* alias *vero instituerunt, quibus imperarunt milites, arma, supellectilemque bellicam, & hæc* Feoda Militaria; *possessores vero æque ac colonos Regios* [Ðegenas] Thaynos, *vel* Thanos *appellarunt.* Tertias *vero* partes *Clero dabant in* eleemosynam, liberam *à plerisque aliorum prædiorum oneribus, & servitiis (sic enim dicta sunt) regiis. Sed & nonnunquam etiam, licet rarius, à publicis Regni subsidiis, (vide hujus libertatis exemplum in donatione Æthelbaldi Regis apud Spelman, Conc. to. primo p. 256) forinsecis scilicet & generalibus iis (quam trinodam necessitatem dixerunt)* pontis constructione, arcis munitione, & adversus hostes invadentes expeditione, *absolvebantur. Quinetiam* Thayni *militesque, quos à Rege tanquam* Capite *ipsi tenebant, fundos etiam colonis, aliisque* hominibus suis *paribus, quibus sibi Rex, conditionibus elocarunt. Et hinc* Feodorum *sive* tenurarum, *quas dicimus, ortæ sunt diversitates.*

2. *Hæc etiam* Feoda *hæredibus sub* Hereoti *sive relevaminis cujuspiam, quod hæres in terræ redemptionem Regi solvere tenebatur, conditione plerumque transibat. Et si hæres minor natu à Patre moriente relinquebatur, Regi educatio ejus (utpote* Regis Hominis) *committebatur, in utilitatem etiam & commodum ipsius Regis.*

3. *Et Regum quidem necessitatibus diuturnis & ordinariis sufficiebant hi reditus; sed si aliquo extra ordinem opus erat, prout in hostium invasione, Principis extranei receptione, filia Regis nuptui danda, & similibus; alias telonias & tributa tam majora quam minora, sicut* Danegelt, Wintergeld, &c.

imperabant. [Danegelt *autem primo impositum est ad Danorum insolentiam reprimendam; erantque* 12. *denarii ex qualibet hida. Leg. Edw.* 11. *Postea vero erat tallagium Danis datum (Bromp. p.* 956.) *Et primo quidem concessa erant* 10000 *libræ. Anno* 994, 16000. *Anno* 1002, 24000. *Anno* 1012, 48000. *Anno* 1018, *tota Anglia solvebat* 72000, *& Londonium* 15000. *vel ut verisimilius Rad. de Diceto* XMD.] *Et hæc quidem Reipublicæ institutio, quamdiu sancta quadam innocentia & simplicitate vitam homines degebant, quamdiu etiam placida & tranquilla tempora durarunt; nec dum Thayni radices suas propriis in locis firmaverant, satis commoda & ad aliqua quidem officia maxime idonea videbatur. Sub hoc enim imperio Decimæ Clero concessæ, Monasteria condita, Basilicæ erectæ, stratæ viæ publicæ, & stupendæ munitiones conditæ; quæ temporibus nostris non sine maxima difficultate & molestia fierent; cum totius fere Regni solum à Regio in privatorum jus transierit.*

4. *Sed de his paulo accuratius disseramus. Apud Septentrionales infra Regem tres solummodo erant nobilitatis gradus. Summus erat* Iarl, *nomine à voce senectam significante deducto. Unde à nostris* Ealdermen *sive senatores,* Comites *vero non nisi post* Normannorum *ingressum, quasi Regibus socii, & in ejus Curia sive comitatu frequentes, appellati. Licet etiam aliquid tale occurrat apud Bedam l.* 4. *c.* 22. gesiþ *enim (voce socium vel sodalem significante) nominantur Magnates illi, cum de quodam* Ethelredi *Regis* gesiþ *verba facit, qui postea* Ealdorman *diserte nuncupatur. Secundus gradus erat* Her-toga, *qui in Inæ legibus* Hereþegnes, *in legibus boni Edwardi* Heretochii *i. e.* Domini Militares *dicti sunt.* Here *enim exercitum,* toga *vero (idem ac nostrum* ser, *quod tamen ac si à Francis acceperimus (sed perperam)* Sir *scribimus) Dominum significat Hoc tamen nomine non indigitebatur supremus militiæ Dux, sed inferiores Ductores, de quibus mox plura dicenda sunt. Quamvis enim Reges ipsi fere bellatum ibant, sæpe tamen aliis bellis, senecta, vulneribus, morbis, aliis negotiis, vel etiam segnitie & ignavia detinebantur; tunc autem filio, vel necessariorum alicui exercitus Regimen committebant. Qui à bello reversi,* Duces *amplius non erant, licet in honore magno apud populum habiti. Sed & in* Anglia *non nisi post* Normannorum *victoriam* Dux *in titulum & honorem constantem vel hæreditarium transiit. Infimus autem* Nobilium *gradus erat* Lendur-Madur. *sive homines* (Madur) *terram* (land) *possidentes. Vide jus Norwagiæ, p.* 426, *copiose. Et hi nostri erant* Þegnes *Nobilitatis, officiorumque omnium tum civilium, tum militarium, tum Ecclesiasticorum juge seminarium: ex horum enim numero,* Rex *in bello Duces, in pace ministros & Magistratus, & eorum ope è colonis* (Ceorl-folc) *milites aliosque inferioris ordinis famulantes elegit. Ex his etiam Comites, consiliarii, judices, præfecti* (gerefas) *& alii viri sapientes in pace; è doctioribus Episcopi, Abbates, sacerdotes opimiores,* (Mæsse-þegenes) *assumebantur.*

mebantur. Alii erant (Cnihtas) *ſive* Milites; *non ſolum qui feodis militaribus fruebantur, ſed qui meritorum vel bonoris gratia, titulo illo vel à Rege vel Epiſcopis inſigniti erant. Erant etiam* Medmena-Thegenes, *mediocris conditionis, ſive inferiores* Thayni. *Conſulat Lector Spelmannum noſtrum, ut & Clariſſ. Wormium Monum. Danic. l. 4. p.* 365.

5. *Maxime in hac Imperii conſtitutione culpanda videntur Magiſtratuum graduumque inter Regis Majeſtatem, populique humilitatem nimia paucitas & inæqualia intervalla. Comitum enim potentia & dignitas Regiæ propinquior, Thaynorum vero à plebe remotior, quam decebat. Officiorum plerumque hæreditaria poſſeſſio. Et bene meritos promovendi minor cura & opportunitas. Unde fiebat, ut judicia perperam ſæpiſſime adminiſtrarentur [De litium multiplicitate non queror, è diverſitate tenurarum orta, hæc enim calliditati vel malitiæ ſequiorum temporum à pleriſque attribuitur.] Sed Magnates, quorum plerique paternæ poteſtati, quamvis in delitiis & negotiorum odio enutriti, ſucceſſerunt, non tantum judiciorum inexpertes, & inepti; & proinde ex aliorum ſententia pendentes; ſed affectibus propriis dediti, vel noxias amicitias, vel deteriores inimicitias cum vicinis ſuis paribuſque continuo exercuerunt; ſuis indulgentes & benigni, aliis rigidi & iniqui; omnia pro libitu, contradictionis impatientes, præſtabant; adeo ut ſuis favere, parcere, indulgere; inimici ſubditos opprimere, proterere, excoriare ſatagebant. Sed & majores erant, quam qui pauperum cauſis & commodis invigilarent; vel plebis, ſaltem non ſuæ, querelis impares acceſſui infimæ ſortis hominibus vacarent.* Comites *vel negotiis oppreſſi, vel otio, deliciis & voluptatibus languidi ſæpenumero moleſtiam ſeſe ſapientiæ ſtudiis præparandi, & præſentiam ſuam & continuam attentionem minoribus negotiis exhibendi, horrebant. Et hoc totum inſinuat ipſe Aſſerius, dum pauperes neminem prorſus, præter ipſum Regem amicum expertos aſſerit, dumque Regis labores, & difficultatem reformationis, ignorantiæ & ignaviæ Magnatum attribuit. Sed nec minora ipſius regiminis jugulum petebant incommoda. Quemadmodum enim* Ariſtocraticis *imperiis diſſidia & factiones nunquam deſunt, ita* & Monarchiæ *Ariſtocraticis propiores iiſdem nimis ſunt obnoxiæ.* Magnates *ſuorum benevolentia, & affectu quocunque modo ſe munire curabant. Cui rei opportunitatem dedit omnimoda fere populi ab iis tum quoad juſtitiam, tum poſſeſſiones dependentia. Nimia vero poteſtate, maxime hæreditaria, gaudentes æmulationibus & diſcordiis indulgent; majoribus contumaces, æqualibus invidi, minoribus graves, nulla ambitionis, præter timorem, fræna cognoſcunt. Regibus ergo ipſis ſæpe ſeditioſi, & Rebelles, ſemper vero metuendi, & ex hoc ipſo fonte plerique, temporibus Saxonum, Danorum progreſſus, poſtea vero bella civilia totius Regni everſionem toties minitantia, cum Normannus ſocios ſuos & bellorum Comites nimia poteſtate ornaſſet.*

 7. *Reges*

7. *Reges priores, ut hisce incommodis mederentur, in omnibus fere, etiam belli, negotiis* Episcoporum *opera ut plurimum usi sunt. Quos multis nominibus rebus agendis aptiores, populo magis acceptos, sibique fideliores arbitrabantur. Et recte quidem, si particularium virtute, non vero continuo & stabili supplemento opus esset. Ælfredus igitur populi etiam futuri commodo, & suæ, posterorumque securitati excogitavit insuper leges & instituta; quorum, & non singularium personarum, viribus respublica constantius semper, & magis firmiter, & uniformiter gubernaretur. [Hic autem lectorem eruditum admonere liceat, regem nostrum, etsi nomina Magistratuum & Officiorum aliis in locis (Francia maxime) usurpata adhibuit, non tamen ipsos Magistratus & Officia; quæ ipsius solius prudentiæ deberi videntur. Sed hoc obiter.] Primum vero & toti reformationi suæ fundamentum perpetuo duraturum instituit totius regni in* Comitatus, Centurias, *&* Decurias *partitionem. Unde, præter ea, quæ superius in Epilogo primi, & hoc libro secundo dicta sunt, infinita fere commoda ad rerum civilium administrationem profluxerunt.*

8. *Et primo quidem* Comitatus *à* Comitibus *abstulit; hoc est, constantes & immutabiles Regni portiones instituit, nec à Comitibus dependentes, nec iis, nisi pro regis arbitrio, subjectas; licet nomina & titulos* Comitibus *præstarent. Dein plures instituit Magistratus, quibus populus in officio arctius contineretur; adeoque* Comitum, *in judiciis maxime, vel authoritati, vel operæ multum detraxit: Multa enim rex sibi in magnis Comitiis (de quibus mox dicendum est) veluti appellationes, causasque omnes majores reservavit. Causas majores regi reservatas leges antiquæ Scoticæ nominant, latrocinium, homicidium, mulierum raptus, & ædium incensionem. Præfectis etiam suis* [ᵹeneafar] *iis scilicet, qui negotia regis per Comitatus, ne quod damnum scilicet regi, rebusve suis accresceret, procurarunt, commisit* divisiones Schirarum *(lege boni Edw. 11.) omnes scilicet causas, quæ diversorum Comitatuum subditos spectabant; appellationes etiam in causis minoribus; & omnia, quæ in quatuor* cheminis *sive viis publicis, & alveis fluminum majorum litigiosa occurrebant. Hi vero* Præfecti *primitus ab rege nostro vel instituti, vel numero & potestate ampliati,* Judices *&* Sapientes *promiscue appellati videntur. Multos etiam & in varios gradus distributos, & ex eorum numero Vice-Comites fuisse electos, verisimile est; sicut & urbium, majorumque oppidorum Prætores.*

9. *Ratio itaque judiciorum hæc fere fuisse videtur. Lites minores inter ejusdem oppidi vicinos, in eadem etiam* decuria *(quantum fieri poterat) judicante* Decurione *terminabantur. Quæ vero ibi finem non sortiebantur, sicut & eæ, quæ inter ejusdem Centuriæ viros acciderant, in Comitiis Centuriatis vel ordinariis judicabantur, vel majoribus, quæ bis in anno à Vice-Comite tenebantur. Quæ in Centuriis finiri non poterant ad* Trihingas *deferebantur. Quibus Vice-Comes una cum Præside regio, & Episcopi*

Vicario

Vicario præsidebat. Ab his demum appellare licebat ad Comitia Comitativa [Scyregemot] *quæ & Comitum placita dicebantur. Quibus interfuerunt* Episcopi, Comites, Vicecomites, Vicarii, Centenarii, Aldermanni, Præfecti, Præpositi, Barones, Vavasores, Tungrevii, & cæteri terrarum domini. *Vide leg. Henr.* 1. *c.* 7. [*ubi per Aldermannos intelligere videtur decuriones sive* borhrealdern. *v. c.* 8. *vel Centuriones c.* 91.] *Reliqua autem placita Regis fuisse, & in ejus utilitatem cessisse videntur; solum* Scyregemot *erat Comitis; qui tamen non nisi tertiam forisfacturarum partem sibi sumere poterat, reliquis duabus Regi etiam cedentibus.* [*Et notare possumus obiter, forisfacturas has, & mulctas non levem Regiorum redituum portionem confecisse (cum graves admodum fuerint, & rigide plerunque a regiis ministris exactæ) populumque earum metu valide in ordinem fuisse coactum. De quibus etiam consulantur leges Hen.* I. *c.* 10, 11.]

10. *Sed & Comitum potestatem adhuc minuebat: nam neque iis integra restabat negotiorum bellicorum tractatio. Horum enim magna pars* Heretochiis, *sive Ducibus inferioribus a plebe in Comitiis suis electis committebatur. Hi enim recensionibus, meditationibus, armorumque lustrationibus præfuerunt; milites in Centuriis suis coeuntes, ad locum toti exercitui destinatum deducebant; in bellis demum Ducum inferiorum officiis fungebantur. Prout è legibus Boni Edwardi aliisque locis facile colligitur. Hæc institutio (cum a populo non Comitibus Ductores hi eligebantur) non parum é* Comitum *potentia abstulit.*

11. Comitibus *ergo, quorum potentia Regibus semper maxime formidabilis, relinquebatur ordinaria potestas in* Comitiis Comitativis *præsidendi; in bellis sui comitatus militibus imperandi, in Curia sive Comitatu Regis consiliis publicis, suorumque negotiis attendendi; & mandata Regia subditis suis communicandi. Quod mira celeritate post novam hanc imperii institutionem factum est. Rex enim ipsi* Comiti, *in Curia sua plerunque residenti, mandata detulit; ille* Vice-Comiti; *hic vero* Centurionibus, *centuriones* Decurionibus *maxima cum expeditione pertulerunt.*

12. *Et quidem si Ælfredi nostri vestigiis posteriores Reges institissent, neque tot seditiones ortæ, neque tantum Sanguinis in bellis civilibus exhaustum, neque Reges ipsi toties temporibus subsequentibus periclitati fuissent. Sed tam bene constituta partim bella civilia, (quæ statim post ejus obitum recrudescentia pene omnibus legibus executionem impediebant, videantur Edvardi Senioris querelæ, lege quarta) Danique post renovatas invasiones sub* Canuto *victores, maxime vero Normanni, labefactarunt. Gulielmus enim, sive ut Magnates, in invasione Regni hujus maxima momenta, pro meritis, & pactis etiam, remuneraret; sive ut Anglos dominio suo efficacius subderet, nobilibus suis Normannis maximam potentiam*

(quæ postea tot malorum origo) indulsit. Henricus vero primus, quantum potuit, leges Ælfredi nostri & instituta revocavit; sed tempora consuetudinesque perversæ omnia, quæ expedire poterant, inferri non patiebantur.

13. *Aliæ insuper divisionem hanc in Comitatus, Centurias, & Decurias, eæque magni momenti, utilitates sequebantur. Quod omnes scilicet Magistratus actionum suarum inspectores & quasi arbitros haberent; Inferiorum enim unus alii, omnes Vicecomiti, Vicecomes Comiti, Comes Regi immediate suberant. Adeo ut facillimum fuit (quod de Ælfredo nostro peculiariter etiam notatur) ipsi Regi judicia, querelas, gravamina, turbas, negotia denique omnia totius Regni cognoscere, & tempestivum remedium adhibere. Adde quod Magistratus omnes ordinarii inter ipsos subditos habitabant, & iis assidue conversabantur; unde factum est, ut uniuscujusque damna, injuriæ, necessitates & particulares conditiones, antequam ad judicium accesserunt, essent cognita. Mutuo Magistratus & subditi sibi confidebant, & inter eos, veluti inter vicinos, omnia agebantur. Verum nulli rei magis quam populi moribus reformandis conducebat hæc partitio. Licentia enim bellorum, rapinis, cædibus efferati animi ægerime sine notabili tum severitate, tum exemplo coerceri poterant. Usitatis enim latrociniis, prædationibus, violentiis assuescere amplius non audebant, qui latitare, occultari, vel secretum sibi spondere desperabant. Sperare vero non poterant qui non solum legibus & magistratibus, sed & amicis, cognatis, & vicinis omnibus erant obnoxii; & quorum mala facta reliqui omnes, quibus maxime confidere potuerunt, luerent.*

14. *Nihil autem æque disciplinam hanc stabilire poterat, ac* Comitiorum generalium, *sive Conciliorum frequentissima celebratio, quæ* ƿitten *sive* ƿittaȝen-mote *hoc est sapientum conventio; item* Micel-ȝemote *sive* Comitia magna *dicebantur. Et hæc vel* Ecclesiastica *erant, vel* Secularia. *In illis judicia inter* Ecclesiasticos, *quæ minoribus Synodis, vel Episcopali authoritate finiri non poterant, exercebantur; de moribus tum Clericorum tum Laicorum reformandis agebatur, æque ac in Conciliis regiis; sed cum hoc discrimine, quod ea, quæ Synodis statuebantur, pœnis tantum spiritualibus, non autem vel pecuniariis vel corporalibus, quemadmodum Regia statuta, sanciebantur: adeo ut* Canones *potius &* Regulæ *quam* Leges *dicebantur. In iis etiam leviora crimina notantur, omniaque Clericis & Religiosis ad majorem ipsorum sanctitatem & severitatem conciliandam componebantur. Et in iis statutarum pœnarum exequendarum & admonitionis pro reformatione denunciandæ facultas non* Regis, *sed* Episcoporum, *ministris dabatur. Hisce etiam aderant sæpissime Reges, Magnates, aliique Laici: Religiosi Monachi, Abbatissæ etiam, non solum, qui negotia expedienda haberent, sed ut majori consilio & authoritate res statuerentur. Et proinde Rex ipse ea fere confirmavit, quæ ab Episcopis decernebantur.*

Cum

Cum autem nihil peculiare in hisce nostris observare potuerim, quod non & in omnibus Ecclesiasticis congressibus ubique per totum orbem Christianum obtineat, non opus est, ut de iis plura dicamus. . Comitia Regni generalia *ideo indicebantur, ut Leges à Rege factæ sancirentur & publicarentur, ut lites tum inter Magnates, tum per appellationes huc reservatæ judicarentur; & quæ populo usui vel commodo erant stabilirentur. Rex enim tunc temporis de judicum vel negligentia vel injustitia, de Magnatum violentia, populique gravaminibus palam cognovit, & remedium adhibuit. De legibus condendis nullam hic habeo mentionem, quia eas Rex ipse condidisse videtur. Sapientissimos nempe subditorum, præcipue Archiepiscopos & Episcopos, sed & quandoque Comites, vel judices, quos judicio & experientia maxima pollere arbitrabatur, in legibus scribendis consuluit; postque maturam & sufficientem deliberationem in verba redegit; redactas proximis comitiis Magnatibus, reliquisque eo accedentibus proposuit, &, ut eas publicarent, & exequerentur, mandavit.* Withredus Rex & Birthuualdus Archiepiscopus, præsentibus Gybmundo Roffensi & omnibus ordinibus Ecclesiasticis illius gentis, cum viris quibusdam militaribus, communi omnium assensu has leges decrevere, *Conc. Brit. p.* 194. *ubi* Birthuualdus *dicitur* Summus Britanniæ pontifex, & *Regi intimus à consiliis. Idem etiam* Withredus *præsidebat in Conc. Becanceldensi unà cum* Berthuualdo, Tobia Roffensi, cæterisque Abbatibus, Abbatissis, Presbyteris, Diaconibus, Ducibus & Satrapis in unum glomeratis, *Conc. Brit. p.* 189. Inas *leges suas condidit* suasu Heddæ & Erken-Waldi Episcoporum, omnium senatorum suorum, & natu majorum sapientum populi sui, in magna frequentia servorum Dei, *Conc. Brit. p.* 182. & *apud Brompton*; Exhortatione & doctrina patris mei & Heddæ Episcopi. *Etheluulphus*, cum consilio Episcoporum & principum meorum, *p.* 350. *Ælfredus*; in istis decernendis prudentissimorum è nostris consilio usus sum, atque iis omnibus placuit edici eorum observantiam, *in fine legum suarum. Et fœdus cum Guthrunno* ex sapientum Anglorum, atque eorum omnium, qui orientalem Angliam incolebant [*Guthrunni scilicet subditorum*] consulto ictum est. *Edw. Sen.* Acta sunt hæc in celebri Grantanleano consilio, cui *Vulstanus* interfuit Archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes evocati frequentissimi, *Conc. Brit. p.* 387. *Æthelstanus* leges suas composuit ex prudenti *Vlfhelmæ* Archiepiscopi, aliorumque Episcoporum consilio, præfectis vero suis mandavit, ut observarentur. *Edgarus* frequenti senatu sancivit. *Ethelredi & Canuti leges* à sapientum consilio factæ sunt. *Legi suæ Anglicæ Norwagicæ præfatur* Canutus *Angliæ, Daniæ, & Norwagiæ Rex vere* Magnus *hunc in modum*; Hoc est aulicum jus, quod Canutus Rex, & *Absalom* Archiepiscopus curaverunt scribi &c. In Anglia Aulicum jus forte & stabile

ita

ita ut nemo auderet injuriam facere, fecit; & cum illo *Opo* sapiens è Selandia, *& Eskellus Oponis* filius *p.* 587. *edit. Resenii. E quibus, similibusque locis constare videtur; Reges nostros ab antiquis seculis, non statis temporibus, sed quoties sibi, populoque usui videbatur, maxime vero in legibus promulgandis secum adhibitis, quos ipsi sapientissimos arbitrabantur, diutina deliberatione & maturo consilio omnia diligentissime tractasse. Sapientes autem non dicebantur, prout apud hodiernos Francos* les notables, *viri scilicet illustres è plebe electi, sed semper Episcopi, Regis Consiliarii, vel Judices & Magistratus* (v. Ingulf. *fo.* 503. *b.*) *vel alii rerum experientia clari, etiam exteri, ut* Opo *&* Eskillus. *Diu vero & sufficienter deliberata in Comitiis generalibus, quibus scilicet vel nobiles & Magistratus omnes, vel aliquando insigniores tantum, accersiti interesse solebant, proponere & publicare: & eorum ope & ministerio executioni mandare. Plebis autem, (sive* ceopl-folc *) cum vix alii quam Regum, Magnatumve coloni, vel ab iis saltem fere dependentes erant, consensus in Dominorum potestate & suffragiis continebatur. v. Hovedenum* 1096. *postquam vero terras & fundos sibi comparare cœperunt, ipsorum quoque nonnulli, vel eorum delegati ad* Comitia *vocati sunt; sed non nisi longo post Normannorum ingressum tempore, & ad Regis arbitrium. Sed & à rege pro arbitrio indicebantur istiusmodi* Comitiorum *& locus & tempus. Germanorum quidem Antiquorum* Principes, *ut inquit Tacitus,* ad novilunium & plenilunium consultabant, & per pagos, vicosque jura reddebant, resque determinabant clamore non calculis. *Christiani vero facti nostri Reges solennitates religionis suæ magna ex parte, sed pro libito, observabant. Rex autem Ælfredus (inquit le mirrour des Justices, cap.* 1. § 3.) Comites congregari fecit, & pro consuetudine in perpetuum duratura ordinavit; ut bis in anno vel sæpius, si opus foret, pacis tempore Londini convenirent; ut animorum suorum sensa depromerent, de iis, quæ ad populi Dei regimen spectarent. Nimirum quomodo se à peccatis immunes servarent, quiete & tranquille viverent, & æqua & justa judicia secundum antiquas consuetudines, & sana consilia ambirent. Et hujusmodi plurima à variis Regibus ordinabantur, usque ad tempora Regis hodie imperantis &c. *Edw. scilicet primi. Adeo ut Rex, & personas omnes, scilicet Magnates, locum. & tempora determinaverit. Posteri vero tres Christianorum sanctissimas festivitates (Christi scilicet natales, pascha, & pentecosten) bis Comitiis ordinarie coadunandis statuerunt. Quod si quid extra ordinem communem accidisset etiam aliis temporibus convocabantur. Ingulfus de rege Eldredo anno* 948. In festo, *inquit,* nativitatis B. Mariæ universi Magnates Regni per regium edictum summoniti tam Archiepiscopi--- totius Regni proceres & optimates Londoniis convenerunt ad tractandum de negotiis publicis totius Regni. *Adeo ut ex more & obsequii vinculo*

Proceres

Proceres certis temporibus Regi annuatim se sistere tenebantur; tum ad Curiam, personamque ejus illustrandam & ornandam, tum ad consulendum de Regni negotiis. Et hinc factum existimo, quod, non solum nostri, sed & Francorum & Germanorum Historici, ubi Reges ipsorum festa illa celebrarunt, fere semper commemorant. Et ad hosce conventus celebrandos rex noster (   ) Aulam *illam visendi artificii & magnitudinis* Westmonasteriensem *struxisse fertur. Prodire igitur in publicum solebat Rex iis diebus corona redimitus, & pro fastu & magnificentia regia se omnimodo exhibens. v. Chr. Sax. in Bibl-Bodl. ab illustrissimo Dugdalo citatum in Guil. Conquest.* Eac he wæs swiðe wurðful. þriwa he bær his cynehelme ælc geare swa oft swa he wes on Englalond. On Eastron he hine bær on Winceastre, on Pentecosten on Westminstre. on midwintre on Gleaweceastre. ⁊ þer wæron mid him ealle þa rice men ofer ealle Englalond. Arcebiscopas ⁊ Leodbiscopas. Abbodas. Eorlas ⁊ Cnihtas. *v. etiam stat. De Clarendon 10. Hen. 11. apud Gervas-Dorober, c. 1387. Videntur autem hujusmodi Concilia paulatim in desuetudinem abiisse, sive quod negotia tantis conventibus digna non suppeterent; sive quod sumptibus ferendis idonei Proceres non essent; sive quod reges ipsi seditiones metuerent, vel fastum, pompamve fastidirent? post Henricum Secundum ea coacta non legimus. Is autem anno 1158. Wigorniæ Natales celebrans coronam suam Deo ad altare obtulit; nec ea amplius insigniri sustinuit. Iis tamen successerunt* Colloquia, *quæ voce Franco- moderna* Parliamenta *etiamnum dicuntur. Quibus vero gradibus in statum & potentiam, quam hodie obtinent, evecta sunt, non est hujus vel loci vel temporis disserere.*

Ælfredus Magnus.

LIBER TERTIUS

Continens ejus Magnificentiam, devotionem & Vitam privatam.

Dignitas & authoritas Regia qualis ante ipsum.

1 IMperatoria illa majeſtas, quæ ante Regem *Ælfredum* in his populis fuiſſe deprehenditur, ſic ut inter diverſos Heptarchiæ Principes vaga, nullum ſtabile domicilium habuit; ita infirma etiam, nec magnæ, apud alienos ſaltem, fuit dignitatis. Regia Anglorum poteſtas nondum juſtum culmen attigerat: neque ſacroſancta illa majeſtas diſcrimen adhuc ſatis luculentum inter caput & ſubjectos artus monſtraverat. Quamprimum vero Rex noſter imperii rudimenta delineaverat, atque ſublimis cedri iſtius ſemina huic humo mandarat; ut conſtaret quam eſſet ſoli indoles huic plantationi amica, cœpit ea ſtatim germinare & palmites emittere; deinde ſubito frondibus, flore, fructibus omnia genuini Regni indicia præ ſe ferre; adeo ut folius temporis decurſus jam requireretur, qui eam ad id proceritatis atque formæ perduceret, quod ingenium loci per ſe ſponderet.

Regnum ornare incipit,

2. Rex, bello profligato, diverſis Regnis in unum coactis, pace firmata, iis quæ ad ſacra & mores ſpectant ordinatis, commercio & artibus conſtitutis, cum jam artus atque membra civitati legitima tribuiſſet, ad reliqua progreditur opera; quæ cum prioribus neceſſario connexa proprie ad ornandam Rempub. pertinent, & regni gloriam æque ac utilitatem adaugent. Quamvis autem hujuſmodi molimina raro admodum ſine aliqua jactantiæ ſorde conficiantur, quæ veræ virtutis nitori maculam animis auctorum offundat; plane diverſum tamen in hoc rege notatum deprehenditur; quem in his operibus deſignandis inanis gloriæ ſpecies nequaquam à recto abduxerit. Neque aliud quidquam niſi quod verum, quodque ex uſu, ubique cogitationes & opera ſua exercuit.

Condit & reficit Urbes, oppida, caſtella,

3. Sicut igitur ratio illa dignitatis & honoris, quæ ipſi ſatis, dum adhuc eſſet (ſi ita loqui liceat) quaſi rex gregarius, inter complures ejuſdem ſortis, competebat, eidem neutiquam congrueret cum jam ſolus rerum omnium potiretur; & unus ea complecteretur imperio, quæ ſinguli prius inter ſe partiti erant: ita nonnulla jam immutari regni decus & ratio poſtulavit. Principatum, qui nunc finibus laxior, auguſtiorem etiam longe, magiſque ſacroſanctum eſſe oportuit. Adeo ut Univerſus ille cultus, regno in tantum adaucto accommodandus non niſi quiddam magnificum atque ſolenne ſpirare debebat; hocque ipſum inſignis ſupra cæteros omnes regis noſtri dignitas efflagitabat.

Cui

cui enim magis quam Ælfredo nostro in suis sibi meritis jure compensandis licuisse oportebat? imperium suis sibi pepererat armis: idque dum efficeret, ipsi Deus gratiam eam concesserat, ut non tantum insons (quod tamen in iis Principibus, qui fines imperii armis protulerint, rarum) verum etiam summas laudes commeritus fuerit. Utpote qui non solum cives suos Barbarorum & infidelium potestati; (hoc quanto strepitu inter finitimos Ferdinandus Tarraconensis jactitaverit!) sed & ipsos Barbaros ex ipsa Barbarie & infidelitate eripuit. Sed si ipsum Regem paulisper contemplemur; animum ejus videbimus internis timoris & charitatis versus Deum dotibus, super omnia vero devotione & pietate coronatum. Facta vero externa omnia Sapientia, Fortitudine, Justitia, Clementia, Temperantia, Munificentia, cæterisque virtutibus, ut veste variis intexta coloribus, ornata. Famam quod attinet, eundem civibus præcharum, externis vero tam propius quam longius positis verendum conspicimus. Ipse interim Princeps serius, & qui revera esse, qualem alii tantum existimari ambiunt, desideraret; neque insanas molitiones, sui tantum ostentandi causa comparatas; neque titulos, tropæa, columnas, aut triumphales arcus, quibus res ab se gestæ longo ordine inciderentur, ambitiose consectatus est; verum conscientiæ magis quam famæ velificatus (quam minime captavit, quamque tanto conatu, totque artificiis alii incassum aucupantur) gloriam solidam & ingentem percepit.

4. Conversus ergo ad illa opera, quæ in hoc Regno ad ejus magnificentiam proprie referuntur, ordiar ab ipsa terra; quæ Danico furore devastata habitatoribus frequentari postulabat. Primam itaque operam posuit urbibus, oppidis, & Castellis partim de integro excitandis, ubi prius haud unquam extiterint, partim reficiendis atque communiendis iis, quæ ab hostibus aut penitus excisa, aut magna ex parte labefactata corruerant. Quorum omnium memoriam si dies hactenus obliteravit, ut jam amplius enumerari non possint: non tamen ita pauca fuerunt, quin rerum ab eo gestarum scriptores, quo labori suo parcerent, in iis sigillatim recensendis, de industria calamis suis temperarint, ne opus infinitum ingrederentur. *Quid loquar* (inquiunt Asserius & Florentius) *de urbibus renovandis, & aliis, ubi nunquam antea fuerant, construendis?* quasi diceret immensum fore numerum eorum inire, adeoque satius esse labori hujusmodi supersedere. Post longum tempus lapidi casu egesto titulus inscriptus eum *Shaftsburiæ* conditorem fuisse prodidit; quod oppidum, Malmsburiense teste, longe celebrius, pulchriusque istac ætate fuisse memoratur, quam postea fuit, cum ipse id scribebat. Lapis è parietinis effossus, inque cænobii capitulo, quod istic Moniales habuerunt, collocatus, hanc inscriptionem prætulit.

Inter reliquas Londinum.

5. Inter urbes, quas restituit, *Londinum* etiam nominatim memoratur. De quo (præter ea quæ jam ante significavimus) illud addere licet non minori labore restitutum fuisse, quam si de novo constructum esset; adeo penitus à Danis deletum fuit. Afferius certe quo in loco cum laude meminit hanc urbem ab Ælfredo instauratam, affirmat quod Rex Anno 881. *Londoniam* permaximam civitatem honorifice restauravit, & habitabilem fecit, quasi prius in solitudinem redacta fuisset. Id plane constat, ante hanc ejus renovationem, neque sub Ælfredo, neque aliquando prius, aliter fuisse habitatam, quam quod statio Danorum extiterit; quippe quæ cum æstibus marinis pateret, & in terram longe tamen subduceretur, illorum usibus in primis expetenda videbatur. *

Wintoniam, & alias plurimas,

6. Pariter ab eo restitutam *Wintoniam* colligere licet, quod, cum per aliquot retro secula Regum West-Saxoniæ sedes & palatium fuisset, sub *Æthelberto* fratre funditus à Danis excisa: adeo ut Henrico Huntingtono causam istius Elegiæ præbuit, cujus initium;

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.

Ante Ælfredum restitui non potuisse videtur.

Nam quod ad *Æthelredum* pertinet, qui sex annos inter *Æthelbertum* & *Ælfredum* interjectos regnavit, is omni tempore adeo graviter à Danis oppressus est; ut ipse, fraterque *Ælfredus* nihil amplius potuerint, quam adversus eorum furorem se tueri; adeo ut præter *Ælfredum* (ut dictum est) nemo ipsam in tam celebre Regis palatium, quale *Ælfredi* temporibus fuisse cognoscitur, evehere poterat.

A Danis direptas & incensas

7. Quare autem de singulis conjiciendo tempus terimus? cum ea Danicæ desolationis clades erat, ut corrumperent, occuparent, & expilarent omnia, etiam intima & uberrima totius Angliæ loca? adeo ut nihil usquam habitaculi majoris, minorisve, Saxonibus, id temporis reliquum fuisse videatur, præter nudos domorum incensarum muros & vestigia: adeo ut quicquid oppidorum, urbiumve postea incoluerint, ipsis autoribus deberi arbitremur. Cui quantum Regis opera & studium contulerit, reputantibus quam segnes atque stupidi ad omnia Saxones per se fuerint, facile apparebit. * *Maxima perturbatione & controversia*

* Londini hæc à Rege instauratio non nisi ab ejus magnitudine recte potest æstimari. Neque magnitudo nisi à Ratione, quam habuit ad reliquas Regni partes. Constat autem, quod aliquandiu post Regis nostri obitum, cum tota Anglia Danis subjecta iis tributum solveret 70000, *l.* annis singulis; Londinum solum 10500. *l.* contulit, ut alibi dictum est. Londinenses vero cives gratitudinem suam ubique fere Regum Westsaxonum insignia (quæ tamen primo in aversa parte nummorum Edwardi Confessoris, ni fallor, conspiciuntur) effingentes commonstrant. Addo insuper, quod urbem illam in totius Regni quasi Metropolim primus extulisse videtur Ælfredus; tum Comitia maxima bis quotannis ibi habenda instituerit.

* De

controversia suorum, qui nullum magnum aut parvum voluntarie pro communi regni necessitate vellent subire laborem. Asser.

8. Neque vero hæc ædificiorum instauratio aut sola magnitudine, aut (quia per totum regnum) maxima multitudine juste mensuratur; eminebat insuper tum materiæ solidioris tum emendatioris nova formæ institutio. Loquentem Asserium facile audiatis; de *civitatibus, & urbibus renovandis & aliis ubi nunquam ante fuerant construendis ædificiis aureis & argenteis, incomparabiliter illo docente fabricatis, de Aulis & cambris regalibus lapideis & ligneis suo jussu mirabiliter constructis, de villis regalibus lapideis antiqua positione mutatis & in decentioribus locis regali imperio decentissime constructis,* &c. Cum enim antea non nisi ligno constarent oppidorum, etiam & arcium, parietes; adeoque facillime incendio corrumperentur (cujusmodi fere fuisse ex Eboraci atque Roffæ veteri fabrica etiamnum clare deprehendatur) ædificia è saxo quadrato ab Ælfredo fieri crebrescebant. *Novum ædificandi modum, è saxis sc. quadratis, docet.*

9. [a] Arces pariter & castella quot numero construxerit, haud usquam extare comperimus. Ubi vero Asserius tam acriter invehitur in Saxonum stuporem, qui quamvis sibi usui & præsidio has munitiones futuras probe scirent; nullis tamen aut jussis aut hortatibus Regis adduci potuerunt, ut iis extruendis, ubi locorum ipse præscripserat, sedulam operam prius navarent, quam gravi quadam calamitate per ignaviam accepta sero ad opus exequendum excitarentur: nec exiguo numero constructa fuisse manifestum etiam est ab ipso ea extruendi fine. Cum enim subitis Danorum incursionibus (qui terram ab omni parte circumierunt) supprimendis vel prohibendis destinarentur; necessarium fuit, ut tum per omnem oram maritimam tum majorum amnium ripas, & tanto quidem numero, hæc munimenta disponerentur, qui Danis terra prohibendis, aut saltem coercendis, ne longius excurrerent, sufficeret. Cui quidem consilio exitum satis lætum accessisse compertum est. *Fortalitia etiam & castella.*

10. *Classem* certe moliri tantam, tamque validam (ut supra diximus) opus fuit magnificum, vereque regium; sive numerum navium seu molem, seu formam denique & usum spectemus. Cum autem aliud de iis non occurrat quod ante dictis adjicere possumus; de navibus tantum obiter meminisse contenti, recta pergamus ad alia ejus opera, quæ ad magnificentiam quoquo modo referantur. *Monasteria* *Classem & Monasteria.*

[a] De ædificiis suis licet fere apud Historicos nostros silentium, vulgi tamen traditione testatum est, ipsum ædificasse castella *Middletonæ* & *Balverdiæ* in *Cantio*; *Devisiorum* in agro *Wiltoniensi*; *Ælfreton* in *Darbiensi*; *Ælfredston* in *Southsaxia*, & hoc verisimiliter, cum parum distet à Regia villa *Deane*, ubi ipsum se primum adiisse narrat Asserius. *Malmsburiam* à Danis incensam, ut & post aliud incendium Edwardus ejus filius, restituit. Malms. De gestis pontif. l. 5. Sed & alicubi me legisse memini, ipsum supra quinquaginta castella ædificasse. De quo dubitare non potest qui ipsum hac ratione contra Danos tanquam efficacissima fuisse usum perpendit.

ria quidem quæ condidit, & latifundiis dotavit, inter hujus generis opera non immerito recensenda veniunt. Illud forte primum, quod *Athelingeiæ* construxit, gloriæ suæ haud multum contulisse videbitur. Loquar enim quod res est; opus illud pietate, ex qua profluxit, quam ædificiorum superbia, nobilius.

Unum in Athelneya, ubi delituerat

11. Amnica illa insula *Athelneia* in agro *Somersettensi*, inter *Thonam* & *Parettum* sita, quæ (maximam partem) nihil aliud antiquitus fuit quam palus, & alnetum, postquam Regi in rebus conclamatis (ut superius memoratum) incolumem refugii locum præbuisset; adeo apud nos inclaruit, ut in Italia non *Minturnarum* paludes *Marii* latebris clariores evaserint, quam hæ Regis *Ælfredi*. Inde enim non amplius *Athelneia*, ut prius, verum *Athelingeia*; quasi nobilium Insula dici cœpta; eo quod nobiles una cum Rege frequentes ibi diversarentur & convenirent. Extabant simul interius aridi soli bina tantum jugera, reliqua insula in circuitu tota vel aquæ, vel uligo limosa, vix tenui limite accessum admisit. Rex huic umbilico Castellum imposuit egregie munitum, cui stravit aditum ponte facto vel aggere; cujus extremis Turres geminas, alteram è regione alterius, lateribus utrisque tegendis applicuit, ut tutus sibi ac suis receptus daretur. Deinceps latibuli beneficio ad meliora, quam olim *Marius* reservatus, salutis in se divinitus ibi collatæ memor, fortunis jam æstu secundo ex sententia reciprocantibus, & castellum & totam pariter insulam honori, cultuique servatoris Dei consecravit; in sedem Monasterii deinceps futuri, quod haud ita multo post extruxit.

Asser.

Terra Monasteriolum & officinas Monachorum habet Malms. de gestis Pontif. l. 2.

12. Hoc *Cœnobium* pro loci & materiæ ædificiis necessariæ inopia (omnium enim illud primum condidit, dum neque periti opifices, neque materia commodior suppeterent) & arctum erat, & totum ex ligno confectum: neque sic tamen operis quadam solertia ad ornatum penitus destituebatur. Etenim templum (sive ad evitandum humoris incommodum, in loco tam palustri, seu quem alium in finem qui nos hodie latet) quatuor columnis ligneis suspensum & opere cancellato faberrime condidit. [a] quippe cum vitri usum ignorarent, haud

1. [a] Monasterium Ethelingiæ num ab Ælfredo conditum, an renovatum solummodo dubitat Raynerius. Et renovationi magis favere arbitratur Chartam quam ipse fundationis, Dugdalus vero Amplificationis, rectius appellat. Apud ipsos autem hæc est. *Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo. Omnia Regna hujus vitæ labentis, regnorumque dispensatores ab initio istius sæculi cum velocitate deficientes, transeunt. Ideo fugitivis & mortalibus rebus æterna gaudia promerenda sunt. Quapropter Ego* Ælfred, *divina ordinante misericordia* Occidentalium Saxonum *Rex, pro remedio animæ meæ, & criminum meorum absolutione, aliquantulam agri partem, i. e. decem carratas* (Cassatas Dugd. f. carucatas) *in loco ubi dicitur* Sutton *ad* Insulam Clitonum, *quæ Anglice usitato onomate* Ædlingaeg (Ædlingaeg Dugd.) *nuncupatur, ad supplementum Monasterialis vitæ Monachis ibidem sub regulari exercitio Deo omnipotenti devote servientibus, animo volenti largitus sum. Hancque libertatem præfato Monasterio devota mente donavi, cum pratis, pascuis, rivulis, & omnibus rebus ad ea rite pertinentibus, ut ab omnium regalium tributorum, & exactione operum, atque pœnalium causarum, absque Expeditione sola, Arcis & Pontium structura, secura, immunis, & libera perpetualiter permaneat. Et qui hoc augere voluerit, augeat Deus bona illius in regione viventium. Si autem aliquis, quod absit, superbia fastu inflatus, & tyrannica potestate illectus, hoc infringere & irritum facere conatus fuerit, sciat se ab omni Ecclesia Christianorum*

Christianorum anathematizatum, & in die judicii coram Christo & Angelis ejus, nisi ante emendaverit, rationem redditurum esse. Præfata vero terra & donatio hujus agelli his terminis circumscripta patescit, Arastore, Lerore, &c. (Æpert &c. *Dugd.*) *Scripta autem est hæc Schedula hujus donationis Anno ab Incarnatione Christi* DCCCLII. (DCCCLXXVIII. Dugd. *melius* 888.) Ind. IV. *His testibus consentientibus, quorum nomina patescant. Ego* Ælfred *Rex hanc meam donationem cum signo sanctæ crucis corroboravi. Ego* Ealsend (Ealserd Dugd.) *Episcopus* &c. Si vera & genuina sit hæc charta, & non ab aliquo conficta (quod ob aliquas rationes valde suspicor) non est ipsius Monasterii institutio, sed redituum aliquorum in Monachorum prius ibi commorantium sustentationem collatio, sive Monasterii ipsius amplificatio. Ælfredum tamen illud è fundamentis erexisse testantur tum plerique Historici, tum excerptum illud (Monastici Anglici libro primo p. 202.) è Bibliotheca Illustrissimi Domini Johannis Cottoni; & ipse Asserius. *Rex*, inquit, *cum de necessitate animæ suæ solito cogitaret, inter cætera diurna & nocturna bona, quibus assidue & maxime studebat, duo Monasteria construere imperavit; unum Monachorum in loco qui dicitur* Æthelingaeg, &c. Addit insuper ibidem (quod admodum notatu dignum est) ipsum Regem Monasticæ disciplinæ in Regno suo unicum fuisse restitutorem; ejus initium, & veluti fundamentum in hoc Monasterio constituens. Nam cum nullum è gente sua hominem liberum, præter pueros (quos Monachorum stilo *Infantes* vocat) reperiret, qui Monasticum sponte vellet institutum amplecti (sive quia talis vitæ desiderium ante multos annos à tota illa gente, sicut & aliis multis, funditus desierat; sive propter alienigenarum infestationes, sive nimiam illius gentis in omni divitiarum genere abundantiam) ideo diversi generis (sive nationum diversarum) Monachos in eodem Monasterio congregare studuit; ibi nimirum veluti reliquorum seminarium instituens. Inter alios Paganum (*i. e.* Danum) Juvenem in primis regulariter viventem, veluti rem valde singularem, se vidisse testatur Asserius.

2. Malmsburiensis particulatim & eleganter describit etiam Monasterii hujus Ecclesiam à Rege nostro singulari artificio elaboratam (fol. 145.) *Ælfredus*, inquit, *fecit Ecclesiam situ quidem, pro angustia spatii, modicam, sed novo ædificandi modo compactam. Quatuor enim postes solo infixi totam suspendunt* (al. sustentant) *machinam, *quatuor cancellis opere sphærico in circuitu ductis.* hujus vero rationem Author noster Clarissimus non satis perspexisse videtur. Nihil enim hic de fenestris, vel de opere cancellato aut cælato legimus; sed dicitur quatuor fuisse *Cancellos*, sive (ut aliqui loquuntur) *Choros*, vel Capellas Ecclesiæ Aream sive Auditorium cingentes. Adeo ut ejus fabrica hujusmodi esse videatur. Hoc vero in ambiguo relinquitur, num opus sphæricum totam ædificii formam rotundam, quod mihi magis placet, an tectum sive coopertum Sacellum rotunda testudine sive fornice indicet.




Figura hæc tabulatum Ecclesiæ sive Sacelli, tabulis tamen detractis, repræsentat.

aaaa Sunt quatuor postes totum ædificium sustentantes, eos autem à se invicem 28. pedes, vel plures etiam, distare imaginamur.

bbbb Quatuor Cancelli in circuitu Aulæ sive Auditorii.

cccc Trabes capreolis ab ipsis postibus sustentatæ; quibus tigna minora, ad muros exteriores porrecta, incastrantur.

Capreoli vero à postibus non in ipsas trabes pluribus gomphis debilitatas, sed in breviore tigna *dddd* terminantur.

* Urbem

haud alia ratio iis ſuppetebat excludendæ tempeſtatum contumeliæ, luminique, quod erat neceſſarium, intromittendo, quam cælaturis ſubtiliter laqueatis & feneſtratis cancellis; quorum lacunarium exquiſitam mollitiem Malmsburienſis innuit, ubi cælata fuiſſe dicit *opere ſphærico*.

13. Opus hoc cujuſdam voti perſolvendi gratia tam celeriter conſummatum, Regis circa res ſacras fidem & diligentiam, nec minus in iis, quibus tunc adeo deficeretur, ſupplendis induſtriam, indicat. Poſtquam enim ædes perfeciſſet, ea Monachorum penuria, qui eas incolerent, laborabat; ut licet Abbatem ex veteri Saxonia, & Monachos complures ex aliis partibus, Francia maxime, arceſſiverit; cogeretur nihilominus reliquum fraternitatis numerum complere ex quibuſdam bonæ indolis ſpeique magnæ juvenibus: quos ille viris natu majoribus, nullius interim literaturæ, neque de cætero dignos in ea progreſſus pollicentibus, ſemper prætulit.

Alterum Shafisburiæ, 14.* *Monaſterium*, quod proxime condidit, fuit ſacrarum *Virginum* ad portam Orientalem Urbis *Shaftsburiæ*, recens ab ſe conditæ. Hoc ille *Monialibus* implevit. Hæ fuerunt pleræque Nobilium virorum filiæ, quibus *Athelgeovam*, ſuam ipſius filiam, primam omnium *Abbatiſſam* præfecit. Hæc duo cænobia tam amplis reditibus locupletavit, ut quamvis de numero Alumnorum hodie non liqueat, iis tamen alendis *Malms.* non minus quam Regiorum redituum octavam partem quotannis attribuit. Alterum poſtea Monialibus etiam *Wintoniæ* cænobium conſtruxit.

15. Operum hujuſmodi poſtremum eſt *Wintoniæ*, quod *Novum* dictum eſt Monaſterium. *Et Wintoniæ,* Hoc (quamvis non multa de eo ſuperſunt dicta) cum tamen in urbe Weſt-Saxoniæ Domina conditum eſſet, ubi Rex ageret cum ſuis etiam Principibus, idque rebus jam conſtitutis, cumque ſibi ſuiſque ſucceſſoribus (uti videtur) humandis deſtinaretur; omnino vero-ſimile eſt ipſum ex quatuor Monaſteriis fuiſſe maximum. Cum autem hoc opus non ita multo prius inchoaverit, quam rebus humanis excederet; tantum abfuit, ut illud ab eo, dum viveret, abſolveretur, ut Malmsburienſis illud eum deſignaſſe potius quam conſtruxiſſe arbitretur. Templi tamen fundamentum, ſicut & partium monaſterii præcipuarum ab eo jaciebatur; quamvis ſervitiis quibuſdam locus adhuc deeſſet. *Grimbaldus* item (qui Regi ſuaſor operis extiterat) primus ejuſdem *Abbas* deſignatus eſt. Locus autem huic ædificio tam prope *Eccleſiam Cathedralem Wintoniæ* deligebatur, ut Cantores in

* Urbem hanc Scriptores Britannici Caer-Paladur, (cum ea Bathonia fuerit) conditamque à *Caſſivelanno*, vel etiam ante ipſius tempora, fabulantur. Urbs enim una cum Monaſterio ab Ælfredo noſtro, octavo regni ſui anno, ædificata eſt. Ut teſtatur ex antiqua Inſcriptione Malmsburienſis de geſtis Pontif. Filia Regis *Ethelgeofva* poſt octo Præfecturæ annos mortua inter ſanctos commemoratur, in Martyrol-Ang. Dec. 9.

in unius choro stantes ad alterius usque chorum facile audirentur; unde plures controversiæ oriebantur. Locus igitur iste cum esset, uti diximus, angustior, nec suppeteret, quo nisi magno negotio laxaretur; Rex Episcopo pendere. marcam auream in singulos soli pedes cogeretur, quo spatium cellis ad communem Monasterii usum extruendis sortiretur.

Ad officinas hujus Monasterii instituendas. Camb. ad unumquemque pedem marcam auri publico pondere pensitavit.

16. Constat ex Speedi collectaneis (quibus monasteria cum dedicationibus, conditoribus, & annuis reditibus in Elenchum conjecta sunt) etiam *Monasterium*, quod *Hydense* dicitur, in agro Hantoniensi ab Ælfredo fundatum; licet ab Edwardo Majore filio ejus extructum & absolutum. Hoc quidem verum, & ita tamen intelligendum est, quod ea incommoda, quæ *Wintoniensem Abbatiam* in ipsa urbe cœptam sequuta sunt, filio Edwardo causam præbuerint; cur alio situ prælato, eandem extra portas extruxerit, eoque materiam prioris una cum reditibus, transtulerit. Hæc videlicet *Abbatia* illa *Hydensis* est, cujus conditor Ælfredus perhibetur.

Malms. de gestis. pont. l. 2.

Quod postea ad Hydam translatum.

17. Horum Cœnobiorum unicus ipse conditor traditur. Sin eorum ineamus numerum, quibus benefecerit, omnia fere sunt enumeranda, quæ tunc temporis in his Christiani orbis regionibus extiterint: quibus etiam, nec parca manu & tenuiter liberalitatem suam erogaverit. Quippe cum dimidiam annui reditus partem. (quod infra docebimus) Deo consecrasset; eamque rursus ita partitus esset, ut quarta pars duobus ante dictis *Athelingeiæ* & *Shaftsburiæ* monasteriis in pensionem perpetuam attribueretur; * aliam item quartam partem in subsidium præcipue & primario Monasteriis *West-Saxoniæ Merciæque* seposuit; secundo vero loco, omnibus universæ *Angliæ*, *Cambriæ*, *Hiberniæ*, & *Galliæ* monasteriis, sive per vices, sive ut cujusque durior egestas flagitavit.

Ceteris tamen per totam regionem universaliter beneficus.

18. Quod in *Episcopatum Dunelmensem* contulerit omnem illum agrum, qui Tinam, Teisamque fluvios interjacet, ante memoravimus. Ecclesia etiam Cathedralis *Shirburnæ*, cum vivebat Malmsburiensis, gemmas quasdam *Indico* commeatu ad Ælfredum relatas ostendit; quas illi scilicet inter cæteras Ecclesias Rex dono dederat. Videtur etiam plurima Abbatiæ *Glastenburiensi* largitus. Etenim Hen. 2. in charta quadam istius Ecclesiæ confirmatoria inter cætera antecessorum diplomata Regis etiam Ælfredi chartas memorat: etiam

Maxime Episcopatibus Dunelmensi, Shirburnensi, Monasterio Glastoniensi

Malms. de gest. pont. l. 2.

Harpsf. p. 3. c. 2.

* Omnibus fere Ecclesiis vel Monasteriis celebrioribus ipsum aliquid contulisse constat. Apud Somnerum in Desc. Cantuar. p. 215. *Heth datum fuit per Ælfredum Regem Plegmundo Archiepiscopo & successoribus suis ad opus Ecclesiæ & Monachorum.* In anno sæculari illo, sive transcriptoris sive impressoris vitio, sicut & in aliis ibidem positis, error est manifestus. Refert enim hoc ad An. 849. cum immediate ante dicat Weffingwerhs à Plegmundo datum a° 895. Scribendum forte est 894. Monasterio Sancti Albani ipsum aliquid contulisse, quia effigies ejus pariete Ecclesiæ depicta adhuc cernitur, non fine ratione arbitramur.

am Abbatiæ Wiltonensis benefactorum Princeps recensetur.[a]

Et Episcopatui Wigorniensi

19. Extat adhuc Londini exemplar chartæ cujusdam privilegia continentis *Ecclesiæ Wigorniensis* ab Rege Ælfredo hac occasione concessa: *Albunus Wigorniensis Episcopus* à *Burrhedo* Merciorum Rege, & *Ceolmundo* Londini Præfecto, portionem quandam portorii illius emerat; cum licentia ibidem tenendi modium, mensuras, & lancem publicam. Postea vero Ælfredus Regni potitus, adeoque Dominus urbis factus, *Ecclesiæ Wigorniensi* viæ quoddam spatium à magna platea (quæ tunc portui proxima) ad urbis muros pertingentis, cujus longitudo 26. perticarum, latitudo 13. perticarum & 7. pedum, magnifice indulsit. Quam etiam à vectigalibus immunem, una cum modii & bilancis intra terminos prædictos usura, & omnibus foris-facturis & commodis inde orientibus, eidem *Ecclesiæ* donavit. Cujus chartæ tenor (ut in exemplari imperfecto habetur) sequentibus verbis continetur.[b]

Anno 889.

Privilegium Ælfredi Magni Regis Anglorum de urna & trutina Ecclesiæ Wigorniensi in Londonia concessum.

Ego Ælfred Rex Anglorum pro salute animarum nostrarum, vel Æthelred subregulus & patricius Merciorum ad Ecclesiam Weogernensem in Londonia unam Curtem quæ verbo tenus ad antiquum petrosum ædificium i. e: *atbubæt Munstanæ à civibus appellatur, à strata publica usque in murum Civitatis, cujus longitudo perticanorum 26. latitudo perticanorum 13. & pedum 7. donamus. Et intro urnam, trutinam ad mensurandum in emendo seu vendendo ad usum sive ad necessitatem Christianam & liberum omnimodis habeat, & totius debiti & panis fiscalis vel publicæ rei nisi ad domum Episcopi Weogernensium. Quæ intus contingat absoluta persistat, si autem forisfactio in strata publica vel in ripa emptorali quislibet mercaverit, juxta rectum thelonum ad manum regis subeat, si vero in Curte prædicta ad manum Episcopi. Si quis hanc donationem, &c.*

Ego Ælfred Rex Anglorum & Saxonum,
Ego Athlred subregulus & patricius Merciorum
Athelfloed [hæc est Ælfredi f. & Athelredi uxor.]

Wulfred Epus;	Alhard Epus,	Parfrth Epus.
Denewulf Epus.	Wulfsig Epus.	

20. His

[a] In Lelandi Adversariis dicitur; Regem post victoriam eximiam, quam in acerrimo ad *Washernam* prope *Wiltonam* prælio obtinuisset, Monasterium Virginum *Wiltonæ* condidisse. Cui palatium Regium, cum fundis terrisque circumjacentibus, aliisque reditibus, qui viginti sex Sanctimonialibus sufficerent, attribuit. Henr. vero Crompe aliam fundationis occasionem tradit. *Primus*, inquit, *Fundator Abbatiæ seu Monasterii Sanctæ Editha in* Wiltonia *erat* gloriosus ille Rex Alvredus, junior filius Adeluulfi. *Qui causa* Elfledæ infantis, & filiæ Principis *Edwardi* Senioris (Mucilda *regina*, Elfleda Ducissa Marchiæ, & Ethelswitha *Infantula genetrice suadentibus*) Edwardo *Patre ejusdem* Elfledæ *annuente*, *suum manerium in* Wiltona, *cum omnibus suis libertatibus dedit in perpetuam eleemosynam Sanctimonialibus per illum in prædicto Monasterio mox facto institutis.* Monast. Anglic. to° 2°, p. 857. *Et* to° 1° p. 190. *Ælfredus post victoriam, quam cruentissima pugna obtinuit ad Washborn; condidit novum Monasterium* Viloduni; *in loco, ubi ipsemet prius habitaverat, & XII. Sacras Virgines cura* Radegundis Abbatissæ *tradidit. Absolvit Ecclesiam novam duobus annis cum officinis, quam dedicavit* B. Mariæ, & Sancto Bartholomeo.

[b] Habetur etiam hujus donationis mentio, una cum aliis Regis nostri huic Ecclesiæ benefactis, in Monastici tomo. °. p. 139. Quin & Math. Paris. p. 21. l. 49. dicit Ælfredum & Edwardum ejus filium fuisse Monasterii Wigorniensis fundatores.

„ Libentissi-

20. His ædificiis subjiciendæ sunt Scholæ, quas Rex condidit[a]: & has inter, Universitas Oxoniensis. Qua ex operibus omnibus magnificis nullum vel celebrius vel salubrius; sive spectes publicum usum ad totius gentis beneficium redundaturum, seu severam & accuratam disciplinæ institutionem, præter morem & exemplum alterius cujuscunque, quæ prius extiterat, Universitatis. *Scholas instituit Oxoniæ.*

21. Qualis autem fuerit hæc institutio mihi dicere aggredienti gravis objicitur scopulus; qui animum tantum non revocat ab hoc argumento in medium proferendo, sicut initio proposueram. Ælfredum Universitatis Oxoniensis autorem ipsa quidem Universitas, quique pro ejus antiquitate Apologiam scripserit, Twinus (quantum intelligo) ambigere, impugnare, prorsus denique inficiari videtur. Quando tamen ipsius argumenti series huc tam necessario devocet, à diversa sentientibus veniam mihi dari obsecro, ut (quo principi bene de nobis omnibus, optime vero de suis Oxoniensibus, merito justus afferatur honos) in præsentiarum citra notam pervicaciæ, controversiam ad novum examen paulisper revocem.[a] *De quarum fundatione copiose satis disputatur.*

22. Neque instar acris disputatoris invidiam diversæ parti, ex argumentis eorum qua falsis, qua vacillantibus, conflabo: neque enim mihi cum Antagonistis rem esse volo; imo tantum annitar, si qua potero, verum eruere. Sæpenumero reperi Ælfredum Universitatis Oxoniensis conditorem fuisse dictum; tantumque debeo materiæ, quam tractandam suscepi, ut non temere & citra disquisitionem, sensum adeo disparem mihi obtrudi patiar; ut qui dicitur Author, intelligatur tantum instaurator. Quamobrem utri horum ordini eum restituere debeam, qua potero brevitate despiciam.

23. Sunt qui dicant Universitatem Oxoniensem, ante natum Ælfredum,

[a] Libentissime & cum omnimoda mentium & animorum gratitudine Ælfredum hujus Universitatis & particulatim nostri Collegii (quod Magnæ Aulæ Universitatis nominatur) fundatorem agnoscimus, & gloriamur. Quod & sæpissime ipsam quoque Universitatem præstitisse notavit Twinus. Licet illam in loco, ubi bonæ literæ prius domicilium habuerint, & in Urbe (ut ita dicam) scientiis dedicata coustruxerit. Illustrissimo etiam hujus historiæ Authori, ob redintegratam magni, pientissimique Fundatoris nostri memoriam impensissime gratulamur; utpote qui materiam, seipso, Patre suo, Universitate Oxoniensi, Anglorum gente, tota imo Ecclesia dignam, susceperit, ornaverit, perfecerit. Optamus tamen ut hanc non satis appositam Digressionem vel penitus omisisset, vel paucioribus tractasset. Ecquid enim opus est post tot de hac inutili controversia virorum doctorum, utinam & possem dicere bene-feriatorum, lucubrationes serram adhuc trahere? Et lectoris non ignavi abuti tempore & diligentia? post Twini operosam Apologiam feliciter admodum sopita erat hæc disceptatio: eandem à subjecto suo ductus, sed modeste, tractavit Antonii à Wood stupenda industria. Sed ardore quodam vel animo suo indulgendi, vel Almæ Matri suæ gratificandi Author abreptus videtur, ut rursus hæc in scenam, & Twini libello fere prætermisso, intempestive produceret. Post librum absolutum tota scripta, eique inserta est hæc disceptatio; veremur ne secundæ cogitationes non semper sint prudentiores. Neque dubitamus, quin si operis sui emendationi superstitisset, eam vel prorsus abolere, vel (cum Oxoniæ (ubi veritas ei liquidius compareret) cum omnium dolore mortuus sit) sententiam retractare, satègisset. Utrique enim Academiæ, licet non æqualis, debitor tamen factus, æquum etiam arbitrum semet exhibiturum fuisse tantum candorem nulli dubitamus. Nos certe (licuisset modo Oxonii quidpiam contra Oxoniam & veritatem edere) libentissime totum hunc locum adeo molestum, adeo inutilem præteriissemus. Inviti enim, & non sine molestia in hanc arenam descendimus: & modeste, breviter, novisque (quantum licuit) argumentis quæstionem ingratam expedivimus. Si quid autem indecore dictum existimabitur, humillime lectoris candidi petimus indulgentiam, & pro non dicto habendum obsecramus.

fredum, artium atque literarum fuisse gymnasium, imo ante Saxonum huc appulsum, Britannis adhuc rerum potitis. Hanc vero eorum assertionem multis muniunt rationibus, quas fusius explicatas in antiquitatis Academiæ Oxoniensis Apologia cernere licebit. Harum magis speciosæ nonnullis testimoniis nituntur; quibus id omne, quod præ se maxime ferunt, existimationis & ponderis à quibusdam Camdeni nostri locis plane accessit. Quod ad Lelandum & Johannem Rossum, qui pariter in Apologia laudantur, attinet; nihil fere in iis alicujus momenti ad hanc controversiam reperias, quod (allegationibus ex Camdeno subductis) una cum iis ruiturum non sit.

24. Camdenus in Britannia sua, quamvis honori Universitatis, quam almam matrem sortitus erat, promovendo satis addictus; ubi tamen de Oxonia verba facturus deveniat, cautim pro consueta gravitate, nec nisi summatim hæc verba producit. [a] *Prudens antiquitas* (*ut*

[a] Tota fere hæc tempestas in unius *Camdeni*, viri certe (siquis alius) candidissimi, caput decidit. Et vereor sane nequid humani passus illustrissimus Anthor, *Camdenique* gloriam nonnihil æmulatus sit; cujus gratia controversiam hanc supervacaneam, si non & intempestivam, prorsusque alienam suscepisse videatur. quod & diligens lector absque monitione mea facile observabit. Immerito tamen, ut mihi videtur, cavillationes hujusmodi frigidis è conjecturunculis, negativisque, quæ Logici vocant, ratiociniis concinnatas, post operosam doctissimamque *Twini Apologiam* rursus in scenam producit. Quare siquid noviter hic dictum reperiatur, ei respondere conabimur; reliqua aliis permittentes lectoris patientia eadem sæpius repetendo minime abutemur. Quos *annales Camdenus* innuat, præter ea, quæ ex Apologia Twini, nuperaque Antonii à Wood admiranda diligentia, reperiuntur, Eruditissimus Wheelocus, & ipse Cantabrigiensis, luculenter demonstrat in notis ad *l. 4. c. 2.* Hist. Bedæ. p. 260. "De hac *Theodori* (qui claruit Archiep. "Cantuariensis a° 670.) disciplina sic MS. Cant. Trin. "Aulæ Cantabri. Villula, quæ lacus Græcorum (Anglice Greekislake) à *Theodori* Disciplina, ubi primitus "Scholas tenuit, nuncupatur. In illo enim lacu re- "fulsit quasi Sol *Theodorus*, à sole justitiæ illustratus, "in clipeos aureos, Ecclesiæ videlicet Catholicæ dis- "cipulos & Doctores: à quibus montes, reges scilicet "& Magnates luce fidei illuminati resplenduerunt. "Greek slake autumo eandem esse cum Crecglade, ubi "Græcorum eruditio præfulsisse, atque exinde cele- "berrimam Academiam Oxoniensem non parum il- "lustrasse perhibetur. MS. Sax. Codex (in bibl. Cot- "ton. ad finem Bedæ Sax. p. 349. lin. 26.) pervetustus "Monasteriorum prædia commemorans *Crecqueladum* & *Oxoninm* sic consociat. And to Crecquel de hyrth xiiii. hund hida. and xv. hund. hyda hyrth to Oxnaforda h. e. 1400. hida ad Crecqueladum spectant, "& 1500. spectant ad *Oxonium.* Sic vel tantillam "lucem Historiæ antiquæ placuit admovere. Hucusque ille. At cui historiæ antiquæ, nisi de migratione bonarum literarum abinde ad *Oxonium?* adeoque corruit Authoris nostri suspitionum pars maxima. Atqui nec dixit Author hic citatus *Theodorum* Scholas *Greekladiæ* instituisse (ne quis dicat eas non extitisse apud Britannos) sed *tenuisse* tantum: adeoque innuere videatur Scholas ibi ante *Theodorum* institutas. Et *tenuisse primitus*, ac si & postea alibi etiam tenuisset. Ubi vero nisi Oxoniæ? neque verodissimile est *Britannis* (nuper ab iis locis tunc ejectis) aliquod fuisse studium (ut ita dicam) generale; cum apud eos plurimi extiterint viri eruditione insignes, nec tamen, ut videtur, Monasteriis educati; utpote quæ devotionis & laboris, non studii vel scientiarum gratia instituta. Sed nolo conjecturis indulgere, quod in Authore nostro unico fere vitio vertendum arbitror. Bonas literas *Oxonii* ante *Ælfredum* floruisse testatur Historicorum antiquorum nostrorum diligentissimus Malmsb. de gestis Reg. Ang. l. 2. c. 4. *Monasterium (quod novum dictum) Wintoniæ construxit Ælfredus, ubi Grimbaldum Abbatem constituit; qui, se evocante & Archiepiscopo Rhemensi Fulcone mittente, Angliam venerat; cognitus, quod se puerum olim (ut ferunt) Romam euntem benigno hospitio confoverat. Causa evocationis; ut literaturæ studium in Anglia sopitum, & pene emortuum sua suscitaret industria.* Obsecro, quidnam, præter illud de dissidio antiquorum novorumque Scholarium in periodo illa *Asseriana*, quæ tot Tragœdias excitavit, quæque ad rei summam nihil prorsus conducit, quod non hic etiam continetur? *Studium*, idque unum, in Anglia, *nec* tamen *mortuum*, sed *sopitum* tantum & *languidum*. Scholares ergo ibi, licet pauciores quam ante Danorum invasionem; intercisum non extirpatum literaturæ studium (Ingulfus fol. 53 r. se Oxoniensi studio (& *Universitatis* nomen tunc temporis studio generali non erat impositum,) traditum scribit) *resuscitaturus*, non de novo *conditurus* erat *Grimbaldus*. *Quare* autem Scholas *Oxoniæ*, extra suam *West-Saxoniam* statuerit *Ælfredus*, nisi quia notis & usitatis studiosi potiori aliquo jure uterentur? Merciorum uno tempore quatuor accersivit in West-Saxoniam, *Plegmundum, Werefridum, Ethelstanum*, & *Werewulfum*; neque Monachos hosce. Unde hi doctrinam suam nisi à proprio studio hauserint? neque mirandum est Malmsburiensem, vel Asserium, nullam Oxonii mentionem fecisse (si tamen non fecerint) in Scholarum *Ælfredianarum* institutione, cum alibi in Anglia Scholæ Universales nullæ præter eas haberentur. Sicut posteri nulli dubitabunt

(ut in Annalibus nostris legitur) hanc urbem etiam Britannico sæculo Musis consecravit; quas Græcolada huc, tanquam in fælicius plantarium, transtulit. Camdenus vir eruditissimus hic nostros annales laudat: qui autem Annales ii fuerint, nominatim non exprimit. Sicut vero minus promptum est testibus, quos non noveris, fidem derogare; ita si his finibus se continuisset, examine forsitan omisso, fidem huic testimonio, propter ipsum qui allegaverat, adjunxissemus. Cum vero, in capite de *Wiltonia*, *Grækeladæ* mentione injecta, testem advocet historiam Oxoniensem de Scholis Grækoladanis postea Oxoniam translatis; ibi patefacto autore, quem sequitur, etiam testimonio suo non aliud pondus aut fidem vendicat, quam inde mutuatus sit. Hæc autem Oxoniensis historia, prout ab Apologiæ autore citatur, (ipsam enim mihi videre non contigit) meminit quidem in vetustis Britannorum scriptis Oxoniæ conditæ mentionem comparere. Cum vero è rebus, quæ ab iis scriptoribus traditæ dicantur, ne unam quidem produxisset, pergit in hanc sententiam: Ferunt quosdam Græcos philosophos in Comitatu Bruti, Troumque, quos secum duxit, cum Angliam triumphantium more ingrederentur, aptum habitandi locum sibi delegisse, cui in sui memoriam Grekeladæ nomen relinquerent. [a] A quo quidem loco non longe municipium *Oxoniense* noscitur esse situm; quod propter amænitatem *Bellositum* olim antiquitas, post-modum *Oxonfordiam* à quodam vado sic dictam, populus Saxonicus nominavit; & ad locum studii præelegit.

Apolog. l. 2.

Camb. Wilt. 176.

25. Sane quid annales quidam mihi incomperti tradiderint, haud ausim affirmare; nihil autem hujusmodi, scholas scilicet Grekoladæ institutas, vel philosophos ibi commoratos Oxoniensis historia, nisi rumoribus acceptum, refert. Quod si diserte institutionem Grecoladanam affirmasset; nec tamen ita satis longe repetisset originem Oxoniensis Universitatis, quin infra Britannicum sæculum substitisset. Concesso enim scholas fuisse olim Græcoladæ, easque scholas rursus fuisse Oxoniam inde translatas; tamen ne vel ex hujus historiæ, quam adducunt, testimonio à Britannis eo fuisse traductas, neque ab iis impositum nomen Oxonium accepisse constat. *Sed populus Saxonicus nominavit, & in locum studii præelegit*; & alia plane Apologia foret opus, ut

bitabunt, si diceretur Reverendissimum Archiepiscopum Gilbertum Sheldonum Theatrum literarium condidisse, quin hoc Oxoniæ factum; cum nullo alio in loco tale Musis palatium haberetur: Vel Ædem Paulinam post incendium ex integro restitutam à Carolo II°, quin Londinensis intelligatur. Sed & rationem silentii Asseriani habemus, si verum sit, quod magna cum probabilitate de ipso asserit Godwinus; Regem scilicet illius suasu & consilio *Oxoniam* elegisse. Hoc enim modestiæ suæ notissimæ (cum de se, licet Regi in plurimo & assiduo ministerio, paucissima referat) tribuendum est. Ratioque satis manifesta est, cur locum hunc aliis omnibus prætulerit; quoniam sc. Britannis suis in eundem usum antiquitus cesserat.

[a] *Græcolada* enim oppidum est lacustre, & inter paludes, fluminisque eluviones positum: cujusmodi situs Patres nostri (nescio quibus moti rationibus) Monasteriis, aliisque ædificiis celebrioribus elegerunt. Et è Wheeloco audivimus, *Theodorum* magnum illum Cantuariæ Archiepiscopum Græcos suos (quos secum ipse Græcus conduxit) Græcoladæ primum collocasse.

* De

ut monstraretur hujusmodi quippiam ab alio quovis Saxone vel Rege, vel homine, quisquis is fuerit, Oxoniæ factum ante Regem Ælfredum. Vidimus Oxoniensem historiam id nequaquam efficere, cui tamen evincendo vereor, ut aliam Authoritatem, qui rem maxime credi volunt, substituere possint. Neque enim satis feliciter aliis circumstantiis, quæ merito desiderari possunt ad fidem apud auditores faciendam, historia illa instructa videtur. Quamvis enim autor pervetustus Britannorum Commentarios de Academiæ institutione vidisse præ se ferat; tamen (quod vereor) haud ita æquum se conditori præbuit, ut nomen ejus propalaret: neque tam bene de ipsa Universitate meruit, ut exponeret quo nomine vernaculo Britannis innotuerit. Neque vero Romani norant ullam isthic Universitatem, quamdiu ipsi Britanniæ inhæserunt. Neque vocabulum modo reperitur Britannicum quo temporibus Britannorum innotuerit. [a] Nam quod Caer-Membran aut Caer-Vortigern reponas, ipse Camdenus utrunque elevat. Rhidychen autem à civibus unquam oppido nomen impositum non liquet; quod potius Saxonici nominis Oxenfordiæ recens interpretamentum à Britannis modernioribus inditum est, ut ipse Camdenus pariter his verbis indicat. *Britannis nostris hodie Rhid-ychen nominatur*; [b] similiter *Bellusmons* (Beaumont) cum modernis *Normannis* diceretur locus quidam *Oxoniæ* vel ei conjunctissimus, *Bellositum* Latine vel ex versione, vel allusione redditum est.

Nonnulli hanc Caer-Vortigern & Caer-Vember Britannice appellatam, & nescio quos Vortigernos & Mempricios extruxisse opinantur Camd. Oxfordsh. 267:

26. Pari vel etiam majori infortunio erratum est in fabula de Græcis quibusdam philosophis Græcoladæ in agro Wiltoniensi sedes sibi deligentibus. [c] Hujus commenti autor, ut erat insubidus, haud potuit

[a] De nomine antiquo *Oxonia* notandum est, quod ad nomina Urbium principalium in Britannia scribit Reverendissimus Usserius. p. 63. xxv. Caer-pensavelcoit. *Galfridus Monumethensis (eumque secutus Eulogii author & Mathæus uterque Parisiensis ac Westmonasteriensis ad an. gratiæ 52.)* Caer pen huelcoit *interpretatur* Exoniam: *proqua in Heidelbergensi Britannica historiæ editione, & in vetere Ascensiana, per errorem substituta est* Oxonia. *Verum* Exoniam, *quæ Saxonice dicitur* Exanceaster *à Britannis* Caer-wisc *vel* Caer-Isc *appellatam fuisse constat.* *Itaque Camdenus noster repudiata hac sententia,* Ivel-cester *esse credit,* &c. Bene se res habet, quod vir doctissimus non poterat sibi persuadere Penhuelcoit esse hodiernam Ivelcester: verum subolere ei debuit errorem fuisse Eulogii vel Mathæorum; & Galfridum dixisse Oxoniam, prout recte ab Ascensio editum est; cum ita traductum reperio antiquitus in libro de Principatione Mundi dicto, historias nostras continente usque ad initium Richardi 2. De invasione Vespasiani aº Christi 52. sic habetur. *Et quant Vespasian eeo aparceust, il sigloit en la hasne de Totenesse, & dilleoques vassa à* Caer pen hudgoit *que ore est appelle* Oxenford, &c. Ferrurius cum *Britannum* tempore Cadwalli Regis Pellith *Edwini* Regis Northumbriæ Magum (Maumet) Eboraci occidisse dixisset, addit; *Son ala à* Oxenford, *ou il certifia les Bretons de ses faicts*, &c. Utrobique Math. Westmonast. ad annos 52. & 633. *Exoniam* reddit. Significat autem Penhuelcoit *ad caput silva*, forsitan forestæ de Shotover, sive *Sylva Orientalis*.

[b] Atqui *Glastonia* etiam Britannis erat Ynysgwydryn sive Insula Vitrea. *Winburnan* Wintonglaudiou Interamnium. *Snotengaham* Tuogobauc Domus speluncarum. Infinita sunt ejusmodi exempla. Sed nec Rhyd aut Ychen vocabula sunt moderno-britannica, sed inter Armoricos etiamnum usurpata. Adeo ut hoc argumentum nihilomnino probare videatur. Plures etiam erant Urbes apud Britannos præter illas xxviii. Neque enim inter eas numerantur *Caerwisc*, Exonia. *Caer-badon* Aquæ solis, Bathonia. *Caer Glou* Glocestria. & multæ aliæ, quæ legentibus ubique occurrunt.

[c] In Antiquarum Urbium, æque ac Nili, originibus disquirendis ecquis fidem historici expectat? annon potius (ut in nominum ratione) verisimilis ingenium conjectoris? Ecquis est, qui Romanos, Saxonas antiquos, vel Francos, eo quod à Trojanis sese exortos imaginentur, severiori examine exagitandos existimet? Antiquariorum hæc sunt non Historicorum. Qui vel præeuntes alios, vel propriæ cognitionis ductum tantummodo sequuntur. Alii forte dicerent Philosophos hic adfuisse à frequenti Mercatorum Græcorum appulsu; alii à Christianorum Orientalium, (quibuscum Ecclesiam

tuit reputare, quam male hæc inter se convenirent; Græcos philosophos, priusquam in Græcia literæ florerent, relicta patria, & victricis civitatis consortio, Bruto profugisque Phrygibus se comites ascivisse: Deinde à primo statim in hanc terram ingressu, quæ tota silvis atque dumetis horreret, cum vel summo labore vix assequi possint, unde viveretur, ibi continuo curam Universitatis moliendæ suscepisse. Postremo tum vernacula, tum Britannica (quæ proxima sese offerebat) linguis insuper habitis, ex Saxonica tantum, quæ lingua nondum in his terris audita esset, urbi nomen imposuisse. Johannes autem Rossus errorem auget; qui non tantum ei suffragatur, sed observato scilicet, quod *Lechè* medicum (vel cadaver Saxonice) significet, adjicit ex his philosophis quosdam medicos etiam sibi locum haud procul inde delegisse; qui locus ab ipsis *Lechlada* nuncupatur. Hæc quàm verisimiliter dicta sint cujusvis arbitrium esto: cum hæc ipsa vocabula **Grecklade** & **Lechlade** Saxonici sint idiomatis; adeoque oppida fluminis utraque sinubus adsita sint, quorum illud sinum crepidinosum; hoc vero sinum cadaverosum denotat.

27. Ponatur tamen *Greeklada* gymnasium literarium, operæ pretium est audire, quâ ratione Rossus & Lelandus (Apologia referente) illud *Oxoniam* transducant. Adjacet (inquit Rossus) *Oxoniensibus* muris late porrecta planities *Bellomontium* dicta; cui cum *Bellositum* (id ex vetustis oppidi nominibus) haud ita multum abludit, idcirco multi opinantur (ait idem Rossus) Universitatem *Greekladanam Bellmontium* aut *Bellositum* fuisse translatam. Verum Lelandus de Scholis Greekladanis memorans, *Greekladenses ait doctores loci amænitate ductos Calevam* [eas] transtulisse. Hanc autem Wallingfordiam Camdenus intelligit. Donec igitur Oxonium Calevæ nomine designari probatur, Scholas Greeklada seu Creeklada Oxoniam translatas horum autorum neuter asseverat.

28. Camdenus, cum posuisset, ut diximus, *prudentem antiquitatem* etiam Britannico sæculo musis Oxoniam consecrasse, sententiam hoc testimonio probat: *Scribit enim Alexander Necham* (ait ille) *juxta vaticinium etiam Merlini*; *viguit ad vada Boum sapientia*, *tempore suo ad Hiberniæ partes transitura.* Observetur primo Camdenum Nechamum, non autem Merlinum, nominasse. Sin ipsas tantum voces, ut

rum Britannorum, æque ac mores & consuetudines plurimum consensisse manifestum est) cum Romanorum Præsidibus huc advenientium multitudine: nonnulli etiam ab esurientibus Græcis in copiosam & felicem hanc Insulam subinde divitiarum vel stipis gratia accedentibus, quorum aliqui restare, seque suasque scientias elocare poterant. E Wheeloco Theodorum vidimus Græcos hic collocantem. Unusquisque pro arbitrio suo quod velit proponat, & opinione fruatur. Sed neque cum Bruto conjectura improbabilis est, Druides simul huc penetrasse; qui etiam Cæsaris tempore Græcis literis utebantur; certasque sedes, quibus juvenum educationi vacabant, sibi assumebant; quarum Maxima in Mona insula, ordinaria sive communis forte etiam Crekeladæ. Post Christianismum vero receptum fieri potuit, ut iisdem locis, quibus olim Druides insidebant, divinioris Philosophiæ scholæ instituerentur. Sed hæc tantum è conjecturis dicta sunt.

ut proferuntur, æstimes; minime conficiunt id, cujus gratia à Camdeno citantur. Esto sane, Merlinus prædixerit fore, ut sapientia aliquando vigeret ad vada Boum. Item Nechamus testis prodeat juxta Merlini vaticinium, sapientiam jampridem istic viguisse. Constare poterat his dictis utrisque sua fides: nec eo tamen magis unquam istic ante viguerit sapientia, quam ab Ælfredo sereretur. Sin adhuc institeris, Merlini vaticinium asserere, etsi non liqueat ex verbis à Nechamo citatis, sapientiam ad vada Boum etiam sæculo Britannico viguisse; Vocesque Nechami in eum sensum accipiendas; iis sane, qui hæc affirmant, aliud Merlini vaticinium in eam sententiam proferre incumbit: cum in hoc, quod extat, Merlini Vaticinio nihil ejusmodi mihi compareat. Quoque verisimile fiat, nullum merlini vaticinium quicquam ejusmodi continere posse; Merlinum, extremis Britannorum rebus, sub Vortigerno (qui in Angliam Saxones vocavit) divinasse novimus: adeo ut nobis non restet dubium (sicubi Merlinus meminerit sapientiam Oxoniæ viguisse) si de Britannico sæculo intelligendum sit, vaticinium Merlinum non protulisse (quomodo dixisse Nechamus testatur) sed Historiam. Sin pro vaticinio dictum volunt ad Saxonicum sane sæculum haud ita diu post insequutum referatur eventus. Ita neque Camdenus, testimonio Nechami laudato, probatum dederit quod posuerat. Pergit idem Camdenus, crebris urbium excidiis (decurrente Saxonico sæculo) factum; ut per aliquam-multos annos *Oxonia Fridefwidæ* solius exuviis inclaresceret; Danici vero furoris tempestate desæviente, Ælfredum musis diutius exulantibus pristinas sedes (Oxoniam intelligit) restituisse. Quod ut clarius intelligatur; in partes vocat ex veteri Wintoniensium annalium codice testimonium in hæc verba. *Anno Dominicæ incarnationis* CIↃCCCVI. (corrigendis DCCCLXXXVI.) *Anno secundo adventus sancti Grimbaldi in Angliam incepta est Universitas Oxoniæ, primitus in eadem regentibus* &c. Mihi sane pronum fuisset ex his verbis colligere Universitatem ab Ælfredo conditam, potius quam instauratam; nisi quod Camdenus aliter accipiat; astruatque diversam sententiam hoc testimonio sane luculento.

Consule Asserium ex Editione Camdeni in suis Anglicis, Normannicis &c.

30. *Statim* (inquit Camdenus, ut legitur in optimo Ms. illius Asserii exemplari cujus relationem in ipsis verbis describit) *exorta est pessima ac teterrima Oxoniæ discordia inter Grimbaldum, doctissimosque illos viros, quos secum illuc adduxit, & veteres illos scholasticos, quos ibidem invenisset*, qui ejus adventu leges; modos, atque legendi formulas ab eodem Grimbaldo institutas omni ex parte amplecti recusabant; retinerent autem mordicus olim receptas leges à Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno & aliis sancitas: adeo ut ipse Rex Ælfredus Oxoniam ad lites componendas advenire cogeretur, qui cum utramque partem

tem (inaudita animi moderatione) exaudiſſet, ad pacem & concordiam adhortatus, domum rediit. At Grimbaldus hæc iniquo animo ferens, Oxonia relicta, Wintoniam ſe contulit, ad novum Monaſterium iſtic ab Ælfredo recens conditum: unaque ciſtam, quam ſibi ſepulcralem Oxoniæ paraverat, Wintoniam ſecum transferendam curavit.

31. Hoc (fatebor enim) teſtimonium ad cauſam decidendam valde pertinet: adeo ut minus culpem Apologiæ autorem, ſi tam graviter tulerit Archiepiſcopum Parkerum Aſſerio, quem de vita Ælfredi edidit, illud non inſeruiſſe. Tamen ſibi velim temperaſſet ab hoc odioſo dilemmate; utrum Præſul ille Reverendus, & egregius literarum vindex, hunc locum *veritatis an charitatis odio* diſſimulaſſet. *Apol. l. 2. § 80.* Eoque magis, quod ipſe Camdenus in Aſſerio ab ſe recuſo, Epiſtolam Archiepiſcopi Parkeri, editioni, quam primus ille fecerat, præmiſſam denuo præfigit: in qua ſancte profitetur Archiepiſcopus, eam ſe ſemper rationem ſequutum in omnibus iis libris, quos divulgaverat; nihil unde ſuo adjecerit aut deminuerit; ſed cuncta, prout in primis exemplaribus reperiuntur, ad verbum expreſſerit. Idque quo teſtatius fieret, in omne ævum quam caſte in iis verſatus fuerit, ipſa prima exemplaria in Collegii Corporis Chriſti bibliotheca Cantabrigiæ aſſervanda miſerit. * Porro Camdenus in Epiſtola, cum Aſſerio, tum huic Archiepiſcopi Epiſtolæ præmiſsa, nihil omnino in Archiepiſcopi editione prætermiſsum queritur (de quo meminit etiam honorifice) eumque quam multos MSS Codd. ne paſſim interirent, in unum collectos in Collegium Corporis Chriſti apud Cantabrigienſes recondidiſse monſtrat: ex quibus ipſe Archiepiſcopus quatuor in publicum diverſis temporibus emiſerit; Matthæum nempe Weſtmonaſterienſem, Matthæi Pariſienſis hiſtoriam majorem, Aſserium, & Walſinghamium. Horum (inquit Camdenus) exemplaria, cum rariora eſsent eos Claudius Marnius (qui Camdeni Anglica, Normannica Francofurti impreſſit) ex ipſius prælo in vulgus emitrit.

32. His

* Hæc ſumpſit Author noſter ab ipſius Archiepiſcopi præfatione ad Aſſerium ſuum. Uterque tamen tacuit (quod minime oportebat) hunc ipſum Aſſerii codicem (de quo lis eſt) in illo Collegio non repoſitum; Sed vel in bibliotheca Cottoniana, prout arbitrari videtur Reverendiſſimus Uſſerius, & Author noſter § 34. vel in Lumleiana (quod eſt magis veriſimile) prout Voſſius, Twinus, & Ant. à Wood. Sed nec Cottonianus codex Saxonico charactere, ſed Saxonico tantum affine ſive ſimili ab Authore noſtro exaratos dicitur. Cum tamen Archiepiſcopus Parkerus in præfatione ſua hæc habeat. *Latina cum ſint, Saxonicis literis excudi curavimus, maxime ob venerandam ipſius Archetypi antiquitatem, ipſo adhuc (ut mea fert opinio) Ælfredo ſuperſtite, iiſdem literarum formulis deſcriptam.* Conſulat etiam lector quæ ſequuntur. Hic me fateor nunquam poſſe ſatis mirari Archiepiſcopi oſcitantiam, non enim auſim dicere ipſum conſulto hæc, ut aliorum codicum fidem elevaret, quibus fortaſſis aliquod pro Oxonii antiquitate ineſſe dolebat, ita temerarie ſcripſiſſe. Cum in hoc ipſo ſuo codice inſerantur verſus in laudem Ælfredi ab Henr. Huntingdonio (qui anno poſt milleſimum centeſimo quinquageſimo claruit) ipſo etiam Archiepiſcopo agnoſcente compoſitos. Neque ſuſpicionem ei aliquam creavit epilogus, qui antiquitatis ſtudioſo cuilibet ſe ſatis prodit. *Hic Joannes Aſſer* (binomines non erant noſtrates ante Normannorum ingreſſum, neque alibi ipſum Joannem dictum reperio) *quondam Epiſcopus Shirburnenſis* (hoc creditu etiam Authori noſtro difficile) *ſcripſit Ælfredi res geſtas & Annales Britanniæ. Hujus Aſſerii Annalibus* (Hiſtoriæ dicit non exemplari) *vetuſtus quidam Author* (Henricus Huntingdonius) *paralipomenon addit & eum obiiſſe ſcribit a° 909.* Si Camdenus hæc ſcripſiſſet. Sed ejus modeſtiam imitabimur; qui nihil de ſuo gloriatur codice, licet hic videatur antiquior altero Parkeriano.

32. His factis ipse Camdenus id verum esse, quod Archiepiscopus allegaverat, agnoscere videtur; & utut in Annalibus suis MSm. quoddam Asserii exemplar memorat, ubi modo scriptus articulus habeatur, tamen (ac si editionem hanc ad exemplaris ab Archiepiscopo editi fidem exegisset) aliud exemplar, quam illud ab Archiepiscopo editum ne verbo quidem significat. Suæ pariter editioni præfationem Archiepiscopi præfigit; simulque ab ejus Typographo Asserium Typis Saxonicis non fuisse impressum, sicut ab Archiepiscopo fuerat, quia literarum Saxonicarum formulis non esset instructus, diligenter excusat. Ubi demum tot rationibus inductus nihil aliud expectes quam Asserium Archiepiscopi recusum, (quandoquidem raro tunc inveniri posse causatus erat Camdenus) exit Asserius Camdeni alius; haud paucis insultis, quæ non habentur in exemplari Archiepiscopi; nominatim autem hæc clausula, quæ dissidium *Oxoniæ* ortum tradit: licet istic desideratum fuisse quicquam, vel hic suppleri, vel omnino variare codices, plane reticuisset. Adeo ut necesse sit, aut falsarium, nescio quem, inter *Camdenum* ejusque Typographum Francofurtensem intercessisse, qui glossema, quod in ejusdem Britannia Asserio repererat ascriptum, chartis inter edendum injussus inseruerit; aut ipsum *Camdenum* officio multum defuisse, qui rem tam necessariam Lectorem celaverit.

33. Contra, diffiteri non possumus, *Archiepiscopum* & candidum, & omni exceptione majorem. Sit igitur in re literaria, quantumvis magna *Camdeni* autoritas; attamen ubi de facto quæritur, utrum Codices ab *Archiepiscopo* impressi per omnia MS^{um} Codicem expresserint, ibi demum fides *Archiepiscopo* tribuetur; non tam quod is Camdenum dignitate longe antecesserit, quam quod apertiori simplicitate rem totam tractarit.

34. Quod autem *Archiepiscopum* ab autoris Apologiæ calumniis absolvet, & nonnihil fidei clausulæ, editioni *Camdenianæ* insertæ, derogabit, ipse (copiam faciente Reverendissimo & Doctissimo literarum Mecænate, Jacobo Domino Archiepiscopo Armachano & Hiberniæ Primate) vidi Asserium Menevensem antiquitus MS^{um}; eum ipsum (ut quidam verisimiliter existimant) Archetypum; ex quo autorem istum Archiepiscopus primo divulgarit. Verisimiliter, inquam, sive characterem Saxonico affinem spectes, sive virgulas & apices alios ex rubrica factos, quibus iste Præsul MSs^{os} à se lectos notare solitus. In eo MS^{o} clausulæ, quæ in editione Camdeniana periodum de *dissidio* proxime præcedunt, quæque sequuntur in textu visebantur, antiquiores & maxime indubitatæ Scripturæ: cum aliæ libri partes à manu recentiori sint, & subdititii videantur, nusquam autem toto libro clausulam istam *de dissidio*, neque

neque voculam eo pertinentem deprehendi; neque quicquam omnino, quod aliter se haberet, atque id, quod Archiepiscopus edidit. Accedunt hnc, quos in Trinitatis Collegio Cantabrigiæ reperi, veteres rerum à Romanis Impp. & Saxonicis Regibus in Anglia gestarum Annales MSS ab Julio Cæsare ad Edvardum usque seniorem. Quorum autor Asserii Menevensis vestigiis adeo presse institit; ut multa, quæ Regis Ælfredi tempore contigerant, ipsis Asserii Men. verbis referat: ne vocibus quidem, quæ ipsi proprie competerent, omissis aut immutatis. viz. *Domino meo, audivi, audivimus* &c. In iis tamen omnibus, quæ de Ælfredo memorat, nullam omnino vel Oxoniæ orti dissidii, neque Monasterii Wintoniensis extructi, neque ullius rei, quam clausula hæc dubia suggerit, mentionem sensit. Quare cum Archiepiscopi editio consentientium MSS. fide absolvatur, restat ut clausula illa, quæ de *dissidiis* est, in editione Franco-furtensi pariter absolvatur testimonio cujuspiam MSi in medium producto: quod nisi fiat, omnis illa culpa prius in Archiepiscopi Asserium collata, in editionem Francofurtensem recidet. *

35. Quoniam autem incertum est, an ejusmodi MSus codex unquam nobis exhibendus sit, rem ipsam in hoc dubio articulo comprehensam inspicientibus haud parum mirabile videbitur, ipsum Asserium id voluisse scribere (Regem scilicet monasterium Wintoniæ condidisse) quod tanto sibi vitio verti posset; cum idem antea ubi ad ornandum Ælfredum, pietatis ejus & Religionis opera enumerare ultro spondeat, his tantum verbis defungitur. *Inter cætera diuturna & nocturna bona, quibus assidue & maxime studebat, duo Monasteria construere imperavit; unum Monachorum in loco qui dicitur Æthelingey &c. aliud quoque Monasterium [Monialium] juxta Orientalem portam Shaftsburg &c.* De monasterio autem Wintoniæ ne meminit quidem donec casu, & aliud agens, velut imprudens illud nominat. An vobis exponam quid causæ potuerit esse, cur Asserius de Wintoniensi Abbatia priori loco nihil dixerit? (Tali enim neglectu tantum scriptorem libenter liberaverim.) Ut igitur verum eloquar, aliquot annis antea mortuus erat, quam ipsius fundamenta cernere potuisset. Ut enim ante monstravimus, Abbatia Wintoniensis illa nova postremum fuit ex ejusmodi operibus, quæ Rex aggressus est; neque diu ante mortem ejus construi cœptum. Asserius autem (quod ex Malmsburiensi,

* Quæ hic dicta sunt non satis bene vel sibi vel ante-dictis congruunt. Codex ille (de quo hic loquitur) in Bibliotheca Cottoniana habetur (v. ipsum Usserium de Brit. Eccles. Primor. p. 342. & sequ.) & non autem Cantabrigiæ; merito tamen dubitatur an sit ille, quo usus est Reverendissimus Parkerus. dein, quid sibi velit, cum dicat periodo Camdenianæ proxima scripturam antiquissimam redolere, reliqua vero minime, non satis intelligo. Cum & ipse Parkerus codicem totum antiquissimum esse insinuet; nec ipse Usserius diffiteatur. Sed quæ clarissimus Author de Cottoniano, ipse potius de Lumleiano afferat. Sed & suspicionem aliquam suggerit, quod partes illæ sint reliquis antiquiores. Sed hæc exagitare non libet. De fide Camdeniana nihil prorsus ambigo, & rationibus quidem (ut mihi videtur) firmissimis, sed quæ hujus loci non sunt, persuasus.

ensi, & Savilio constat) ante multos annos inter vivos agere desierat. [a] Mortuo autem Asserio Sigenus (alias Swithelmus) in Episcopatu Shirburnensi substitutus ab Ælfredo, ad S. Thomæ apud Indos Orientales Insulam missus est; unde etiam ante Ælfredi obitum rediit: adeo ut Asserius multo facilius successoris sui profectionem ad Indos enarrasset, quam *Grimbaldi* recessum ad novum Monasterium quod *Wintoniæ* conditum est.

36. Ex his liquet, quantum fidei debeatur articulo, de quo tam acriter certatur. Ut autem novis laciniis cum veteri veste nunquam belle convenit; ita glossema illud cum antecedentibus & consequentibus tam male cohæret, ut se prodat à recenti manu interpositum. Magnum *Oxoniæ* dissidium memorat inter *Grimbaldum* & *veteres Scholasticos* ortum, cum in Asserio nusquam ante significatum sit, aut Ælfredum ullas ibi scholas condidisse, aut *Grimbaldum* in iis prælegisse; quæ tamen utraque tam cognata sunt Asseriano argumento, ut haud facile credas ipsum ista transiliisse, si se vivente gesta essent. Præterea articulus iste dissidium in Annum 886. conjicit; qui annus armis erat exercitatissimus: in eo enim Ælfredus obsidione & valida oppugnatione *Londinum* ægre manibus Danorum eripuit. Difficulter ergo persuaderi potest, eum rebus adeo turbatis (ut adhuc neque ab omnibus reciperetur, neque suos sparsos atque dispalatos, ab omni parte ad se reduces, recepisset, neque (recepto Londino) res ejus prosperæ justam futuræ sub se salutis fiduciam præbere poterant) *Academiæ* condendæ vacasse; præsertim *Oxoniæ*, quæ Merciam terminaret, in Aquilonarium & Orientalium Danorum confinio.

37. Porro narratio hæc nihilo melius congruit cum adventu *Grimbaldi*, qui (ut ait Hydensis liber) in annum 885. incidit. Convenit enim inter omnes *Grimbaldum* in Anglia jam recentem per aliquantulum temporis spatium ab Ælfredo domi apud se retentum, ut ipse ab eo privatim institueretur, priusquam Oxoniam mitteretur. [b] Universitas

Coacervantur hæc omnia, quibus monstraretur Camdenum dissimulationi & mendacio male instructum. Quod & libentissime fatemur. Si falsarius esse voluisset, certe non adeo imperitus parumve artifex, ut tot suspicionibus & conjecturunculis occasionem reliquisset. Qui in animo habet alios decipere omnes circumstantias studiose excutit, & ambitiose conciliat, quo inter plura mendacia unum tutius delitesceret. Timuit se, optimus vir ne non deprehenderetur ejus falsimonia; cum nihil celaverit, nihil texerit, nihil, præter unam periodum, adulteraverit. Sed nec moribus Camdeni hæc congruunt, nec moribundi testimonio solenni; de quo apud alios legatur. Sed hujusmodi conjecturis & suppositionibus nimium indulsit Author noster, quales adversus quamlibet fere historiam fabricare ingenioso facillimum. Sed neque istis coacervandis vel confutandis opus est ut laborem insumamus. Historia sui-ipsius vindex est, scriptorisque authoritate, non verisimilibus, stabilitur. Cui autem vacat huic disputationi se ingerere, è Twini Apologiæ p. 143. & deinceps, quibus editionem Asserii Camdenianam cum Parkeriana confert, eique præfert, satisfactum iri minime dubito. Quibus melius fecisset Illustrissimus Author si particulatim respondisset potius quam confutata iterum in scenam examinanda produxisset. Quod ad me attinet, serio profiteor, me arbitrari tum Parkerum tum Camdenum exemplaria sua fideliter reddidisse. Quorum cum neutra viderim, inter se conferre, & de antiquitate vel sinceritate judicare temerarium foret. Videri tamen Camdenum vel magis sincere, vel saltem minus ambitiose egisse; cum de suo nihil proloquutus sit. Archiepiscopum vero, cum ea in sui codicis laudem præfatus sit, quæ manifesto ipsi codici repugnant, non tantum applausum, imo nec fidem fuisse meritum.

[b] Tota hujusce sive rationis sive conjecturæ via (si qua sit) è numeris & supputatione pendet chronologica; quorum

versitas autem (juxta Codicem Wintoniensem à Camdeno laudatum) secundo ab adventus Grimbaldi anno ædificari cæpta est, nihilominus hic articulus *Grimbaldum* publico dissidio *Oxoniæ* causam præbuisse refert, quod anno 886. erupit: cum ante tres annos cœpta paulatim creverat; anno scilicet uno ante conditam Universitatem, biennio autem ante *Grimbaldi* adventum. Interim mirum videtur, imo secum pugnat, hunc *Grimbaldum* ita vehementi, & præpropero in Oxoniam studio flagrasse, ut S. *Petri* ædem ibi curaret extruendam de saxo summa cura perpolito (quod articulus iste eum fecisse asseverat) ubi recens hospes tanta cum petulantia tantoque contemptu exceptus sit; ubi tantis odiis atque invidia tam atrociter agitatus, ut intra triennium Academiam abdicare, seque *Wintoniam* conferre adigeretur.

38. Quod autem hujus loci interpolatori animos addidit, eumque in errorem seduxit, hoc esse opinor. *Asserii Menevensis* commentarii de vita & rebus gestis *Ælfredi*, desinunt in Ælfredi mortem, quæ anno 900. obtigit. Gemini vero fuerint *Asserii*, quorum recentior (sub *Edvardo* seniore pariter *E*piscopus) ad annum, credo, 909. ætatem protraxerit. [b] Jam hujus glossematis inventor, utrisque his *Asseriis* in unum confusis, cum sibi persuasisset *Asserium Menevensem*

quorum incertitudo apud Historicos nostros vel mediocriter versato lectori nimis est manifestum. Asserium ipsum ex editione Parkeriana testor p. 2. *l.* 38. nativitatis Ælfredi II. pro V. rursus p. 6. l. 26. 10. pro 7. alia, nec ea pauca, prætereo; sicut & ea, quæ apud Chronicon Saxonicum occurrunt, non Authoribus sed scribis imputanda. *Grimbaldum* ab *Ælfredo* accersitum etiam Asserius suus testatur. In Annalibus Wintoniensibus contineri ait Harpsf. Epistolam Ælfredi ad *Fulconem*, qua obsecrat, ut ei *Grimbaldus* mitteretur; & responsionem Fulconis, ut supra dictum est. Sacratus autem est *Fulco Rhemorum Archiepiscopus* a° 882. Quare supponamus *Grimbaldum* a° 883. vel 4° ad Ælfredum accessisse, cui quidem anno ab Asserio & Reverendissimo Usserio adventus ejus assignatur. Statim ab ejus adventu Synodus Londini nuper à Rege magno labore recepti cogitur; quæ à clarissimo Spelmanno omissa apud Harpsfeildium extat. Regis institutioni per annum integrum vacasse supponimus: donec scilicet Oxoniæ scholæ, aliaque sibi & Academiæ necessaria pararentur. Anno sequenti (885. vel 6.) prout asserunt Annales Wintonienses, Oxoniæ Academiæ institutionem serio aggressus est. Et abinde statim ab antiquis scholaribus simultates adversus eum ortæ sunt; quæ tamen non nisi post aliquot annos in aperta dissidia (Grimoaldo interim strenuam ædificiis, aliisque scholarium commodis operam navante) proruperunt. Quibus cum magnam offensionem sentiret vir sanctus, Rex ei tumultuariam Wintoniæ domum, donec Monasterium justum conderetur, fabricavit. v. supra l. 2. annot ad § 51: Et libenter scirem, cum *Ælfredus* Monasterium Wintoniense non nisi uno aut altero ante obitum anno, hoc est 898 vel 899. construxerit (si quidem construxerit, & non in animo tantum habuerit) ubi *Grimbaldus* toto illo tempore intermedio, etiam dum Rex bella gereret, si non Oxoniæ, moratus fuerit, quidve egerit; & num Rex ipsum advocaverit ut devotioni solummodo indulgeret. Hæc autem ita se habuisse facile fatebitur, qui Asserium Regis nostri gesta usque ad annum 893. (ætatis vero Regiæ 45.) continuasse perpenderit. vel si chronicum vitæ Ælfredi citius finierit, ipsummet tamen Regi adfuisse usque ad 893 satis est manifestum. Tunc autem vel paulo postea coeperunt horrida illa cum Hæsteno & Appledorensibus bella; quibus an Asserius interfuerit, vel ad sua redierit, omnino incertum est. Quid vero Author per *Aquilonarium & Orientalium Danorum confinia* in § præcedenti intellexerit, me prorsus latere fateor.

[b] Quis *Asseriorum* fuerit Historiæ illius *de Vita Ælfredi* Author, difficile est certo statuere. Non enim fuisse videtur Episcopus prior *Shirburnensis*, quod Malmsburiensis aliique asserere videntur. Nam *Asserius* noster se acta Ælfredi scripsisse dicit a° 893. ætatis Regis 45. Cum tamen *Asserius Shirburnensis* integro decennio ante illud tempus mortuus fuerit; etiam ipso Malmsburiensi teste. Qui *Sighelmum* Asserii in Episcopatu Shirburnensi successorem partem dominicæ crucis à Marino missam Regi Ælfredo detulisse narrat. *Marinus* vero mortuus est a° 884. Et doctissimus Savilius *Asserium Shirburnæ Episcopum* nec ante 879. nec post 883. agnoscit. Quare Reverendissimus Usserius arbitratur potius *Asserium* fuisse *Archiepiscopum Menevensem*, & a° 909. obiisse. Et nescio an id ipsum affirmet etiam *Asserius*, ubi de Hemeido Demetiæ Regulo conqueritur. *Sæpe*, inquit, *deprædabatur illud Monasterium & Parochiam Sancti Degui, aliquando expulsione illorum Antistitum, qui in ea præessent, sicut & nobis Archiepiscopum propinquum meum, & me expulit aliquando sub ipsis.* Vel (cum Ingulfus ipsum quoque *Shirburnensem Episcopum* nominat) fieri potest, ut ille fuerit Episcopus

sem ad annum 909. advixisse, non dubitavit quin omnia narrantem induceret, quæ quoquo Regis *Ælfredi* anno contigissent. Cum revera *Asserius Menevensis*, Regi adhuc superstiti, commentarios nuncupavit; & eodem longe prior è vivis excessit. Postea vero H. Huntingtonius, aut quis alius ex eo, supplementum illud de Ælfredi morte (quæ in Annum 900. incidit) *Asserianis* commentariis attexuit. Idque certo colligimus tum ex peroratione ex ipso *H. Huntingtono* desumpta, tum ex ejusdem carminibus ad calcem Asserianæ Historiæ subjectis, ex ejus nomine ad oras codicis apposito, denique ex Hydensis Abbatiæ libro apud D. Ch. H-

39. Præterea si circumstantias alias jam comparentes inter se conferamus, quomodo verisimile arbitremur, *Ælfredum*, Principem, qui collapsas in patria literas tam graviter ferret, quique tam miris modis eas instaurandas susceperat, pati voluisse tanto atque tam vehementer ab se expetito operi fraudem fieri jurgiis paucorum scholasticorum, nullius sane momenti? Deinde domo profectum ipsum *Oxoniam* usque litibus iis componendis rem adhuc adeo indecisam reliquisse; ut ipsius professores (longe quidem arcessiti & magno negotio adducti) obscuriorum scholasticorum tædio (cœpto jam ab iis commisso opere) desistere compellerentur? certe parum conveniebat hoc cæteræ Regis dignitati atque disciplinæ; qui, quamvis animo alias leni, tamen acer & rigidus eorum exactor fuit, quæ bene consulta semel constituerat.

40. Neque vero Johannes Rossus (quem Apologia multum celebrat) huic commento dissidii inter *Grimbaldum* & *Oxonienses* orti quicquam ponderis adjicit; prout enim istic citatur, narrat, quam mirum in modum literæ à *Grimbaldo* restitutæ in his terris floruerint: (Quod tamen si formulæ docendi, quas ipse instituerat, rejectæ fuissent, præsertim tam cito, ab ipso fieri certe non potuit) postea vero *in sua senili ætate* (dicit Rossus) *studio relicto adiit Wintoniam.* Reli- dissidio

Apol. l. 2. § 172.

copus (quod & Vossius opinatur) quem Chron. Sax. a° 910. obiisse dicit. Non quod ultimis *Ælfredi* temporibus, vel ab Ælfredo creatus fuerit (Episcopatum enim illum ab a° 899. usque 905 Episcopo caruisse notum est) sed neque tunc illi honori admotus est; nam cum septem Episcopi eadem opera à Plegmundo simul sacrati fuerunt, inter eos *Asserii* nomen non occurrit; sed *Werstanus Shireburnensis* ab omnibus agnoscitur. Fieri vero potest, ut *Werstano* post binos vel tres annos defuncto succederet *Asserius*; cui etiam a 910 mortuo alius quispiam substitutus sit, & huic fortasse alius usque ad annum 918 quo sedem *Shirburnensem* capessivit *Æthelwaldus*. Intermedii vero illi inter *Werstanum* & *Æthelwaldum* tantillo tempore Episcopatu gavisi ab illustrissimo & sagacissimo Savilio, reliquisque authoribus præter chronicon Saxonicum omissi sint. Illud interim hanc sententiam premere non est diffitendum, quod tam diu Ælfredo superstes novissimos tamen regni sui annos, mortemque omnino tacuerit. Quorum tamen obmissorum rationes reddi possunt: sed cum conjecturis tantum innitantur, iis omnino supersedebimus. Hanc certe sententiam reliquis præferendam arbitror, certam] vero & indubitatam esse affirmare non audeo. Si quis quærat, quisnam fuerat *Asserius* ille, quem Rex Episcopum suum in testamento suo nominet; dicendum videtur ipsum vel fuisse *Episcopum Shirburnensem*; talem enim assignat Savilius anno 879. eique 4. annos attribuit; sed collocari eum oportuit ad annum 872, initio sc. Regni Ælfredi; tunc autem Illustrissimus Savilius constituit *Æthelheagum* & post eum *Alfsium*, utrisque septem annos tribuens. Illud quidem doctissimi viri modestiam arguit, quod *circa hoc tempus* eos sedisse asserat. Vel si non fuisset *Shirburnensis*, videtur aliquem subesse scriptoris errorem: quem tamen corripere meum non est. Utcunque *Asserium* nostrum non fuisse satis est manifestum, cum ante annum 884. vel 5. Regem Ælfredum non accesserit.

quit is quidem *Academiam*, seque *Wintoniam* contulit; nullo tamen diffidio permotus, sed quia grandis ævi factus esset; quod opinor anno, ab adventu altero haud contigit, vixit enim annos obiit autem anno 903. 8. id. Jul.

41. Verum ulterius sciscitemur, ubinam gentium veteres illi scholastici agerent, *Ælfredo* regnum jam auspicante; qui cum tam parati essent in veteribus Universitatis putatitiæ institutis tuendis, Regi non præsto essent, neque operam suam deferrent, cum doctorum virorum inopia foras tum despicere necesse haberet. Scholasticos (si qui fuerint) quod attinet, præterquam quod nulla ex parte eorum auxilii facta sit mentio, doctrina admodum exigua præditos fuisse comperimus: cum Rex ipse nos edoceat quod sub initia Regni sui perpauci cis Humbrum fuerint, qui Latinam epistolam vernacule scirent reddere. *Præfatione Pastor. Greg.*

42. Adeo arduum esset negotium omnibus occurrere, quæ suspecto articulo possint objici, omniaque male in eo cohærentia conciliare; ut si jam extaret codex aliquis MS. licet vetustus, qui autoritatis speciem ei adstrueret, ad istius tamen MS. fidem conciliandam alio adhuc opus foret, qui suspecti articuli existimationis jacturam sarciret. Quando igitur autores, quibus *Camdenus* in hac causa propugnanda innititur, ad examen revocati, tam fragiles maleque firmi deprehendantur; haud possumus iis, quæ his autoribus tradit, tantum tribuere, quantum eramus daturi iis, quæ è judicio vel opinione sua traderet. Quocirca nihil necesse ratus cum Camdeniana autoritate confligere; fidenter illud sumo, nullum eorum locorum, quos ex ejus Britanniæ Apologiæ autor in partes sibi advocavit, aut Gymnasium aut Academiam Oxoniæ ante Ælfredum institutum asserere. Paucis igitur ut absolvamus (argumentis omnibus ex conjectura, ex præsumptione, aliisque generis cujuscunque missis) id tantum perpendamus; quid illæ ipsæ autoritates in Apologia citatæ proferant, cur *Ælfredus* non *autor Universitatis Oxoniensis*, sed *instaurator* existimandus sit. Ante natam Apologiam certe diversa fides invaluerat.

43. Primo omnium occurrit liber Wintoniensis; quem, etsi prout à Camdeno citatur, ante perstrinximus; nihilominus cum momenta rerum in se contineat ad operis Regii notitiam alias apposita; unumque sit ex iis testimoniis, quibus Apologia utitur, ut evincat *Ælfredum Academiam* tantum *restituisse*; omnino necessarium est, ut Universam sententiam, sicut istic habetur, referamus.

Anno Dominicæ incarnationis 886. Anno 2° adventus Sancti Grimbaldi in Angliam incepta est Universitas Oxoniæ, primitus in eadem legentibus, ac in schola Theologiæ legentibus sancto Neoto Abbate, necnon in theologia Doctore egregio; & sancto Grimbaldo sacræ paginæ suavis-

suavissimæ dulcedinis Excellentissimo professore, in Grammatica vero & Rhetorica legente Asserio Monacho, & in arte literatoria viro eruditissimo: in Dialectica vero & Musica & Arithmetica legente Johanne Monacho Menevensis Ecclesiæ: in Geometrica & Astronomia docente Johanne Monacho & collega sancti Grimbaldi, viro accutissimi ingenii & undecunque doctissimo, præsente gloriosissimo & invictissimo Rege Ælfredo: cujus in omni ore, quasi mel, indulcabitur memoria. Hactenus *Annales Wintonienses.* Sequitur in Apologia *Ranulphus Higden* his verbis. *Alvredus scholas variarum Artium apud Oxoniam primus instituit.* Nicolaus Harpsfeildius ibidem laudatus ait; *omnium igitur bonarum disciplinarum quasi officinam quandam apud vadum Isidis* i. e. *Oxoniense oppidum instituit.* Pariter Anonymus ab eodem è bibliotheca Oxonienſi citatus testatur; *Ælfredum Scholas publicas apud Oxonium instituisse.*

Apol. l. 2. § 176.

Apol. l. 2. 44. Hos excipit in eandem plane sententiam testis istic similiter citatus *Malmsburiensis*; consilio *namque Neoti Abbatis Scholas publicas variarum artium apud Oxonium primus instituit Alvredus.*

Sectione 192. citatur *Polychronicon* quoddam ex Baliolensis Collegii Bibliotheca; cujus initium est; *Ab Historico namque contextu* &c. illud, cum ad Ælfredum devenisset, ita se habet; *Universitatem Oxoniæ primus fundavit.*

Sectione vero 198. producitur *Balæus*; qui, cum nescio quid, ex Capgravio de Ælfredi Unctione protulisset, subjecerit. *Illi igitur primo ab ejus Ecclesiæ patribus est permissum, ut literarum fundaret Academiam,* &c.

45. Deinde Sectione 213. ubi de *Collegio Universitatis* verba fecit Apologia, fatetur istius *Collegii socios Ælfredum Conditorem* agnoscere. Et certe quidem, licet quod illi asserunt minus clarum sit quam quod reliqui autores testantur, tamen eodem redit atque id quod modo allegavimus. Nam extra controversiam *Collegii Universitatis* conditor, quisquis is fuerit, ipsam quoque Universitatem condidit. Quod facilius perspiciemus, si Johannem Rossum audierimus, sicut in Apologia habetur citatus; qui vel ipsius Apologiæ autoris judicio audit. *Historiæ utriusque Universitatis æstimator omnium æquissimus.* *Sancto Neoto instigante* (Rossus de Rege Ælfredo refert) *Scholas publicas variarum artium apud Oxoniam instituit.* Nec ita multo post; *in prima dictæ Universitatis fundatione ipse Nobilis Rex Ælfredus infra urbis Oxoniensis mœnia Doctores in Grammatica, Artibus, & Theologia, tribus locis in nomine Sanctæ Trinitatis ex suis sumptibus instituit. In quarum una viginti sex grammaticorum omnibus necessariis ipsam Aulam dotavit, & eam propter scientiæ inferioritatem Parvam Aulam Universitatis appellari decrevit; & sic in diebus meis appellata est. Aliam aulam in*

Apol. l. § 2. l. 2. § 172.

sumptibus

sumptibus necessariis pro Dialecticis seu Philosophis 26 abundanter construxit; & hanc Aulam Minorem Universitatis appellari præcepit. Tertiam Aulam Magnam pro 26 Theologis appellans, sacræ scripturæ studium daturis ordinavit, quibus & expensas sufficientes abundanter exhibuit. Multæ aliæ præter has in brevi Aulæ singularum facultatum à Burgensibus Urbis & Comprovincialium circumjacentium, deinde à remotioribus Provinciis, sunt exortæ, licet non de Regis expensis, sed Regis *gratioso exemplo creverunt.*

46. Ex his liquido constat *Ælfredum* ipsius *Universitatis Autorem* fuisse; primo, suo ipsius opere, qui tres aulas condiderat: (prima atque sola, quæ temporibus istis Universitas vere dicatur habuisse Collegia; adeoque quæ ab Universitate nomina traxerint) nempe *Majorem, Minorem, & Parvam Universitatis Aulas,* quasi præter illas aliæ non extarent. Adeo ut Ælfredus non solum Universitatis Conditor fuerit, sed etiam primus omnium, quos quidem legimus, qui vocabulum illud huic rei imposuerit. Dein & exemplo suo Conditor etiam fuit omnium, quæ ad exemplar ipsius operis condita sunt. Etiam autumare possumus, quod cum hujus exemplo aliæ *Aulæ* atque *Scholæ* postea ab aliis extructæ essent, & ex consuetudine recentiorum temporum in corpora tandem atque societates sub diversis nominibus & Præpositis coaluerint; tres hæ priores aulæ in unum pariter Collegium congregatæ ad memoriam primævæ conditionis Universitatis Collegii nomen retinuerint: quod ipsæ quandoque solæ fuissent Universitas. Ad eam vero quod attinet Aulam, quam Apologiæ Autor *Aulam Paulinam* appellat, utpote à Paulino primo Eboraci Archiepiscopo diu ante natum Ælfredum conditam, (quod in veteribus scriptis videre meminisse dicat) perfacile creditu est; autorem scripta quædam, neque ea recentissima vidisse, in quibus (ut ait) affirmatum esset *Aulam Paulinam* à Paulino, primo Eboraci Archiepiscopo, conditam fuisse: sed & pariter credibile est, plus fidei scriptis iis auditis quam visis accedere posse. Quippe novimus *Aulam Paulinam* non idem valere atque *Paulini*, sed Aulam *Pauli*: cum contra quæ est Aula Paulini, debuerit Aula *Pauliniana* dici.

47. Accedit huc, quod Apologia citet literas ipsius Universitatis ad *Humfredum Ducem Glocestrensem*; in quibus illi ultro agnoscunt, *quod citra felicissimæ memoriæ Ælfredum Regem hujus almæ Universitatis Fundatorem, nemo unquam tantum beneficium contulerit.* Postremo veterum istic Bedellorum libros citat, in quibus ita scriptum habetur; *ex antiqua consuetudine hujus almæ Universitatis in Vigilia Sancti Martini orandum est in Scholis, pro benefactoribus tam vivis quam defunctis; & pro animabus omnium benefactorum; præsertim pro anima Ælfredi Regis, hujus almæ Universitatis primi Fundatoris.* His omnibus

Apol. l. 2. §218.

l. 2. §219.

nibus in cumuli locum adjicere libet, quod in æde B. Mariæ, in fenestra quadam ſpecioſa, ubi tum memoria, tum ordo Univerſitatis ab Ælfredo conditæ & imaginibus & carmine eleganter depingerentur; Verſus ille, qui argumentoſi vitri Iconas conditam Univerſitatem referentes explicat, hic eſt,

Angelus hic ſtudium juſſit ut incipiat.

Alibi autem verſus habetur *inſtar omnium* referente Apologia,

Oxonii flores Ælfrid fert iſte priores.

Ibid. 222. 48. Vix auſim ſenſibus fidem adhibere, quoties in alienis operibus animadvertam, quantum humanæ menti vim faciat opinio rei præcepta: præſertim ſi accedant partium ſtudium & favor. Mihi quidem haud facile perſuaſiſſem, poſt hoc temporis intervallum, tantum autoritatis adduci potuiſſe, qua Univerſitas ab Ælfredo inſtituta evinceretur; neque vero dimidiam ejus partem neceſſariam duco. Autori tamen Antiquitatis Oxonienſis in animo tam alte inſederunt Oxonienſis Hiſtoria, & ſuppoſititia Aſſerii fragmenta; ut ex omnibus his teſtimoniis nihil aliud colligat, quam Univerſitatem ab Ælfredo reſtitutam. Penes lectorem arbitrium eſto. Mihi ſane videntur autores ſuperius allegati ſatis idonei, cur Hiſtoricus *Ælfredum Oxonienſis Univerſitatis autorem* nuncupet, eumque deinceps eo nomine appellare non dubitabo. *

Excuſatio, quod huic controverſiæ ſe immiſcuerit. 49. Non ſum neſcius me, dum argumento obſequutus Regi jus Conditoris aſſero, delapſum in celebrem inter geminas Academias de originis antiquitate controverſiam: quæ, ut in ſe levis videatur, tamen ſi numerum eorum, quos tangit, æſtimes, & gliſcentia partium ſtudia; major eſt quam cui me velim interpoſitum. Præterea cum in Trinitatis collegio Cantabrigiæ olim ſtuduerim, nollem videri minus pietatis exhibere in almæ matris jure vindicando, quam Apologiæ Autor, Camdenus, Lelandus, aliique Oxonienſes viri exhibuerint, in Oxonia ſua aſſerenda: quibus utriſque de cauſis me non æquum inter partes arbitrum ratus, controverſiam libenter præteriiſſem intactam. Quum autem vi argumenti jam huc delatus ſum, neque ſi cauſam ultro ſuſcepiſſem, adverſarii exemplo me tueri non poſſem; iis quæ jam dicta ſunt hæc tantum addam, quæ à quodam in re antiquaria non indiligenter verſato accepi. Mox ad ordinem narrationis inſtitutæ rediturus; ſperans ut ſi malam alicujus Academici gratiam, prave conceptam antiquitatis ante Ælfredum opinionem demoliendo, iniero;

* Et merito quidem, cum hujus Univerſitatis unicus, ſolus ipſe Fundator extiterit; licet ante ipſius tempora juvenes aliquot hic ſub Doctoribus ſuis ſtudiis operam navaſſent: quibus verò legibus, vel inſtitutis vivendi, docendi, aut exercitia præſtandi, quibus itidem reditibus, quibuſque Patronis aut privilegiis utebantur, prorſus ignoratur. Neque enim Ælfredus priores conſuetudines vel conſervaſſe vel renovaſſe; ſed novas prorſus è ſuorum conſilio, proprioque judicio ſtabiliſſe videtur. Et proinde Univerſitatis hujus æque ac imperii (prout ab Authore noſtro celebratur, licet non ipſe primus Monarcha) Fundator merito appellabitur.

ero; aliqua saltem ex parte jacturam sarciam; qui verum conditorem Academiæ suæ non modo confirmaverim, sed & ejusdem (quantum nostra tenuitas in tanta vetustate & temporum caligine investigare possit) illustrissimi & incomparabilis Herois, unde originem ducunt, honorem illustraverim. Neque enim existimem illos fundatorem ante hunc Principem agnoscituros, nisi commune illis atque toti Regno contigisset infortunium, ut singulare tanti viri decus illorum notitiam fugisset. Neque enim mediocris gloria (si quis eam ambiat) reputanda est, quod Universitas Oxoniensis eodem sui, atque imperii Anglicani conditore gaudeat & fruatur. [a]

[a] Ad alterum controversiæ caput (Authorem etiam in deviis sequuti) *Cantabrigiæ* scilicet antiquitatem, accedamus. Cujus originem qui verisimiliter loquuntur à *Sigiberto East-Anglorum* Rege, (licet hæc à plurimis historicorum ignoratur) deducunt. De quo Beda l. 3. c. 18. *Sigebertus*, inquit, *quæ in Galliis bene disposita viderat, imitari cupiens instituit Scholam, in qua pueri literis erudirentur; juvante se Fælice Episcopo, quem de Cantia acceperat, eisque pædagogos ac Magistros juxta morem Cantuariorum præbente.* Aut ex hoc testimonio, aut nullibi haurienda est Academiæ Cantabrigiensis tam laudata antiquitas. Perpendamus aliquantillum quæ hic dicta sunt. *Scholam* instituisse dicit Beda; *Scholas* & quidem per totam East-Angliam, & forte Dummoci, ubi Fælix Episcopus sedit, vel Flixtonæ (S. Fælicis oppidi) Malmsb. Floril. Huntingd. Flo. Wig. authores moderni. At qualem? quales sc. ipsemet Sigebertus in Francis viderat, & quales Fælix Burgundus noverat. At nulla tunc in Francia Universitas; prima enim (Parisiensis) non nisi à Carolo Magno longe post Sigeberti tempora condita est. Instituit Scholam vero *in qua pueri literis erudirentur.* Vidit doctissimus Annotator hoc nihil ad Academiæ suæ antiquitatem conferre, & proinde pueros hic interpretatur juvenes, sensu nimirum à Scriptoribus sacris usitato. Sed quos dicemus præter pueros *literis* erudiri? hic ergo (ne aqua sibi hæreret) ex alio Bedæ loco nobis persuaderi velit hac in Schola prælectam fuisse Theologiam. *Sigbertus* (Beda l. 2. c. 15.) *cum exularet in Gallia fidei sacramentis imbutus est. Quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam suam Provinciam facere curavit.* Ad hæc Annotator, *cupiens Catholicam fidem imitari, hanc Scholam catholicæ fidei pro tota Provincia sua normam constituit.* At quis non videt *Sigbertum* Regem piissimum operam dedisse suæ gentis conversioni; quæ (Redwaldo in Paganismum relapso, & Eorpwaldo brevi tempore post acceptum Christianismum occiso) adhuc Ethnicis superstitionibus & Idololatria volutabat? donec *Sigebertus* tribus annis post mortem Eorpwaldi è Francia rediens (una cum Fælice Burgundo ab Honorio Archiepiscopo Cantuariensi ad convertendos East-Anglos misso) strenuam prosperamque operam biennio, quo regnavit, contulit: ibique Scholum crivialem educandis conversorum filiis neophytis instituit. Quæ quidem licet in illa regione res nova & visenda quidem videbatur; in aliis tamen Angliæ locis, qui diutius Religioni Christianæ militaverant, satis frequentes reperiebantur. Facta enim dicitur hæc Schola ad imitationem Gallicarum & Cantianarum. Cantianæ ergo Antiquiores, atqui Academiam in Cantio quis unquam somniavit? huic malo ut mederetur Annotator, respondet (quem errorem erravit etiam Lambardus, in peregrin. Cant.) Theodorum Archiepiscopum (è Bedæ lib. 4. c. 2.) & Adrianum *congregata discipulorum caterva, Metricam, Astronomicam, Ecclesiasticam denique disciplinam inter Sacrorum apicum volumina tradidisse.* At non dicit Cantuariæ, quin potius Græcoladæ, ut supra dictum est. Sed in hoc fidem Annotatoris eruditi desidero, qui certe non ignoravit Theodorum non ante annum 668. Archiepiscopum factum, & circa ann. 670. biennio fere postea Angliam trajecisse, cum Sigebertus Scholam instituisset ann. 632. vel circiter; (in successionibus enim East-Anglorum temporum series non adeo certe constat) 38. annis sc. ante Theodorum. Quod si concedamus scholas, quibus *juvenes scientias* docerentur, ad exemplar Cantuariorum (non autem Theodori) à Sigeberto institutas; at ubi? Grantecestriæ? At hoc non constat è Beda, sed potius contrarium. Nam cum de Sancta Edheldritha (St. Audry) Ecberti Northumbriæ Regis (qui regnare cœpit a° 671. non ita longe post Sigeberti tempora) uxore loqueretur; *quærentes*, inquit, *lapidem, de quo locellum facere possent, ascensa navi venerunt ad civitatulam quandam desolatam, non procul inde* (ab Insula Eliensi) *sitam, quæ lingua Anglorum Grantecestria vocatur,* Inter rudera nimirum desolatæ urbeculæ locellum quærentes. Num Sigibertus Scholam constituit in civitatula, cum urbes haberet celebriores? & civitatula infrequenti, & quæ intra 40. annos penitus intercideri? Non quæram, quid tunc actum sit de Schola inter rudera civitatis, sed velim scire quid hoc ad Cantabrigiam. *Grantecestria,* inquit Annotator, *non longe à Cantabrigia, ad cujus antiquitatem Academia suam gestit referre* p. 312. Et referre quidem jure poterat, si (quemadmodum Oxonienses à Græcolada) studiosi deserta, simul & uno tempore, *Grantacestria, Cantabrigiam* se transtulissent. Sed hoc non constat: imo nec *Cantabrigiam* ex alterius ruinis ortam. Nescio an peculiaris Cantabrigiæ mentio reperiatur ante tempora *Joffredi Abbatis Croylandensis*, qui Ingulfo a° 1109. mortuo successit. Is "enim Gislebertum commonachum suum & sacræ Theologiæ professorem cum tribus aliis, Odone Grammatico, Terrico Logico, & Guilielmo Rhetore, Cantabrigiam misit: qui conducto quodam horreo publico, suas scientias palam pro$\overline{\text{si}}$teutes, in brevi temporis excursu grandem Discipulorum numerum contraxerunt; a° vero 2° adventus illorum tantum excrevit discipulorum numerus, tam ex tota patria, quam ex oppido, quod domus maxima, horreum, neque ulla Ecclesia sufficeret

Initium Academiæ Cantabrigiensis.

50. Manifesta utriusque ex nostris Academiis origo constat ex optimis apud nos Historicis (inquiebat Antiquarius ille) *Cantabrigiæ* quidem à *Sigeberto*, *Oxoniæ* vero ab *Ælfredo*; quicquid ultra quæritur, velut origines gentium, fabulis nititur, & suspectæ fidei testimoniis: quibus cur ulterius certare velint, utra prior concepta fuerit, cum utriusque natales vulgo innotescant? Res ita se habet: nobiles nostri alterutram necessitudine contingentes litem componi nunquam patiuntur. ᵃ Sin homines studiis vacuos audiremus. *Polydorus Vergilius*, ortu Italus, Cantabrigiæ primas tribuit; & *Middendorpius* Germanus vir eruditus, qui tribus libris, magno cum judicio & industria de omnibus, quæ toto orbe extiterint, Academiis disseruit: quem etiam *Autor Apologiæ* (si bene memini) recolit; licet sententiam ejus in medium depromere consultum non duxerit. Is (inquiebat Antiquarius) cum videret Academias nostras de sua utramque antiquitate inter se tantopere digladiantes, paululum spectaculo commotus; ne forte alterutri minus æquum se præberet, hanc curam molestiamque, ultro suscepit; ut quantum indiciorum utrinque profectum esset, inspiceret,

eorum receptaculo, v. Ingulfi Append à Petro Blesensi, ut dicitur, exaratam. Et hoc vel deteriori statu permansisse per aliquod tempus ex historia Rogeri de Croyland facile comparebit. Scripsit is (circa ann. 1214.) vitam *Thomæ Becket* non ita pridem mortui. Ubi de quodam Grym verba faciens, dicit *eum natum fuisse in quodam castello Angliæ quod vocatur Cantabrigia.* Iste Rogerus unus eorum est, qui in Quadrilogo eduntur, scriptorum; & in libro impresso Grantabrug impressoris vitio exhibetur; sed bini, quos habemus, codices Mssᵗⁱ *Cantabrigiam* legunt. *Castellum* vero est vicus vel oppidulum munitum. Certe aut aliam nobis *Cantabrigiam* inveniant, aut *Cantabrigiam* tunc temporis non fuisse gloriosam illam Universitatem fateantur. Quando vero ad illum honorem evecta sit (ut odiosam hanc materiam breviter expediam) testatur Appendix ad Petrum de Ickham, *in anno*, inquit, 1320. *de Studio Grantebrugge facta est Universitas sicut est Oxenium, per Curiam Romanam.* Certe non satis intelligo quid sibi velit Reverendissimus Usserius (de Eccl. Brit. Primot.) p. 61. *E ruinis* Grantacester *existimant nonnulli crevisse Cantabrigiam, quæ* (Cantabrigia sc. an Granracester?) *ab Asserio Menevensi, Fabio Ethelwerdo, & Anglo-Saxonicis Annalibus* Grantbrycge & Grantanbricge *vocatur: à qua & toti circumjacenti comitatui inditum est nomen* Grantanbrigshire. *Unde etiam Alfredo Beverlacensi* Caer-Grant *exponitur* Cantebrigg. *Quod nomen ab Ethelwerdo primum usurpatum invenio.* Et reliqua, quæ omitto; quoniam ipsemet in Appendice παροράματος consilius delenda monet. Sed si *Cantabrigiam* hodiernam existimarer ipse esse Grantbrycge veterem, quæ comitatui nomen tribuit, quomodo fieri potest ut primum apud Ethelwerdum reperiatur; cum ipsemet Asserium & Chron. Saxon. citaverat? Dein cum nec apud Ethelwerdum legatur, qui de Cambridge Glocestrensi oppidulo obscuro, non castello, manifeste loquutus est, sententia nostra magis confirmatur, ante Ingulfi Appendicem Cantabrigiæ mentionem non haberi.

ᵃ Polydorum Vergilium non tantum nos, sed & omnes viri docti utut in lingua Latina versatum, in historia certe infidum vel indiligentem uno ore consentiunt. Ingenue, & ipse Cantabrigiensis Dominus Joh. Goodricius; *Si à Polydoro Vergilio ponderis aliquid huic argumento accedat; non dubitat ille affirmare, Sigebertum Academiam aº 630. instituisse: quam convenienter rationibus Chronologicis ipse viderit.* Middendorpius, quæ de Cantabrigia scripsit vel ab ipso Polydoro, vel (ut alii dicunt) à quodam Hatchero Cantabrigiensi, sine examine vel judicio, excepisse dicitur; utcunque in rebus nostris vel minimum versatus apparet. Quod si extranei judicio submitti causam oporteat, quæramus non obscurum quempiam ardelionem, sed virum tum scientiæ tum judicii authoritate toto orbe celebrem; qui utrique Academiæ interfuerit, & post accurata diligentia utriusque rationum examinationem deliberate sententiam pronunciaverit. Quem vero doctissimo *Alberico Gentili* conferendum censebimus? Is vero in oratione quadam aº 1604. aº ætatis suæ 53º edita hæc habet. *Oxonium Musarum ocellus, nobilissima Academiarum: Si nobilitas antiqua divitiæ sunt & virtus; & Oxoniensis Academiæ divitiæ ac virtus antiquissima sunt omnium Academiarum. Antiquæ illæ quatuor nominantur*, Lutetia, Oxonium, Bononia, Salamantica. [Cle. 1. de mag. ubi Zab.] *Et* Lutetia *dicta prior est*; *at* Homini Gallo, *in* Concilio Galliæ. *At posterior est* Oxonio, *si hæc nostra est* Lutetiæ *mater.* [v. Albini Flacci Alcuini opera in priu. inter testimonia de Alcuino; ubi Fundator dicitur studii Parisiensis, i. e. ab Helinando pag. 6. ab Authore Magni Chronici Belgici. à Trithemio p. 8. ab Authore Chronici Chronicorum. à Polydoro Vergilio p. 9. à Balæo p. 10. à Possevino p. 13.] Et Alcuinus *noster*, Caroli *autem* Magni *Præceptor*, *ipse fuit Author ut* Parisiensis *schola inciperet, & initium haberet, ubi antea nulla erat. Quod ipsi sic scribunt, & confitentur Galli.* [Gag. l. 4. & 7. Ramus præf. Schol. Phys. Antoninus 2. p. l. 14. c. 5. p. 126.]

ceret, expenderetque; visisque & intellectis, primo viros tam graves & eruditos de re momenti non ita magni tam acerbe & immodeste certare, reprehendit; deinde suadet, id potius agant, ut altera alteram vera religione, sapientia, studiisque liberalibus, item auditorum probitate, modestia, & progressione in literis certatim superent. Quæ vero de antiquitate, ædificiis, Collegiorum specie, studiosorum frequentia, fundatorum dignitate & similia depromuntur aliena, non magni pendere, quæ omnia (dicit idem) *ad mortuorum potius quam vivorum gloriam pertinent.* Hæc cum edisseruerat, absque ullo affectu (sic enim ipse Middendorpius) hanc demum profert sententiam. *Utramque hanc Academiam veterem quidem atque florentem reperio. Cantabrigiensis tamen, (quantum hactenus deprehendere licuit) tempore prior & antiquior est: ideoque ab ea principium ducam.* Deinde ab Academiæ Cantabrigiensis descriptione orditur. Apologia l. 1. § 2. p. 177. citat Authorem incertum (quem justa aliqua ratione non reprehendit, sed tantum asserit eum fuisse deceptum) dicentem; *Oxonii gymnasium instituit Alvredus, hortante Neoto viro Sanctissimo; unde à tempore, quo Cantabrigia sub Sigberto Rege Orientalium, & Oxonium sub Alvredo condita sunt, semper fuere viri in Anglia doctissimi---- Cantabrigiæ Gymnasium præcessit Oxonio annis 265. Nam Sigbertus anno Christi 630. Cantabrigiam erexit; & Alvredus Oxonium anno Christi 895.* Mox etiam citat Johannem Rosse è Thoma Rudburne & antiqua tabula & chronico Cœnobii Hydensis (quorum utraque vidisset) scribentem de Edvardo Seniori hoc modo; *Sicut pater suus (Alvredus) Oxoniam, sic ipse, ab antiquo cum cæteris studiis generalibus suspensam, desolatam, & destructam Cantabrigiam iterum ad primam gloriam evexit. Nec-non ibi Aulas studentium & Doctorum &c--- Ab Oxonia namque Universitate, quam pater suus, Rex nobilis, erexerat, &c.* Edvardus Higgons etiam in Geographia sua MSS. l. 6. c. 8. dignitatem Oxonii celebrans, *certat,* inquit, *nominis celebritate cum hoc Oxoniensi gymnasio Academia Cantabrigiensis. Quæ, etsi scholasticorum numero & coenobiorum magnificentia impar sit; bonarum tamen artium feracitate nequaquam, sed antiquitate longe præstat, nam Oxoniense studium Alvredus, circiter ann. Salutis 895, illam vero Sigbertus circiter ann. Sal. 630. fundavit.* Denique Dr. Powel, ipse etiam Oxoniensis, in Cambriæ historia dixit; Alvredum Oxoniam fundasse & instituisse. Et hæc quidem cum multis aliis expressa videntur testimonia pro Cantabrigiensis Academiæ Universitate, cum pro Oxoniensi habeantur tantum consequentiæ.

51. Nec ideo negandum (inquit idem Antiquarius) *Oxoniam* per multa, post earum institutionem secula magis inclaruisse. Licet enim aliquoties ab Ethnicis Danis nonnihil incommodi acceperit; tamen Christianos Reges, eosque præpotentes, quibus curæ & cordi literæ fue-

fuerunt, ſemper vindices experta eſt: cum *Cantabrigia* Danis opportunior, eorum furori ac rapinis expoſita, nec non ab iiſdem penitus devaſtata, gentis barbaræ, literaſque & omnem humanitatem exoſæ tyrannidi per complures annos ſubjecta duravit. Interim *Oxonia* præverti opibus; præſertim quod Occidentalis Angliæ plaga, quæ tota reſpicit *Oxoniam*, municipiis denſior, adeoque Senatoribus longe ſit feracior, quam Orientalis, quæ *Cantabrigiam* potius frequentat. Hinc factum eſt, ut Parliamentum *Oxoniam* alteri fere prætulerit: & ut cum indigenæ, tum exteri, paſſim *Oxoniæ* priores detulerint partes.

52. Denique (inquit Antiquarius) academicis utrinque expediret, ſi id animis penitus infixum gererent; ſe veſci cibis ab aliorum pietate Deo conſecratis: interimque alimentorum, cæteræque ſortis rationem reddituros. Proinde (quod & Middendorpius commonefecerat) æmulatus mitterent; collatis autem operis ad ſinceram religionem, literas, humanitatemque promovendam, quod ſolum tam munificis patronis in votis fuit, ſe mutuo, meliori quaque ratione, provocarent: ita futurum, ut ſine invidia glorientur, qui ſe probaverint ea legitime bonoque jure poſſidere, quibus gloriantur. Denique magno cum Eccleſiæ, tum Reipub. bono piam eorum voluntatem, quorum beneficiis ſe jactant, ſic adimpleant; ut Deo plus gloriæ ex poſſeſſoribus, quam ex conditoribus redeat. Sed in viam unde digreſſus ſum, jam redeo.

Quales quæve fuerint ædes ab eo Oxoniæ inſtituta.

53. Superius aliquantum demonſtravi quis eſſet Univerſitatis *Oxonienſis* recens conditæ ſtatus primævus. Tres ſcilicet Aulas ſeu *Scholas* extitiſſe ſeorſim ædificatas: nominibus *Univerſitatis Aularum Magnæ*, *Minoris*, & *Parvæ*. Sic enim (inquit Roſſus) eas appellari voluit Ælfredus, diverſis autem urbis Regionibus diſpoſitas. Aulas *Magnam* quidem, *Parvamque*, prope portam ejus Orientalem; *Minorem* vero ad mænia ex parte Boreali.

Fundationis ratio & modus.

54. Porro ut Aulæ numero tres in honorem ſacroſanctæ Trinitatis dicatæ ſunt, ita & ſcientiarum numerus quibus attributæ ſunt, ternarius fuit; *Grammaticæ* ſcilicet, *Artium*, & *Theologiæ*. In Aula *Parva* 26 alumni rudimenta *Grammatices* ponebant. Aula *minor* alumnis pariter 26 *Logicam*, *Muſicam*, *Arithmeticam*, item *Geometriam* & *Aſtronomiam* edocendis deſtinata eſt. In Aula denique *magna* 26 alebantur ſtudioſi quibus *Theologia* ſola prælegeretur. Primi Profeſſores Theologiæ fuerunt S. *Neotus*, & S. *Grimbaldus*. Primus prælector in Logicis, Muſicis, & Arithmeticis fuit *Johannes Monachus Menevenſis*. Primus prælector in Geometria & Aſtronomia fuit *Johannes Monachus Grimbaldi collega*. Et *Aſſerius Monachus* Grammaticam & Rhetoricam prælegit.

Annales Winton.

55. Quod

55. Quod ad homines nomine designatos hujus *Universitatis* Professores attinet, illud notandum; quod si S. *Neotum* & *Asserium*, viros illo nomine celebres intelligamus, magnis nos difficultatibus implicabimus. * Etenim S. *Neotus*, Abbas ille præclarus, licet primus Regis ad scholas erigendas hortator, tamen Professor esse non potuit; utpote qui ultra annum 883. non vixerit; quod ex Balæo & Asserio Menevensi constat. Qui anno 884. reliquias ejus in S. Gueriri Ecclesia in Cornubia deponi asserit. Et de eo velut defuncto, quoties fert occasio, semper agit. Neque vero ratio suadet hominem Abbatem, aut Episcopum, relictis provinciis (Episcopum maxime) Grammatices Prælectorem ordinarium in scholis agere. Quin & ante demonstravimus *Asserium Episcopum*, neque fuisse, neque esse potuisse. Liber ipse non alium quam *Asserium Monachum istic Grammaticam prælegisse* designat. Aliorum errore factum ut idem Episcopus reputaretur. Quod autem idem liber ab Apologia citatus dicat, *legentibus sancto Neoto Abbate*, inspicere convenit; anne ita codex se habeat, neque sit interpolatus, neque notarius (quod sæpe fieri solet) ad rem vetustam illustrandam ex proprio sensu glossema quodpiam pro textu, & commentum pro commentario apposuit. Probabilius geminos igitur ejusdem nominis, *Neotos* scilicet & *Asserios*, fuisse; recentioremque utriusque nominis prælectorem fuisse verisimillimum. *Quinam fuerunt primi Professores:*

56. Scholæ sic institutæ latifundiis non dotabantur, neque enim illi temporum conditioni illud conducere videretur. Rex autem tum ipsis, tum *Monasteriis*, quæ extruxerat, melius consulens (præter aream soli, quod domibus inædificandum donaverat) ipsis annua stipendia, unde jugiter alerentur, attribuit. His igitur Scholis sustentandis octavam integri reditus partem in annos sepofuit. Eaque exhibendi ratio in hunc modum (uti videtur) usque ad Normanni adventum duravit. *Et dotationes.*

57. Opere tandem exacto, scholis conditis, juventute studiosa frequentatis, & lectorum assiduitate instructis; Rex ipse, *cujus memoria* (secundum annales Hydenses) *dulcedini mellis in omnium ore conferetur*, nobilitate stipatus, cum summa celebritate dignatus est primis lectionibus interesse auditor: neque cœptis prius destitit quam ea numeris omnibus absolvisset. *Scholas aperit dedicatque.*

58. Hæc igitur sufficiant in specimen Regiæ magnificentiæ; tam in iis, quæ ad Rempub. tuendam muniendamque, quam quæ ad civitatem instruendam, ornandamque faciunt.

59. Rex

* Certe ex Asserio non constat S. Neotum anno 884 obiisse, quin potius aliquot annis postea; licet nec hoc diserte. Sunt qui dicunt ipsum anno 873 defunctum, contra historiæ fidem. Baleum (authores suos non citantem) non multum æstimamus. Ex antiquioribus nostris Historicis nihil certi colligere possum. Asserius vero historiam suam anno 894 scripsisse videtur; cum expresse 45. Regiæ ætatis anni meminit. Quare non opus est ut binos Neotos & Asserios statuamus.

Palatia regia restituit, nova condit; villas etiam & prædia rustica.

59. Rex autem neque sic manum retulit, aut animum unquam otio resolvit. Sed ut his operibus,quæ bonum publicum augerent, incubuit, ita pariter in iis occupatus est, quæ jus atque dignitatem regiam spectarent; neque vero in domesticis atque re familiari tuenda, atque amplificanda, cessavit. Quamobrem domos regias atque palatia ad formam, quæ imperio jam parto congrueret, de integro excitavit ampliores. In quo non id tantum spectavit, ut veteribus laxiores redderet; sed & in his etiam, quemadmodum in cæteris operibus, exempla majorum tum quoad formam, tum quoad materiam supergressus est. Ut igitur ædes quam utiles tam speciosas efficeret, earum situm priorem sæpius immutabat. Easque magna ex parte ex saxo quadrato (quod isti seculo minus usitatum) extructas cælaturis auroque condecoravit; adeo ut augustiores, quam ante illud tempus unquam in Anglia visæ fuissent, redderet. Eandem pariter rationem sequutus est in re familiari curanda & excolenda. Regales etiam villas, quo pulchrius & commodius in iis habitaretur, emendatiorem in formam refecit & exædificavit.

60. Ita dum Regi opus infinitum excresceret, etiam operarum numerus mirum in modum augebatur. Hinc necessario initum consilium, operis ordinem certis vicibus & apta dispositione partiendi; in quo Rex semper accuratissimus. Numerus quidem operarum definitus, unde liceret etiam de magnitudine operum conjecturam facere, non constat; nisi quod eas Florentius fuisse dicat *numero pene infinito.* Quod ad peritiam autem attinet, *in omni terreno ædificio edocti* dicuntur. Porro reperitur & illud in regiorum redituum distributione, integrum annui proventus sextantem iis attributum. Cui summæ si & ista consideratio adjungatur; iis seculis operarios non nudum manu pretium accepisse suo interim cibo victitantes; sed de penu Regis nutriri solitos: pecuniæ illius ratio, quæ iis in stipem erogabatur, illos compluribus & magnificis operibus admotos evincit.

Familiam suam instituit & ordinat.

61. Familiares pariter atque domestici cum magno jam numero augerentur, rationem haud admodum usitatam iniit Rex, quæ nobis indicio esse poterit, aut quam multos circum se habuerit, aut cujus demum sortis fuerint, aut saltem quam pauci tunc reperirentur inertes, & suæ potestatis homines, qui laborum immunes vagabundi errarent.

62. Cum *Salomonis* enim (uti videtur) exemplum sequutus est, qui in paranda templo ædificando è Libano materia ex triginta millibus operi designatis, decem millia vicissim in singulos menses adhibuit; qui binis mensibus domi residentes, quarto demum mense ad opus redirent. Rex, inquam, eadem in rebus suis habita ratione, satellitium in tres classes partitus, omnia domestica ministeria ternis vicibus

vicibus in anni quadrante permutavit: Suo quæque classis sub Oeconomo disponebatur; qui cum famulorum grege sibi subjecto ad munus in domo Regia obeundum profectus, ubi mensem integrum in statione permansisset, domum reversus, vicario ternione recreabatur: ut & illi tertio;. donec in orbem redeuntes, primus ternio, cum binos Menses domi requieverat, jam integer, ineunte anni quadrante altero, rursus in mensem Regi ministratum venit.

63. Facile conjecerim Regem, ut majestati consuleret, & comitatior incederet, hanc ministerii rationem observasse. Perpauci enim tunc temporis reperti sunt in ista Repub. (plerosque aut propriæ fortunæ necessitate, aut publicis negotiis in diversum abstrahentibus) digni, vel qui tanto principi famularentur, vel quibus Rex tuto se, resque suas domesticas crederet. Quorum opera cum Rex uno Mense quadrantis anni in Aula usus esset, eandem per reliquum ejusdem quadrantis bimestre patriæ, privatæque eorum res postularent. Neque vero hanc rationem cum solis Præfectis iniit (licet sint qui solis satellitibus has vices præstitutas intelligunt) sed omnem similiter divisit comitatum: neque id ad tempus tantum, sed quoad vixit. Ut diserte testatur Ingulphus; *hac revolutione servorum suorum, totiusque familiæ suæ rotatione usus est omni tempore vitæ suæ.* Neque multum dubito quin dapiferi hodierni (quos **Quarter waiters** appellamus) qui, per singulos anni quadrantes, Regi ad mensam ministrant, ab hoc Regis instituto manarint. *Ingulf.*

64. Inter reliquos autem Ministros, instar Salomonis, etiam *Musicos* conquisisse observatur. Neque eos ex vulgo, qui tantum usu vel memoriter cantare didicerant; verum ipsius artis peritos; quorum facultatem & symphoniam non tantum ipsemet excoluit; sed & diversis legibus & institutis regiam dignitatem ornantibus ordinavit. *Musicos quærit exquisitos.*

65. Porro sibi Regalis oblectamenti & voluptatis instrumenta, *Ancupes* & omne genus *Venatores* acquisivit. Quippe Saxonibus avito ex Germanis more, *venatibus* exercere juventutem pulchrum atque laudabile habebatur. Quod studium duritiæ ferendæ aptos, laboris patientes, & periculis assuefactos reddit. Quæ tamen *Venatio* præcipue in feris & nocivis animalibus extirpandis occuparetur. Cum autem Rex ipse ab juventute in hujus generis exercitiis reliquos longe anteire cerneretur, exercitiorum istorum usum atque speciem ita instruxit; ut illorum etiam apparatus & ordo grande quiddam atque magnificum præ se ferret. *Ancupes itidem & venatores.*

66. Inter cæteram vero gazam Regiam, quam ex *Indico* commeatu classis ab *S. Thomæ* ipsi reportaverat, complures *Orientis deliciæ, species, pigmenta, gemmæ* sunt allatæ. Quorum usum his terris ignotum ipse *Gemmarios, aliosque fabros aurarios, & argentarios.*

Kk

ipse Princeps, undiquaque conquisitis artificibus, *Unguentariis*, *Aurifabris* atque *Gemmariis*, qui illa tractarent, primus aperuisse videtur. Ea vero sæculi istius crassities, & tam dextra Principis facultas, cuicunque se applicaverat, emicuit; ab ejus ingenio atque præceptis tum artifices cujusque generis, tum ipsæ artes incrementa ceperint. Dum principis solertiæ artifices se in desciplinam tradunt, & quas ipse cogitationes ac formas mente præceperat, illi manu exequuntur. Quibus omnibus eo tantum usus est, ut insigniorem regno majestatem conciliaret.

Coronam imperialem sibi fieri curat.

67. Et nescio sane cur conjectari non liceat, Regem navigiis ab India fæliciter reversis, satis Orientalibus gemmis artificibusque propria industria collectis & edoctis instructum, jam tum *Coronam Imperialem* faciendam suscepisse. *Coronam*, dico non ejusdem formæ fortassis, atque illam, quæ hodie discriminis gratia dicitur *Imperialis*; formæ tamen Augustioris atque imperio dignioris, quam quæ hactenus uspiam in his regnis usurpata fuisset. [a] Etenim in arcuata cella ad peristylium Westmonasteriensis Cœnobii, ubi vetera decora atque insignia hujus regni asservantur, in operculo pyxidis (quæ antiquissimæ coronæ capsa est) habetur inscriptum ad hunc modum. *Hæc est principalior corona, cum qua coronabantur Reges, Ælfredus, Edwardus*, &c. Ipsa vero *corona* (quod hunc in finem observatu dignum) operis fuit Archaici, diducta in flores, ocellatura gemmarum, pro sæculi captu, non adeo curiosa. Hæc cum esset Ælfredi, Regumque, qui ei successerunt, ab ipso Ælfredo facta existimari debet; idque cum Heptarchia penitus sublata solus ipse regnaret. Qua de causa, sicut & ipsarum gemmarum pretio (quæ istoc & compluribus insecutis sæculis per has terrarum plagas percharæ fuerunt) ita & singulari veneratione, quam posteri ad hunc usque diem tum archetypo tum ejus autori detulerunt, Corona principalior merito habenda videatur.

Dignitatem & honorem Equestrem solenniter confert.

68. Quo melius autem conjectetur (explicitam rerum memoriam utcunque dies subduxerit) Regem nihil eorum prætermisisse, quæ summo imperatori jure competere videantur; illud certe constat (unde unde [b] ritum acceperit legitimum) ipsum forma quadam solenni

[a] Audiatur Harpsfeildius. Insignia regiæ consecrationis (quæ Regalia vulgo appellantur) quibus Reges nostri, cum Regno initiantur, solenniter ornantur, ab Ælfredo primum manarunt, posterisque per manus sunt tradita. Licet ut essent magis apud populum & Reges commendata, vel ob singularem ipsius sanctitatem, vel quia de suo forsan aliquid adjecit, Divo Regi Edwardo Confessori tribuantur. Qua de re extat (in chron. Rich. Cices. l. 3. c. 3.) disceptatio quædam Gulielmi Sudburiensis ad Regem Richardum secundum scripta. De coronæ figura nihil novi, at è nummo Edwardi Ælfredi F. coronam ejus fuisse ad modum Imperatorum Orientalium satis est manifestum (v. Num.) & ex appellatione *Corona* Saxonica, quam illi Cyning-helm sive Regiam Galeam dixerunt, colligi potest. Sane è Regibus nostris post Christianam Religionem acceptam primis majestatis insignia usurpata fuisse nullus dubito; de unctione, & corona jam dictum est. *Tufam* sive pilam primus ante se Edwinus gestari curaverat. Ann° D. 620. *Sceptrum* quoque cruciforme in nummis cernitur.

[b] *Anglorum erat consuetudo* (Ingulf. f. 512. Jo. Sarisb. de nugis Curial. l. 6. c. 10.) *quod qui militiæ legitime consecrandus esset* &c. Num vero ab Ælfredo hic mos initium sumpserit, vel ante ipsum in usu fuerit, nescimus.

a Sax-

lenni ad *Equestrem* dignitatis ordinem quandoque fecisse promotionem. Quo facto non est dubitandum, quin Anglorum regibus ejus muneris conferendi autor & institutor fuerit. Is (in quo solo exemplum reliquisse comperimus) nepos erat *Athelstanus* Edwardi filius, adhuc ætatis immaturæ; cujus animi alacritate, oris venustate, & promptis obsequiis adeo delectatus est Ælfredus; ut velut afflatu quodam divino correptus eum benedictione votiva Regem post patris Edwardi decessum salutaverit. Dein *Equitem* crearit; primo veste coccinea indutum; deinde Zona cinctum gemmis distincta, cui appendebat sica saxonica in aurea vagina. Neque sane frustratus est hunc honorem *Athelstanus*; sed & Edwardo patri in regno successit, & avitæ virtutis vestigiis ita presse institit (sicut & oris ipsius lineamentis Ælfredum expressisse fertur) ut & patrem & avum opibus quidem & Regni gloria superarit. *Malmsb. de gestis Reg. Angl. l. 2.*

69. Hactenus omnia lustravimus, quæ de Regis operibus publicis, rebusque gestis extare comperimus: quæ, quamvis imperfecta, & ab ipsis scriptoribus jejuno quodam dicendi genere, nec satis plene, sed tantum obiter atque carptim notata; satis tamen valent ad demonstrandam amplitudinem animi vere regii & augusti. Restat ut de pietate ejus, atque vita domestica paucis agamus.

70. Ea fuit dotium Universitas; eoque modo in hunc Regem à Deo collata: ut in quodcunque opus animum appelleret, tantam in eo præstantiam assequutus est, ut ad id unum pene natus, nec in ulla re alia studium atque ætatem transegisse videretur. Adeo ut dum singula vitæ ejus negotia stilo persequamur, alia subinde rerum facies exurgat, & novæ quodammodo scenæ ingressum referat: neque dehinc existimabimus eum in rebus hactenus ab se geri narratis quippiam nisi sub aliena Persona & quasi coactum egisse; utpote cujus animus atque affectus alibi, totus scilicet in pietate & literarum studio, esset positus. *Rex ita omnibus instructus, ut singulis natus videretur.*

71. Sæculum hoc *Monasticis Religionibus* plurimum erat deditum. Neque enim adhuc insolens habebatur ipsos principes, cum imperiis & sæculari fastui nuncium remisissent, institutum aliquod vitæ religiosum ingredi; & quod ætatis restabat, instar Monachorum, divini cultus exercitiis impendere. [a] Tam potenter *Romanæ Ecclesiæ* doctrina temporum istorum sive zelo sive ignorantiæ, simplicitatique infederat. Quicquid autem erat, errorem voluntatis pie ac devote sentientis fuisse interpretari necesse est. Cum pro eo, quod malum erat in sæculo, Christi gregem curæ eorum atque tutelæ in hoc mundo concre- *Ejus pietas & devotio,*

[a] Saxonas nostros, & inter ipsos Ælfredum, æque ac Francos, aliosque Occidentales Christianos fere omnes, Pontifici, Ecclesiæque Romanæ plurimum tribuisse nullus dubitandi locus est. Sed exinde ortam fuisse ad vitam Religiosam sive Monasticam notabilem illam eorum propensionem incautius ab Authore nostro scriptum videtur. Eadem enim Britannis, Scotisque veteribus, eadem (si non & major) omnibus Ecclesiis in Oriente, Egypto, partibusque australibus illiusmodi devotionis & instituti reverentia.

[a] Tertiam

creditum dereliĉtui habuerint. Cumque ſtrenuos Chriſtianæ militiæ Duces adverſus ſæculi pravitatem præſtare, adeoque reĉtæ converſationis exemplo aliis vitæ ſanioris iter oſtendere tenerentur; aciem refugerint; lucernam accenſam ſub modio occuluerint; integræ vitæ exemplar, cum maxime opus eſſet, ſubſtraxerint; & provinciam, quam ſuſceperant, iis fortean dereliquerint: qui, ſi regnare melius ſcirent, Chriſtiani tamen Regis officio fungi minus bene intelligerent.

72. Cum Servator noſter pro iis, quos, ut eſſent mundi luminaria, ordinaverat, patrem interpellaſſet; non ut eos *de mundo* tolleret, ſed ut *in mundo* conſervaret: hi, ſi vitæ Sanĉti Johannis Baptiſtæ inſtitutum perperam æmulati in ſolitudines & avia longe receſſiſſent, quo ſeveriorem ſanĉtimoniam certis legibus adſtriĉti colerent, Chriſti precibus eluſis opus iis mandatum deſtituiſſent. Illi vero è contra, faĉti ſunt omnia omnibus quo certius & efficacius aliquos ſervarent. Magna enim in utramque certe partem exempli vis eſt, tam in traducendis ad virtutem hominum animis, quam inficiendis iiſdem contagione vitiorum. Cum *Monaſtica Sanĉtitas*, præſertim ubi non accedit labor aliquis aut ſtudium in aliorum ædificationem, ſibi tantum pauciſque ejuſdem ſeceſſus collegis utilis exiſtat. Quod ſi paucioribus illecebrarum præliis exponatur, paucioribus etiam palmis donabitur. Quod ad alios vero ſpeĉtat; tantum abeſt ut ad eorum vitam corrigendam exemplo conducat, ut etiam ſegnitiem eorum obfirmet, eoſque abjeĉtiores animi reddat. Cum enim cernant, eam, quæ dicitur vitæ, ſanĉtitatem rem eſſe tam auſteram, cui imitandæ ſe prorſus impares arbitrentur; facile perſuadentur ſibi ſufficere ad minoris alicujus beatitudinis ſpem aſpirare; adeoque ſibi vulgari cujuſdam probitatis exercitio acquieſcendum fore; cum illud ſummum ſit ad quod unquam aſcendere ſe poſſe confidant.

In qua valde regularis & conſtans, dimidiam redituum partem Deo vovet.

73. Regis autem pietatis exercitium hac in parte perquam ſpeĉtabile non erat (qualis Monachorum abrenunciatio) laborum & humanioris vitæ (ſub prætextu illecebrarum mundi) fuga & averſatio; ſed regularis & devota, licet humana, converſatio; nec ſibi tantum, ſed & omnibus utilis, & ſingulis ad imitationem, plus minuſve accommodata. Officiis enim, ad quæ vocatus eſt, jugiter permanens, quamvis acres procellæ atque calamitates in regno maxime ſævierint, ipſe nihilominus à Reipub. gubernaculis nunquam refugerit. Primo igitur (ut voto Monaſticæ paupertatis reſponderet) totius annui reditus ſemiſſem in opera pietatis erogandum Deo conſecravit; & ne quis forte deliĉto locus vel minimus in eo præſtando relinqueretur, quod ſibi in annos redibat, id omne æquis lancibus examinatum in geminas æquales portiones Miniſtris quotannis partiri præcepit. Quo faĉto

Solus Regni gubernaculum titubare & vacillare non ſinebat. Flo. Wigor.

facto dimidium redituum rursus in quatuor partes divisit; quo commodius in eleemosynas & opera charitatis, quibus eam jugiter attribuendam destinaverat, distribui posset.

74. Primum ex his quadrantem sublevandis cujusque generis *pauperibus* assignavit: alterum alendis atque sustentandis duobus *Monasteriis* ab se constructis. Tertiam *Scholis*, quas erexerat, sustentandis. * Postremum omnibus omnino *Cœnobiis* & religiosorum ædibus tum Anglicanis, tum (si res posceret) etiam transmarinis.

Aliasque partes pauperibus, Monasteriis. scholis, coenobiis, etiam transmarinis.

75. a Alterum reservati reditus dimidium in tres modo portiones partitus, tribus pariter usibus attribuit. Primam in *Ministrorum aulicorum* salaria. Secundam in *opificum* & operariorum mercedem. Tertiam in *Alienigenarum* alimenta & præmia. Hic interim notare liceat privatam Regis atque domesticam impensam istis temporibus *fundos regios* suppeditasse. Non eos quidem colonis elocatos, sed Villicorum procurationi demandatos; qui ex eorum fructibus omnia Regi ad usus vitæ necessaria subministrarent. Non autem opinor has portiones usibus sæculi sic attributas toto vitæ spatio ratas atque immutabiles perseverasse, (quemadmodum devoti semissis partes duraverant) sed ad tempus tantum & pro re nata mutationes subiisse.

Quomodo reliqua distribuerit.

76. Rex, qui Deum opibus suis ad hunc modum honorasset, pergit ad eundem modum etiam opera sua sacris addicta pariter eum venerari: quem ad finem dimidiatum etiam vitæ tempus in Religionis exercitiis collocandum devovet. Neque id tantum devotioni secretæ *impendebat, sed divina quoque ministeria* & missam scilicet quotidie audire, psalmos quosdam, & *orationes, & horas diurnas & nocturnas celebrare, & Ecclesias nocturno tempore orandi causa clam à suis adire solebat, & præsens frequentabat.* Dein & privatæ lectioni & divinis meditationibus incubabat: ideoque semper in sinu circumtulit diurnum cursum, & psalterium, aliquot insuper puræ chartæ folia simul compacta; in quæ quotidie congessit sententias pias, & excerpta ex SS. Scriptura, quæ stimulis ad devotionem additis animum ipsi plurimum affecerant. Ubi vero multum delectatus istiusmodi eclogis crebro inserendis, & relegendis, vacua folia brevi complesset, alium libellum in forma schedæ quadruplicis, quaternionibus consutis comparavit; cui similiter undiquaque decerptos flores inscripsit; donec alio post alium quaternione adjecto, hujusmodi collectanea ad justam psalterii molem excreverint. Quorum repetita lectione in tantum voluptate perfusus est, ut hand-boc (Manuale) vocitaverit, quod dies, noctesque ipsi perpetuo ad manum esset.

Et quantum temporis Dei cultui consecraverit:

Diurnus cursus & Psalmi. Asser.

77. Cum

* Tertiam Scholaribus Oxoniæ noviter congregatis. Jo. Brompt.

a Malmf-

Quod cereis succensis mensuravit.

77. Cum Deo vovisset dimidiatam tum corporis, tum animi operam, altera jam illi cura incubuit, ut votum quod in se receperat, rite præstaret. Quod ut faceret minus in promptu erat, quoniam isto sæculo neque clepsydræ neque horologii usus, quibus tempus diurnum vel nocturnum recte partiri possent, apud nostrates obtinuerat. Quare Rex Cereos, quos in usum quotidianum sibi appositos habebat, quanta potuit cura observans quo temporis spatio consumerentur, habita proportionis ratione alios excogitavit; qui justum 24 horarum spatium flagrando admetirentur. Quod hac ratione præstitit: Ceræ quantum contra 72 istius temporis Denarios penderetur, sumpsit: quod in 6 cereos efformandum curavit. Quorum quisque 12 Denarios ceræ pondere in 12 pariter uncias lineola seorsim notatas divisus æquaret. Hi vicissim accensi 4 horas fere durabant singuli, ternis unciis horam unam conficientibus. Adeo ut omnes 6 cerei justum 24 horarum spatium flagrando æquarent: eos autem æditvis servandos commisit, qui debitis subinde intervallis Regem cerei deflagrantis admonerent; ut suis quæque temporibus perinde accommodaret negotia.

Quos laternis defendit.

Malmesb. de gestis Regum Anglorum.

78. Quoniam vero tempestate turbida atque procellosa cerei citius absumerentur, adeoque officiorum rationem turbarent; Rex, ut isti malo occurreret, aliquod remedium excogitare necesse habuit. Vitrum illi non suppetebat; quod, etsi jampridem in Angliam à Benedicto Abbate invectum (qui B B. Petri & Pauli Monasteria secus Wyram (*Wedram*) in agro Northumbrorum extruxerat) tamen adhuc insolens, nec usibus præsto fuit. Cum igitur coactus esset aliquam confestim explicare rationem, qua cereis, ne incassum defluerent, succurrere possit; cornu candidum in tenues atque pellucidas laminas rasum fulcimentis ligneis inserendum curavit; eique lumina inclusit. Qua ratione assequutus est non solum ut cereos, quatenus imminuerentur, observaret, sed & eosdem à ventorum injuria tueretur. Fabrica utilitatis compertæ cito manavit in populos. Quamvis autem corneæ laternæ jam usibus vulgi protritæ sint, ac proculcatæ, tamen & origine satis ingeniosa, & apud nos autore Rege commendantur.

Digressio de ejus voto.

79. Porro notandum est, Asserium Menevensem à Malmesburiensi nonnihil discrepare circa temporis modum, quod Ælfredus devovit. Priore quod supra posuimus tradente: posteriore vero, quod 24 horas in tres portiones partitus earum primam Deo consecrarit; secundam rebus Regni publicis; reliquam naturali refectioni, & quieti; adeoque tertiam tantum temporis partem Deo dedicarit. Utri sententiæ potior fides adhibenda sit, penes lectorem restabit judicium: utraque certe idoneos autores habet.

bet. [a] Asserius autem non tantum Regi superfuit, sed & eidem voti conscius; neque valde pugnant hæc inter se: cum ex ipso Asserio constet votum non sine certis exceptionibus factum, quantum scilicet infirmitas, possibilitas, & suppetentia permitterent. Quæ praxi facile intra modum, quem refert Malmsburiensis, coarctarentur.

80. Illud amplius notandum circa hoc Regis votum; fuisse factum, neque inter adversa rerum, quo tempore hominum animos facilis incessit religio, neque in ætate senio confecta, cum jam nihil in vita suave sit; sed ut in primo ætatis ingressu animum ad pietatis studium applicuit; ita votum hoc ultro suscepit annis jam maturus atque robustus, in rebus quam maxime secundis, omniumque, quos exhauserat, laborum fructu, statim sc. post conditum Athelingeiæ Monasterium; & ut absolveretur voti, cujus eum victoria Æthandunæ parta damnaverat.

81. Ætate primulum florescente acerrimis concupiscentiæ naturalis facibus gravissime tentatus est. Quas ut restingueret, de nocte clam surgere & in templum se conferre, ibique prostratus instanter Deum orare solebat; ut ipsi supremæ gratiæ auxilium adversus importunæ cupiditatis insultus submitteret, aut saltem ægritudine quapiam (quæ tamen neque dehonestamento neque impedimento foret quo minus vitæ officiis fungeretur) ipsummet pariter humiliaret, & petulanti appetitus vim infringeret: quo liber & vacuus ab omni impotentis affectus tyrannide citra solicitudinem se totum divinæ voluntati exequendæ, & præceptis conservandis, addiceret.

Morbum aliquem sibi à Deo postulavit juvenis tunc temporis orationi deditus; Galli cantu, & horis matutinis clam consurgens. Asser.

82. Hunc exitum preces habuerunt, ut haud ita multo post, acuto Mariscarum & fici dolore corriperetur. Quo morbo quidem a pueritia tentari assueverat, jam vero adeo vehementer, ut cito efficeretur quod postulasset. Et per aliquammultos annos hic illi morbus ita ingravescebat, & eo tandem eum perducebat, ut sæpius præ cruciatus gravitate minimum à morte abesset. Donec aliquando inter venandum in *Cornubia* oppidum accederet, ubi S. *Gueriri* templum extitit (in quo S. *Neotus* etiam postea sepultus est) quo ille clam comites rei divinæ faciendæ gratia digressus à Deo suppliciter petiit; ut malum illud grave in alium leviorem morbum commutare vellet.

Quomodo Deus preces ejus audivit.

Precibus

[a] Malmsboriensis ex Ingulfo narrationem suam hausisse videtur: locum integrum (cum in impresso aliqua desint) ex optimæ notæ codice Ms°, quem nobis hæc scribentibus præstitit clarissimus Johannes Marsham Domini Johannis tum natura tum studiis F. reddere non pigebit. *Sibimet ipsi vitam regularem indicens quotidie à summo mane per octo horas divino servitio vacabat. Deinde per octo horas alias Regni negotiis intendebat, demum per octo horas diei naturalis novissimas curam sui corporis procurabat. Habebat enim in capella sua cereum coram sanctorum reliquiis continue ardentem secundum hæc tria octonaria proportionatum; ministrumque institutum, qui singulis portionibus consumptis & consummatis Regem de succedente portione vita horologii voce viva commonebat.* &c. Laternarum vero inventionem etsi Regi nostro Asserius, & non dubito quin verissime, ascribat; Fuisse tamen eas in usu etiam apud antiquos Plauti illud testimonium satis confirmat in Amphitryone. *Quis tu qui Vulcanum in cornu geris.*

Sed an illæ tempore Plautino ejusdem cum nostris figuræ fuerant, minime constat.

Tradunt

Precibus finitis ad ſuos haud multo poſt reverſus, illo quidem languore ſenſit ſe levatum, * ac ſi Deus aliquis ei medicinam feciſset; alio tamen mox implicitus eſt inteſtino dolore, qui ſub annum vitæ vigeſimum cœptus quo tempore nuptias contraxit, 25. annos perduravit: ea quidem vehementia & atrocitate, ut medicis ipſis, quis eſset morbus, ignorantibus, quibuſdam faſcinatus videretur, aliis vero Dæmoniorum vi & odiis flagellatus, Dei permiſsu, quo virtus ipſius exercita major & probatior eluceret.

Devotioni in bellis intentus.

83. Ut pietas ejus in pueritia ſe primum exeruit; ita demum in rebus per omnem vitam geſtis perpetuo conſpici eadem ſe præbuit. Et quamvis à prima juventute barbari & rapacis belli injuriis innutritus in armis adoleverit, nulla tamen rerum aſperitas nativam ejus ingenii lenitatem perturbare potuit; neque ulla barbari hoſtis rabies adverſus inſitam pietatem adeo indurare; quin, ſemper, quantumvis eum irritaſsent, gratiæ delictorum iis faciendæ rationem excogitaret. Nunquam adeo vera voluptate perfuſus, ac ubi bello finem eum impoſuiſset, ut ſua ad tempus victoria, ſempiternos de iis Chriſti ſervatoris triumphos permutaret. Nullum delictum, nullum facinus tam atrox, nullus ultioni locus tam opportunus, quin omnia ſtatim poſthabuit ſicubi Chriſto ſe nomen daturos pollicerentur. Haud alibi Regis animo modum ignorante, quam ubi religionis reſpectu ad veniam ſupplicibus & benignitatem exhibendam remolleſceret.

Quam & aliis ſuaſit & docuit.

84. Neque vero hoc tantum circa Regis animi devotionem obſervare liceat; ſed ut ipſe religionis profeſſor fervidus, ita Salomonis inſtar, publicus ejuſdem Doctor aliis extitit, Neque id ſolum ratione quapiam politica, ut civitatis mores ſalubribus præceptis conformaret (qualem ſupra exhibuimus) ſed pio magis, ſanctoque animi propoſito, non virtutem ſibi ſoli retinens, fructuſque in operibus charitatis aliis impertiens, ſed indeſinenter omni ope anniſus eſt ipſius virtutis habitum aliis communicatum rectis monitis ingerere. Utpote qui ſeipſum tunc tantum poſſideret, cum veræ pietatis auram ex devoto pectore ſpiraret: adeo ut (Aſſerio referente) ſemper illi moris eſſet, quoties ab aliis negotiis reſpirandi tempus vel minimum daretur, aut prælegere, aut alios ſciſcitari, quo magis ipſe proficeret; aut cum iis circa res ſacras diſſerere, quo per colloquium ipſis prodeſſet. Nec uſquam alias inopiam & ejeſtatem populi ſui tam graviter

* Tradunt tamen nonnulli eum per ſanctam *Modwennam* virginem Hibernicam ab hoc morbo liberatum. Jo. Bromp. apud alium in Monaſtico Dugd. ſic "reperio; Athulphus *Ælfredum* filium incurabili "morbo languentem, ad Sanctam *Modwenam* Hiber"niæ morantem, curandum tranſmiſit. Unde poſt"modum vaſtata Eccleſia Sanctæ *Modwena* Angliam "venienti terram pro duobus Monaſteriis virginum "conſtruendis tradidit: unam in Arderna apud *Pol"leſworth*, in quo *Oſitha* & *Athea* una cum Editha ſo"rore Regia Athulphi manſerunt; ipſa autem *Mod"wena* manſit in Monaſterio *Streanſhal*. Sed de Modwenna, vel ſanitate Regi illius precibus collata apud Aſſerium ne verbum quidem. Neque facile cum hac narratione quæ de ipſo dicuntur conveniunt.

Quæ

viter lamentatus est, quam quod doctis & religiosis viris destituerentur; quorum ope religionem, virtutem, & literas tum sibi privatim acquireret, tum inter alios propagaret.

Qualis fuit temperamenti.

85. *Vitam domesticam* quod attinet, haud multa de ea sigillatim extant: sed generaliter ex omnibus Historicis eum comperimus excellenti fuisse animi indole, ingenio peracri, variaque ac multiplici solertia. Quod autem illi natura jam à pueris tribuerit literarum studio libenter immorari, cogitationibus multum vacare, rebus acriter animum attendere, ex eo facile conjicitur atram bilem in temperamento sui corporis exuperasse: quod & validius confirmabit [a] morbus ille, quo conflictatum supra demonstravimus.

Prima literas discendi occasio.

86. Prima illi literarum scientiæ occasio fuit hujusmodi. Regina mater ejus, cum aliquando animadverteret, eum libello quodam, quem ipsa secum gestaret, multum fuisse delectatum, (utpote cujus initiales literæ auro & variis coloribus pulcherrime notarentur) ipso fratribusque ejus audientibus dixit renidens; librum istum se dono daturam ei, qui ex iis prior illum edidicisset. (Liber autem poematum Saxonicorum fuit.) Ælfredus, qui & iis quæ Regina dixit animum adjecerat, & conditionem delatam libentius, quam reliqui fratres, amplecteretur, ad matrem subridens redit; rogat an quæ pollicita erat, serio præstaret; Huic illa, equidem vero serio. Puer inde gestiens se cum libello proripuit; qui sibi illius lectionem præiret ultro quærens, propositoque operi tam gnaviter incubuit, ut quamvis ante id temporis (annum ætatis [b] duodecimum jam tum agens) literas omnino non attigisset, tamen nihil exinde intermisit, quoad librum, quem perdidicerat, matri recitasset.

Quæ transtulerit in vernaculam linguam vel scripserit.

87. His initiis reliquus in studiis progressus conveniebat: erat enim illi ingenium quamvis acutum & per omnia diductum, firmum tamen, alacre, laboris, studiorumque patientissimum; legendi, scribendi, commentandi modum non norat; & (quod de eo Æthelwardus testatur) libros in vernaculam linguam transferebat ignoto numero. Quamvis autem incultus & inops, neque dictione satis venustus, neque vocabulis locuples, eo tempore sermo Saxonicus haberetur; neque conceptus, præsertim in artibus & scientiis, quarum ipse populus adhuc rudis alienior esset, apte designaret; ipsius versiones nihilominus adeo solidæ fuerunt, adeo elegantes, adeo ad vivum expressæ, ut auditores mirum in modum delinirent. Habitus enim

est

[a] Quæ de ejus forma & persona leguntur hæc fere sunt. Ælfredus Clito forma cæteris fratribus decentior, vultuque insignis renitebat, & verbis refulsit egregiis. Eratque docilis, in arte venatoria industrius, & in omni peritia incomparabilis. Dominus Cardinalis eum fuisse etiam statura procera, sed robustum & agilem asserit; Unde habuerit, nescio. Illud certe observatu dignum est; quod alacris semper, & erectus fuisse notatur; & etiam in colloquiis familiaribus affabilis & facetus.

[b] v. §. 1. § 13, A.

 Erat

eft iftis temporibus vir in primis doctus, Grammaticus, Orator, Philofophus, Hiftoricus, Muficus, Saxonicæ poefeos princeps, idem etiam Architecturæ & Geometriæ peritiffimus.

88. Balæus nofter in Centuriis opera complufcula partim ab ipfo vernacule reddita, partim vero confcripta, aut floribus aliunde præceptis in commentarios congefta, enumeravit. Hæc nempe quæ fubjiciuntur ordine.

Breviarium quoddam collectum ex legibus Trojanorum, Græcorum, Britannorum, Saxonum, & Danorum.	*Lib.* 1.
Vifi-Saxonum leges.	*Lib.* 1.
Inftituta quædam.	*Lib.* 1.
Contra Judices iniquos. [a]	*Lib.* 1.
Dicta fapientum.	*Lib.* 1.
Regum fortunæ variæ.	*Lib.* 1.
Parabolæ & fales.	*Lib.* 1.
Acta Magiftratuum.	*Lib.* 1.
Collectiones chronicorum.	*Lib.* 1.
Manuale meditationum.	*Lib.* 1.

Hi decem libri eum vel autorem vel compilatorem agnofcunt. Ex Latino autem Saxonice verterat, qui fequuntur.

Hormeftam Pauli Orofii [b]	*Lib.* 1.
Paftorale D. Gregorii [c]	*Lib.* 1.
Dialogos ejufdem Gregorii [d]	*Lib.* 1.
Qui tamen ipfius magis juffu per Werefridum Epifcopum Wigornienfem vernacule redditus eft.	
Gefta Anglorun Bedæ	*Lib.* 5.
Verfionis hujus extat hodieque M^um exemplar in Bibliotheca Cantabrigienfis Academiæ vol. 241. [e] *Cui (referente Jamefio in Catalogo) præfigitur hoc difticbon.*	
Hiftoricus quondam fecit me Bæda Latinum	
Ælfred Rex Saxo tranftulit ille prius.	
Boetium de confolatione [f]	*Lib.* 1.

Hic

[a] v. l. fecundum not. ad § 26.

[b] Quæ in Bibliotheca Cottnniana habetur Orofii editio non eft mera traductio; fed Rex proprio ufus judicio aliquandn inferit, fæpius vern omittit. Quin potius Rerum à Græcis, præcipue vern Rnmanis, geftarum ipfe fuccinctam narrationem maxima ex parte ex ipfn Orofio colligere inftituit.

[c] Habetur integer in Bibl. Bodl.

[d] Extant fed mutili in Bibl. Bodl. in Cottoniana fotte integri.

[e] Edita eft hæc verfio à Doctiffimo Wheeloco, licet ille (in præfatione) Ælfredi fuiffe non audeat afferere. *Paraphrafis*, inquit, *Alvredum magnum fapit, illum Danorum victorem, illum patis Ecclefiæ, populique fui veteris Anglicani five Saxonici Doctorem, paftorumque paftorem---- A Rege accipe hiftoriam Venerabilis Bedæ, fi Regi pientiffimo, & veteri Ecclefiæ, & Monachis anagnoftis diffidere nefas fit, nullibi male fidam.* Extat hujus codex Ms in Bibl. C. C. C. Oxnn.

[f] Habetur in Bibl. Bodl. & Cottoniana, è qnibus tranfcripfit Doctiffimus Junius. Paraphrafis hæc non fequitur latinum exemplar in libros, & metra, profafque diftinctum; fed univerfum opus in XLII. capita & capitum Sectiones dividitur.

[g] Erat

Hic est ille libellus, quo recitato Auditores tantopere permotos supra diximus. Ælfredus autem ipse hoc scriptore in tantum delectatus perhibetur, ut eum secum semper in sinu gestaverit.

Molmutinæ leges	*Lib.* 1.
Martinianæ leges [a]	*Lib.* 1.
Asserii sententias	*Lib.* 1.
Psalterium Davidicum	*Lib.* 1.

Hæc versio illi suprema fuit, & cui dum incumberet, immortuus est: cum (ut tradit Malmsburiensis) eum media plus parte non absolvisset.

89. Et hæc quidem Regis opera sunt, recensente Balæo. Malmsburiensis autem longe plures fuisse libros innuit, licet paucos admodum nominet; eosque, quos superius. Sic enim inquit *plurimam partem* Romanæ *Bibliothecæ Anglorum auribus dedit.* Item vetustus historiæ Eliensis codex M[s] Lib. 2[s] ab Archiepiscopo Parkero in præfatione Asseriani operis citatus, asserit Regem instrumentum vetus & novum Saxonice transtulisse. Verba autoris, quisquis is fuerit, ut ibi recitantur, hæc sunt. *Alvredus acerrimi ingenii Princeps, per Grymbaldum & Johannem doctissimos monachos tantum instructus est, ut in brevi librorum omnium notitiam habuerit, totumque novum & vetus Testamentum in eulogiam Angliæ gentis transmutaverit.* Neque vero hac in parte Malmsburiensis ita multum adversatur historiæ Eliensi; cum ex ipso verborum ordine colligatur, Regem ab ultima, adeoque præcipua sacræ paginæ parte, exorsum, novum Testamentum priori loco vertisse. Deinde hoc absoluto, vetus Testamentum aggressum, quoad per negotia licuit; processisse vero donec in ipso cursu per Psalmos semifacto, morte præreptus defecerit. [b] *De gest. Reg. Ang. l. 2.*

90. Super hæc omnia, (Cæsaris ad instar) ipse *Commentarios* de [c] rebus ab se gestis scripsisse perhibetur. Tradit enim Foxius noster eum historiam Saxonice condidisse, quæ inscribitur Ælfredi Historia: quam ut & Bedæ versionem ab se quandoque visas idem asserit. *Commentarios actionum suarum.*

91. Quibus argumentis abunde constat Regis indolem non lento, *Quali et ingenium &* non

[a] Erat Guitchelino Regi nobilis mulier Marcia nomine, omnibus artibus erudita, quæ inter multa & inaudita, quæ proprio ingenio invenerat, invenit etiam legem, quam Martianam Britones appellarunt. Hanc etiam Rex Ælfredus inter cæteras transtulit, quam Saxonica lingua Merchen-lage vocavit, Jornal ad 1066. Lelandi vol 6. Higden autem dicit Merchenlage comprehendere tum Molmutianas tum Martianas leges; easque Gildam primo Latinas, & ex iis Ælfredum, Saxonicas fecisse.

[b] Edidit Clarissimus Author noster etiam Psalmos Saxonice: sed ii nihil aliud sunt quam interlinearis vulgatæ Latinæ, verbumque verbo correspondens interpretatio, quem interpretandi morem glossam vocarunt. Et soliloquii D. Aug. sive Flores D. Augustini extant in Bibl Cotton. Vitel. A. 15. Ex ejus manuali plura citat Malmsbur l. 5° de Gest Pont. quale est; *Qui legit manualem librum Regis Ælfredi, reperiet Kenterum beati Aldhelmi Patrem non fuisse Regis Ina germanum, sed arctissima necessitudine consanguineum.* v. Not. ad §42. l. 2.

[c] Verba Foxii habentur in Historia de Ælfredo Rege ad an. 872. sed ambigua sunt; sic enim se habent; He also himself compiled a story in the Saxon speech, called the story of Ælfred.

 Encomia

non instabili atræ bilis veneno tinctam; quæ fastidioso per singula variarum rerum capita discursu male delicata pascitur; sed quæ consilii, quæ industriæ plena, cum judicio designet, & fortiter exequatur ea tantum, quæ publice aut privatim utilia facto speret: adeo ut hic humor ingenio viguisse, & ad melius naturæ temperamentum in illo spectâsse, merito existimetur. Quid quod is optime dilutus & attemperatus timore pariter & tristitia caruerit: quæ duæ intemperiæ vix unquam ab ista tetra lolligine dissociari possunt. Itaque comem semper & affabilem se præbuit omnibus, eodem animi vigore & alacritate perpetua. Virtutem autem quod attinet, ea tam præsens illi & insita fuit, ut formidini ne ad punctum quidem temporis unquam se submittere, neque male de se ominari sustinuerit; quamvis casibus improvisis & in re perdita sæpius ab ea impetitus. Porro eadem animi magnitudo rationi adeo paruit, ut quanta quanta fuerit, absque tumida illa jactantia, quæ pusillis hominibus fere insidet, prorsus haberetur. Interim pro periculi magnitudine fortitudo ejus increvit, quæ certamine finito neque inani gloria inflata, neque animi motu & strepitu turbata virtuti, quæ proxime venerat exercenda, incubuit. Neque mens tantum suam sibi virtutem conscivit, quin factis eam tum sibi, tum aliis probatam dedit. Quamvis enim jure Principis imperium ejus & auspicia in rebus gestis famæ fortitudinis procurandæ juste sufficerent; ita tamen voluit fortuna, ut summo sæpius discrimine versatus, utrumque & animis intrepidum, & manu strenuum se exhiberet, iisque solidæ demum virtutis gloriam sibi pararet. Cujus utriusque specimen illustre sæpenumero edidit: suis subsidio, hostibus terrori, utrisque vero admirationi factus: *ita solus adversum pectus* (inquit Malmsburiensis) *hostibus offerre, solus inclinatam aciem restituere, nota virtutis suæ specie alienos territans, suos corroborans.* Interim iis, quæ fecerat, adeo parum gloriatus est, ut merito arbitremur virtutem eo potius nomine ab ipso æstimatam, quod ejus operam in patria liberanda assidue utilem senserit, quam quod per se expetenda videretur: cum animi sponte totus (ut supra diximus) ad literas ipse ferretur. Literas autem eas maxime quæ ad rerum divinarum scientiam conducerent; non eas tamen quæ sola contemplatione constant, sed (unde vere divinæ efficiuntur) quæ officiis pietatis colendis absolvuntur.

Ethelwerd.

Quanti ab alienis habitus; etiam à Patriarcha Hierosolymitano.

Magna cum finitimis gratia. Asser.

92. Ita dum in consummatæ virtutis operibus, exemplo vitæ singulari, Rex seipsum indies exerceret, cæteris omnibus æmulandi spem facile præcidit. Et triplici ratione victor, cum in hostibus bellum, in subditis vitia, in seipso quodammodo humanam fragilitatem profligasset, velut sydus præfulgidum, de solio (tanquam orbe proprio) nullam non Christiani Orbis plagam radiis undequaque coruscantibus illustra-

illustravit. Finitimis Regibus charus: populis autem omnibus longe, lateque positis in veneratione habitus: adeo ut (Baronio referente) *Magni* cognomine fuerit appellatus. Etiam (quod ex Asserio constat) ab *Abele Patriarcha Hierosolymitano*, ab ipsius usque Asiæ finibus, munere quodam, literisque salutatus. Quod donum, ut & ipsas literas etiamsi viderat Asserius, tamen cujusmodi fuerint, scriptis omnino non mandavit.

93. Romæ autem præcipue, idque merito, in honore fuit; unde sacrosanctas magna copia reliquias ei detulerint. Quodque magis solidum observantiæ indicium, ejus rogatu, scholam seu Collegium Saxonicum, quod istic habebatur, tributi & vectigalis, quibus ante hæc impensius affligeretur, omnino reddiderint immunem. *Maxime verò à Pontifice Romano.*

94. Rex, patriæ jacentis rebus ad hoc fastigium evectis, vitam morte commutavit magno cum populi mœrore ac desiderio, postquam 28 annos cum 6 mensibus regnasset; in civium animos ac voluntatem eodem usus imperio, quod in cæteris rebus regiæ ditioni subjectis exerceri solet. Natus est anno 849. Wanatingæ in agro Bercheriensi; quæ quondam Regum West-Saxoniæ vel ex præcipuis fundis erat, hodie vero Dominum agnoscit honoratissimum Henricum Bathoniæ Comitem. [a] Obiit ætatis anno 52 ad v. Kal. Nov. Anno Dom. 900. sepultus est, prius quidem in cænobio Wintoniensi; deinde vero in Abbatiam Hydensem, quæ est Wintoniæ extra portas, est translatus. [b] *Ejus Mors.* *Chr. Mailr.*

95. [c] Vitam hujus Principis, & res ab eo gestas sæculis omnibus post insequutis ante nostra quidem tempora scriptores certatim encomiis, quoad ejus fieri possit, elegantissimis concelebrarunt. Quos inter Henricus Huntingtonus vitam Regis Epigrammate quodam pro *temporum istorum* ratione non inscito complexus est, quod hic subjiciendum duxi. *Testimonia de ejus vita & moribus.*

Nobilitas innata tibi probitatis honorem,
Armipotens Ælfrede, dedit; probitasque laborem;

Perpetuumque

[a] Et jam post honoratissimi Comitis obitum, illustrissimam ejus Comitissam viduam.

[b] Et tamdiu cum pluribus Saxonum Anglorumque Regibus & viris nobilibus ibi jacuit: donec vir pientissimus Richardus Fox Episcopus Wintoniensis (circa an D[i] 1520.) ossa eorum in diversis per Ecclesiam sepulchris dispersa in loculos plumbeos admodum honestos, cum suis singulos inscriptionibus transtulit, locoque supra septum inter Presbyterium & Ecclesiæ alam seposuit. Et ab Ecclesia Monasterii ea transtulit (prout speedus diserte testatur) in Ecclesiam Cathedralem, ibique permansisse donec effractis loculis à nuperis rebellibus a° 1642, Dec. 14. sacri eorum cineres effusi, (indignor referens quod à nullis præter nostros plusquam barbaros hypocritas ullibi factum legimus) cribro excreti, & in ventum projecti ab oculatis testibus adhuc viventibus referuntur. Videatur Cl. Spelmannus de non temerandis Ecclesiis.

[c] Encomia virorum doctorum de nostro Ælfredo collegit R. Smithæus Episcopus Chalced. in libro, quem inscripsit Flores Historiæ Ecclesiæ Gentis Anglorum; quæ in Appendicem rejecimus.

Perpetuumque labor nomen; cui mixta dolore
Gaudia semper erant, semper spes mixta timori.
Si modo victor eras, ad crastina bella parabas,
Si modo victus eras, ad crastina bella parabas:
Cui vestes sudore jugi, cui sica cruore
Tincta jugi, quantum sit onus regnare probarunt:
Non fuit immensi quisquam per climata mundi
Cui tot in adversis vel respirare liceret;
Nec tamen aut ferro contritus ponere ferrum,
Aut gladio potuit vitæ finisse labores.
Jam post transactos vitæ, regnique dolores
Christus ei sit vera quies, sceptrumque perenne!

In Sanctorum Catalogum inferi meruit.

96. Quoties animo perpendo, quantus huic Regi apud omnes, etiam Romæ, ob vitæ rerumque gestarum magnitudinem honos habitus est; non possum non aliquantulum admirari; cur defuncti memoriæ non adeo consultum sit, ut inter Sanctos referretur. Cum proculdubio, si Romana Ecclesia æque ipsum, ac alios quosdam, favore complexa esset; citra magnum negotium reperire potuisset, quare hic illi, perinde atque compluribus, quos hodie invocat Divos, honor præstaretur. Nam præter eas, quæ temporum injuria interciderunt, divini erga eum speciali quadam ratione favoris instantiæ non desunt, primo enim, ut ad Regni administrationem adscisceretur, viso per quietem dato (quod ante docuimus) ejus pater est admonitus; deinde ut re jam perdita brevi ipsius opera restitueretur, viso (portento insuper adjuncto) pariter ipse confirmatus est: precibus ejus à Deo primum edomandæ libidinis modus concessus est, rursus exauditis ejus precibus, in alium mitiorem non fine miraculo permutatus est. Fuit paupertatis in regia dignitate professor eximius; cum media redituum parte Deo devota, nec eo tamen secius Regio munere perfungebatur. Vitam secundum certas Christianæ devotionis regulas, tanquam assiduus Ecclesiastes, exercebat. Quid quod totus ipsius principatus nihil aliud erat, quam constans & jugis persecutio, & quadantenus Martyrium à scelerosis & Barbaris Ethnicis illatum; adeo ut vix quicquam amplius ad titulum sanctitatis promerendum desiderari posse videatur.

Num Romanorum opinionibus in omnibus conformis?

97. * Quo autem compertum habeamus Regem non omnia de sententia

* Omnibus, qui revera pii sunt, & apud ipsum Deum O. M. in pretio, non datur publicus ille Canonizationis honor. Aliquorum sanctitas non propalatur; de aliis dubitatur. Aliquibus desunt, qui testimonia & argumenta colligere velint, vel possint; aliis, qui testium & processus judicialis sumptus expendant; & similia. Sed præter has, cur Ælfredo talis honor non exhibebatur, aliæ possunt esse rationes. Esto enim quod vitæ sanctimonia, etiam inter privatos Princeps ipse, eminuerit; licet nec miracula ab ipso facta,

ſententia Romani Pontificis (quod quidam nobis perſuaſum eunt) adminiſtraſſe, multa neque obſcura indicia ſe nobis offerunt diſcutienda. Rex acriori judicio & ſolertia in rebus gerendis, quam pater ante fecerat, uſus eſt; nec ſe tam facile regendum alienis arbitriis permiſit. Quamvis autem in rebus ad Eccleſiam proprie pertinentibus, Papam ceu Vicarium Oecumenicum ſit reveritus, (quæ opinio temporibus iſtis inoleverat) non ille tamen conſectaria, quæ ab iſto dogmate poſtea deducta ſunt, tum clare perſpexit, ſed in Regia poteſtate exercenda ſui juris fuit. Qua de cauſa omne cum illo certamen Romani detrectaſſe videntur; adeo ut cum contigerit omnes Weſt-Saxoniæ Dioeceſes, (quæ fuerunt Wintoniæ, Cornubiæ, Shirebornæ, Wellenſis & Criddanæ) tres annos perpetuos Epiſcopis carere, ſolique Archiepiſcopo Cantuarienſi ſubjectas, ad Regis uſque deceſſum perduraſſe; nullam tamen eo nomine Romæ malam gratiam iniiſſe comperiamus. Ubi vero poſt ejus exceſſum alterum tantum temporis ſpatium ſub Edvardo ejus filio vacuæ duraſſent, is non prius offenſæ monitus ſit, quam anathematis fulmine perculſus. [a]

98. Porro

facta, nec talem de ipſo habitam populi opinionem, legamus; nec viſa, quæ de ipſo narrantur, iſtiuſmodi gradum ſublimem, & ad honorem illum requiſitum arguant; eſto etiam quod nullis peccatorum maculis vel vita, vel imperium ejus inquinaretur. Attamen rariſſime illis in ſæculis à Pontifice Romano cuivis dabatur publicum illud & ſolenne Sanctitatis teſtimonium. Antiquitus quidem de cujuſquam Sanctitate ſuffragiis populi & familiarium tantum judicabatur; inde ad uniuſcujuſque gentis Primatem referebatur; ad Pontificem Romanum vix ante Alex. III[ii] vel Innocenty III[ii] tempora, idque propter ſchiſmata, quæ inter ipſos Primates ſæpius accenderentur, reſervabatur. Fateor quidem ante illorum ætatem extare illiuſmodi Canonizationis exemplum unum aut alterum. Primum, de quo legimus, erat Sancti Suiberti a° 803. à Leone III, ad inſtantiam Caroli magni ibidem præſentis tali celebritate ornati. Et apud Spelm. (Conc. to° 1° p. 310.) Offæ Regi Merciorum (cui oſſium Sancti Albani Paganorum metu abſconditorum locus in viſo manifeſtabatur) *conſuluit Epiſcoporum* (in Synodo Verulamiæ congregatorum) *prudentia, ut authoritate Romani Pontificis, etſi hoc alias factum fuerat, Canonizaretur* [Sanctus Martyr ſc.] *& privilegiaretur Monaſterium in honorem ejuſdem Martyris conſtruendum.* Cujus negotii gratia Rex ipſe Romam proficiſcitur; & Monaſterii condendi omnimodam obtinuit licentiam: De Canonizatione vero nihil legimus. Quare cum raræ admodum iſtiuſmodi ad Pontificem Romanum ſupplicationes, cautus quoque ejus aſſenſus, neque populi verſus Ælfredum veluti ſanctum (licet ipſa re ſanctiſſimus & pientiſſimus, inſuper & fortiſſimus & prudentiſſimus fuerit) applauſus; mirum non eſt, ſi Romani ſponte ſua (quod inſinuare videtur Author noſter) Canonizationis ipſius curam non ſuſceperint. Neque exinde colligi poteſt ipſum vel Pontifici quovis modo adverſatum, vel Pontificem illi ſubiratum Canonizationem (de qua nunquam (quod ſcimus) ſermo fuit) recuſaſſe. Certe ab Ailr. Rhiev. Beatus appellatur. Et in vita Edw-Senioris, *S*anctitas ei attribuitur. Et quod majus eſt, Martyrologio Anglicano a° 1608. typis excuſo nomen ejus inſertum legitur Oct. 28. ſicut & conjugis ſuæ pientiſſimæ Alſwithæ Jul. 20. In duobus etiam Saxonicis Calendariis ab eruditiſſimo noſtro Mareſchallo citatis in obſervationibus ſuis ad verſionem N. T. Anglo-Saxonicam p. 488. notatur dies (VII. ſcilicet Cal. Novemb. a° 901) obitus Regis Ælfredi.

[a] Ullas fuiſſe Regi noſtro cum Pontifice Romano ſimultates nulla ratione mihi veriſimile videtur. Cum Marinus Papa (circa an. 883.) dona multa, inter quæ & particulam Crucis Dominicæ ei miſerit, ejuſque amore Scholam Saxonum Romæ ab omni tributo & telonio liberaverit. Præterea, quovis fere anno ab Hiſtoricis notatur, quis Regis eleemoſynam Romam detulerit, Æthelhelmus, Becca, Ethelmus, Comites Wintonienſes; Beornhelmus, duo leproſi &c. Neque Authoris noſtri conjecturæ tanti ſunt momenti, ut contrarium ſuadeant. Nam de legibus Eccleſiaſticis ab eo latis audiatur Harpsfeildius; *Leges ſanxit Religioni Chriſtianæ & publicæ quieti apprime ſalutares & accommodas. In quibus de templorum immunitate, de Sacrilegio coercendo, de votis reddendis, de ſacris Virginibus non violandis de feſtis diebus Domini, & Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque ſanctorum, de ſolennitate B. Mariæ integra ſeptimana in Autumno colenda, de anniverſario & ſtato Gregorii die obſervando, de ſtatis quatuor temporum jejuniis colendis, & aliis id genus cautum eſt. Non quaſi pedem in alterius meſſem ponens, neque ſibi dignitatem Eccleſiaſticam aſſumens, ſed ſequens per omnia Eccleſiæ & Epiſcoporum conſtitutiones, pro exactiori canonum obſervatione regiam poteſtatem adjunxit. Quod & ille ipſe (ut paulo poſt dicam) proteſtatur.* Utinam hujus ſui promiſſi non fuiſſet oblitus Harpsfeildius; nam ubi Rex eo modo proteſtatus ſit non reperio. Non enim habetur in codice legum ſuarum, qui dictas leges continet. Sed in præfatione

insinuat

98. Porro Rex viam ingressus est, qua Universali isti imperio quod crassis temporibus recens extruxerant, & absolvere deproperarant, ruinam & excidium minaretur; cum contra secundi præcepti (de non adorandis imaginibus) à Concilio Niceno secundo confirmatam omissionem, ipsemet substituerit. Maxime autem cum literis postliminio revocandis adeo ubertim providerit. Denique cum libros omne genus Theologicos, præter cæteros autem Vetus & novum instrumentum, vernacule reddendum curarit.

99. Illud amplius notes, cum Rex viros doctos longe, lateque investigatos ex diversis regionibus transmarinis huc invitaret; Ecclesiam Romanam nihil illi hac in parte auxilii, neque viros ullos eruditione claros, ipsi submisisse; & cum ille donorum affatim, & sacras oblationes S. Petro ad pedes projecerit; Pontifices sacra quidem munuscula, sed aliusmodi, vice pari retulerint. Sed & cum Scotus Erigena, quod aliquid minus ad gustum Romanorum scripsisset, Papam adeo infestum senserit, ut illi nec in Imperatore, nec usquam in Gallia præsidii locus esset, cum Rex nihilominus ad se vocatum liberaliter habuit, ejusque præ cæteris opera est usus, quum privatis Regis ipsius studiis admoveretur. Et quum omnibus quotquot ipsum audi-

re

finnat tantum leges hasce primitus à Conciliis Episcoporum, aliorumque sapientum factas esse; quod Harpsfeildio consentire videtur. Idem fere jampridem annotaverat Ail. Rievall. *Ælfredus*, inquit, *videbatur omnium hominum moribus ac natura congruere, & omnibus utilis & necessarius esse. Et (quod nunc raro invenitur) illam maximam credidit Regis dignitatem, nullam in Ecclesias habere potestatem*. Et reliqua, prout supra l. 2. § 12. Quod de vacantibus quinque Episcopatibus in West-Saxonia dicitur, nescio an responsum mereatur. Primo enim incertum est num vacaverint, cum aliqui Authores asserant Episcopos Wintoniensem, Dorcestrensem, & Shireburnensem, in magna illa pestilentis anno proximo ante regis obitum defunctos. Quod si diutius vacare eos permisisset Rex, duas ob causas id fecisse dicatur. Primam Historici in anno 5° (a° sc. 905.) Regni Regis Eadwardi indicant. Fuerat scilicet Regio illa propter hostilem incursionem Episcoporum solicitudine & cura pastorali destituta. Aliam res ipsa suggerit. Fuerunt scilicet in tota Westsaxonia binæ tantum sedes Episcopales; Rex de aliis instituendis consultabat, ut dilationem uberiori fœnore compensaret. Deliberationem literis nimium acerbis maturavit Formosus. Statimque *Concilio* habito *salubriter constitutum est, ut pro duobus Episcopis Wintoniensi & Shireburnensi, quinque crearentur Antistites*, præter dictos scilicet Wellensis, Cridiensis, & Cornubiensis. Sed ut verum fatear; mihi admodum suspecta est tota hæc narratio. Historici enim nostrates has literas non Ælfredo, sed Eadwardo, nec ante annum 904. missas asserunt. Eo nimirum anno, quo Sergius, post Formosum nonus Pontifex, omnia ejus acta & ordinationes rescidit; ipsius cadaver ante 7. annos sepultum, eruit, & amputatis digitis in Tyberim projecit. Sed nec Ælfredo nostro tales literas scriptas fuisse verisimile est (licet Baronius eas ad ann. 894. referat) cum Formosus a° 896 vel 897. obiisse ab omnibus concedatur. Cum Bertulfus anno 897 nominetur Episcopus Wintoniensis, cui Rex urbis defensionem contra Danos commisit; Dorcestrensis Halandus; Shireburnensis Æthelwaldus anno 889 consecratus, & anno 899 defunctus. Sed & Ingulphus non Pontificis comminationibus, sed Turketuli consilio horum Episcopatuum erectionem tribuit f. 499. a. De Joanne Scoto (præter ea quæ ad lib. secundum § 49. jam dicta sunt) mirum non est, quod vir ingeniosus sponte solum mutaverit, ubi (licet forte immerito) de hæresi suspectus agebat; maxime cum ad patriam propius, & ad amplius stipendium, invitabatur. Leslæus quidem asserit Dionysium ab ipso in linguam latinam conversum commentariis postea ab Hugone de Sancto Victore fuisse illustratum. [de hac traductione vide Usserium Epist. Hibern. p. 57. 65. & Malmsb. f. 24. extare in Bibliotheca C. C. C. apud Oxonienses asserit Th. Jamesius.] Joannemque ipsum à Carolo III° (Balbo) Ælfredo legatum fuisse missum, & ex legato factum hospitem; (Malmsb. vero dicit ipsum Ælfredi munificentia in Angliam allectum) & post mortem à Pontifice Romano canonizatum. Nomen ejus in Martyrologio Romano insertum, à Cardinale Baronio deletum est; sed in supplemento Martyrologii Gallici inter Sanctos commemoratur; iv. Id. Novembris. Quod Pontifex nullos Regi nostro operarios submiserit, nihil miror. Nulli ab eo petiti; nec quotidie reperiuntur, qui tam longum & periculis tot obsitum iter in Regionem fere incultam, & barbaris hostibus expositam susciperent. Ecquot vero Romæ Linguam Saxonicam intelligerent? concionatoribus autem Rex maxime, si non solis, indigebat. Saxonum Schola demum ad has ipsas necessitates supplendas constituta est.

a post

re vellent, publicus in Universitate Professor factus prælegeret.

100. Postremo, quamvis ejus severitas in viros religionibus obstrictos (à quibus S. Ecclesiæ Canonum observantiam deligenter exegit) non omnibus gratissima fuerit; non tamen mortui famam (confictis de spiritus sui apparitione) narratiunculis lædere ausi fuissent, nisi subodorati essent, vitam ejus, moresque Patribus Romanis per omnia non consensisse. Quæ singula eo diligentius exposui; quia Baronius, Harpsfeldius, aliique Pontificii scriptores, obsequio & submissione hujus inclyti Principis non modice gloriantur; quasi qui totus ab illis staret: cum revera si quis omnia propius excusserit, minus illis ipsum, quam quemvis istius sæculi Principem Christianum studuisse credas, & eum illos sane formidatum & suspectum magis, quam charum & dilectum habuisse.

101. Nicolaus Harpsfeldius dictum aliquo Regis memoriæ mandat; quod etsi non comperi in Asserio (quem ille ejus testem adducit) tamen illi non gravatim tribuemus, tanquam ab Regis modestia & pietate non alienum; modo verbis commoda atque probabilis interpretatio, & non ea, quam affinxit Harpsfeildius, adhibeatur. Ac si Rex se scilicet legibus sine mora subderet, quascunque Pontifex, qui summæ rerum Ecclesiasticarum præest, imponere vellet; Harpsfeildius de Ælfredo his verbis agit. *Germanam & genuinam esse Regis dignitatem dictitare solebat, si in Regno Christi, quæ est Ecclesia, se non Regem sed civem agnosceret; si non supra sacerdotum leges se elate efferret, sed legibus Christi per sacerdotes promulgatis submisse se atque bumili animo subderet.* Hæc tantum obiter. *Hist. Eccl. Ang. Sec. 9. c. 5.* *v. §97. A*

102. Rex duxerat uxorem *Alswitham* Athelredi Gainorum Comitis cognomento **Mucil**, quod est *Magni*, & Adburgæ, regia Merciorum stirpe oriundæ, filiam: [a] ex qua duos filios, tres vero filias suscepit. *Regis Uxor & proles.*

Edwardus filiorum natu maximus [b] Patri in Regno successit. Is *Edwardi Senioris* nomine vulgo dignoscitur.

Filiorum alter, ex liberis vero natu minimus, nomine *Æthelwardus* literis innutritus est. [c]

Primo-

[a] Post ipsum superstitem; cum Edwardi filii sui Regis Anglorum chartæ donationis subscripsit; apud Malms. De Pont. gest l. 5. Chron. Mailr. M[a] a° 905. *Obiit Elswitha Regina, quæ Monasterium Sanctimonialium Wintoniæ construxit. In quo etiam sepulta erat; postea vero corpus ejus in novum Monasterium ab Edwardo Rege traductum, unaque cum corpore Ælfredi mariti ibi rursus sepultum.* Ejus obitus in Martyrologio habetur Julii 20. sed nomen corrigendum est.

[b] In Chronico Cœnobii Sancti Swithuni continetur Ælfredum habuisse filio Edwardo majorem, nomine *Edmundum*, quem & io Regem coronari fecit, ante patrem mortuum, & in **Wite** Monasterio sepultum sub lapide marmoreo ex altaris parte boreali: unde ossa ejus in cavernulam sacram [**the holy hole**] traducta fuisse dicuntur. Unde fortasse suppleri potest in Asserio p. 20. lacuna; *exceptis his — qui morte praevenienter praeoccupati sunt; de quorum numero est [Edmundus.]*

[c] Et Oxonii (inquiunt Rossus aliique Historici) ucatus est; ibique in virum miræ eruditionis & prudentiæ evasit. A Patre pluribus possessionibus ditatus

Primogenita filiarum *Athelfleda*, Æthelredo Merciorum Comiti nupsit. Ea fæmina animi plusquam muliebris, paternæ virtutis & solertiæ majori ex parte hæres fuit, quam credas in istum sexum potuisse cadere: adeo ut Edwardo fratri, homini regiarum artium peritissimo, in rebus etiam publicis administrandis non mediocriter utilis fuerit. [a]

Athelgeova filia Virginibus sacris, ut diximus, ascripta fuit, & deinceps Monialibus Shaftesburiæ præposita. [b]

Filiarum natu minima quibusdam Alfritha, aliis Athelswitha, scriptoribus Flandris Elstruda, Baldovino Flandriæ Comiti in Matrimonio collocata est; ex quo conjugio Flandri Comites post longo ordine insequuti duxerunt originem. [c]

Hos

tus est. Quadragenarius obiit Octob. 16. anno 922. Et Wintoniæ in novo Monasterio sepultus est. Chr. Swith. binos suscepisse filios Elwinum & Ethelwinum in bello contra Anlafum interemptos; & in Malmsburiensi Ecclesia prope Sancti Aldhelmi tumulum magnifice à Rege Athelstano sepultos, asserit Malmsf. l. 2. c. 6. Notandum est magnum in Huntingdonio (scribæ (ut videtur) vitio) reperiri errorem: cum asserat Edwaldum sive Æthelwaldum, qui arma adversus Regem Edwardum sumpsit, fuisse ipsius Edwardi Fratrem; cum patruelis, sive Patrui filius, fuerat.

[a] Puerperii dolores semel experta à marito obtinuit, ut ab eo tempore concubitu mutuo abstineretur. Mortuo autem ipso anno 912. ipsa Merciam prudentia, fortitudine, & magnificentia plusquam virili gubernavit. Fratrisque sui Edwardi Senioris successibus maximum addidit momentum Patris Ælfredi viva soboles & imago. Cujus vestigiis insistens Britannos, Danorumque reliquias, strenue subegit, patriam ex eorum tyrannide vindicavit, subditos in ordinem bonosque mores coegit, & regionem totam urbibus, oppidis, & castellis tum munivit tum ornavit. Quorum plurima nominant Authores, sed adeo varia scriptura, ut difficile sit, quid velint, intelligere. Anno 912. ædificasse dicitur Cestriam, 913. Burgum ad Scoriate, [Sceargate] Strengate, [Strengale] Bruge, [Bregge, Bregga in occidentali plaga Sabrinæ, forte Bridgeworth.] 914., Tameworth & Stafford. 915. Warwick, Edisbiri [Edisburi in nemore prope Cestriam, Edelburg, Fadesburi, Fodesburi] Warham. 916. Cherebiri [Cherenburg] Warebiri [Wadeburg, Wadesbury,] Runconen, [Runcofan, Runcofam supra fluvium Merce] videtur esse Runcorn hodie sic dicta in agro Cestrensi. Nominantur etiam Brimesburi, [Brunesburg] ubi pontem supra Sabrinam construxit. Scrobesburi. Watersbiri. Lichfeild & Swaford. Sed quo tempore hæc est omnino incertum. 917. Exercitum in Walliam misit, & victis Wallensibus fregit Bretallan-mere, cepitque uxorem Regis Wallorum cum 24. hominibus suis. Dicit alius Historicus ipsam Brechiniam [Brechnoch] expugnasse, & Reginam Aliciam cum 33. hominibus cepisse. Reginæ hujus maritus Huganus appellatus est, & Darbeiam dicitur aufugisse, ibique Danis se suosque adjunxisse, & urbem adversus Æthelfledam armasse. Quæ in ejus expugnatione quatuor Duces fortissimos amisit; neque portis irrumpere potuit, donec Guianus Insulæ Eliensis dominus, Regiusque Oeconomus illas incendit, & Huganum interfecit. 619. Leicestriam devicit, & Eboracenses in obedientiam compulit. Tamworthæ demum obiit; & Glocestriæ, prope Ecclesiæ Sancti Petri (quam condiderat) porticum, sepulta est. De qua sic Huntingdonius. *Hæc domina tantæ potentiæ fertur fuisse, ut à quibusdam non solum domina vel Regina, sed etiam* Rex *vocaretur, ad laudem & excellentiam mirificationis sui. Et ut æstimatum & dictum est, nisi fati velocitate prærepta fuisset, viros virtute transiisset Universos. Unde ad tantæ probitatis memoriam Camenam licere compulimus.*

O Elfleda potens, O terror virgo virorum!
Victrix naturæ, nomine digna viri!
Te, quo splendidior fieres, natura puellam,
Te probitas fecit nomen habere viri,
Te mutare decet, sed solam, nomina sexus,
Tu Regina potens, Rexque tropæa parans.
Jam nec Cæsarei tantum meruere triumphi:
Cæsare splendidior virgo virago vale.

[b] Malmsburiensis asserit Ælfredum & Elsgivam Ælfredi filias, quia morbis interaneis laborabant, Monachas esse factas. De *Ælfreda* alibi (quod sciam) mentio non habetur.

[c] Binos ejus filios nominat Ethelweardus, & ab ipso Malmsburiensis, Earnulfum & Adulfum. Hic à Patre Comitatum Bononiensem accepit; ex illo orti sunt Comites Flandriæ. Cornelius Martini ipsum appellat Arnoldum, seoemque dictum asserit. Matildis, inquit, (Mahaut) Uxor Gulielmi Victoris erat filia Balduini Pii, filii Balduini barbati (à la belle barbe,) filii Arnulphi juvenis, filii Balduini Juvenis, filii Arnoldi senis, filii Balduini Calvi & Elstrude Ælfredi filiæ, filii Balduini ferreum brachium (bras-de-fer) & Judittæ viduæ Regis Ethelwulfi & primi Comitis Flandrorum. *Elstrude*, inquit, *fut femme vrayement religieuse & tres-pleine de bonnes œvres, & en son tempe feit bastir plusieurs Eglises & divers ausmosnes. Elle trespassa l'an* 929. & est Inhumee à St *Pierre chez Gand*. Extare ejus Epitaphium apud. Sanderum, in libro de rebus Gandavensibus, dicitur.

Hos omnino filios, filiasque habuit Ælfredus. Cujus soboles mascula per decem successiones gentis hujus imperio potita est. Et utcunque fatalis illa rerum conversio, & Anglorum clades primo ad tempus à Danis, deinde usque adhuc per Normannos brevi inferenda mares omnes hujus stirpis cito absumpsit: singulari tamen in hunc Regem, adeoque in nos omnes, Dei beneficio contigit; ut licet Angliæ Regnum, eo defuncto, ter alio translatum toties in diversæ gentis potestatem venerit; fæmina tamen Rege Ælfredo oriunda, superstes brevi Danorum imperio (quos ex peregrinis Regibus primos passa est Anglia) fæliciter *Henrico* primo nupta, regnum, unde dudum ea familia exciderat, orbatum restitueret; Adeoque Saxonum jure cum Normannis coalescente, divinum pacis & incolumitatis munus his terris importaret. Denique cum hæredum indigenarum stemmate post aliquot sæcula deficiente, regni jus etiam rursus ad diversam gentem excidere contingeret; tum quoque ad eum maxime Principem summa rerum nostrarum divino arbitratu, rediit, qui ab hæredibus Ælfredi longa serie descendens, regnoque huic hæreditario jure succedens, unus hominum destinatus est, qui gemina hujus insulæ Regna in unum revocaret. A quo Rex etiam noster regnum quod accepit integrum, solidumque post triplicem illam rerum conversionem nihilominus hodieque tam jure quam potestate occupat, hæres indubitatus & successor ejus qui fuit imperii Anglicani conditor.

Deo Gloria & gratiarum actiones.

EPILOGUS LIBRI TERTII

Virtutes ejus Recenſens.

1 *DE his priuſquam ſcribamus, hæc præcipienda videntur lectori- bus; ne alienos mores ad ſuos referant; neve ea, quæ ipſis leviora ſunt, pari modo apud omnes fuiſſe arbitrentur. Summis virtutibus inclaruiſſe Ælfredum abunde conſtat; at illis ſeculis vixit, quibus reliquiarum honos, ad loca ſancta peregrinationes, & omnis vitæ Monaſticæ apparatus, maximo erant in pretio; quæ noſtri temporis, & regionis hominibus non perinde æſtimantur. Unde viro optimo minime imputandum, ſi pios ardores, & flagrantiſſimum in Deum pectus ad iſta ſtudia promoverit: utique nec nobis vitio verti debet, ſi talem exhibeamus, qualis revera fuerat; qualiſque ab Aſſerio, reliquiſque ævi ſuccedentis ſcriptoribus deſcribitur.*

2. *Qualia, Deus bone! pietatis rudimenta? quod Regis filius, parentum deliciæ, in Aula enutritus, nondum ſumpta virili toga, etiam* ab infantia *ſedulus* fuerat ſanctorum locorum viſitator; & in primævo juventutis flore mentem ſuam in Dei mandatis ſtabilire conaretur. Quod offenſam Dei *incurrere*, ſi aliquid contrarium voluntati ejus perageret, metuens, ſæpiſſime Galli cantu & matutinis horis clam conſurgens, Eccleſias & reliquias ſanctorum orandi cauſa viſitaret; ibique diu proſtratus oraret, ut Deus omnipotens propter ſuam miſericordiam mentem illius amore ſuæ ſervitutis corroboraret. Atque hæc demum ſæpius magna mentis devotione ageret. *Aſſer. Neque hanc orandi conſuetudinem inter belli tumultus, aliaſve graviſſimas occupationes unquam omiſiſſe videatur,* Vota & propoſita excellentiſſimæ ſuæ meditationis inter proſpera & adverſa nullo modo prætermiſit. *v, Floril p.* 167. Divina *enim* miniſteria, & Miſſam quotidie audire, pſalmos quoſdam & orationes, & horas diurnas & nocturnas celebrare, & Eccleſias nocturno tempore orandi cauſa, clam à ſuis, adire ſolebat. Divinam quoque ſcripturam à recitantibus indigenis, aut etiam ſi caſu quodam aliunde adveniret, cum alienigenis pariter preces audire ſedulus & ſolicitus ſolebat. *Et ut ſemper paratam haberet precandi, meditandique materiam,* libellum in ſinu ſuo ſedulo & perpetuo portavit, in quo diurnus curſus, & pſalmi quidam, atque orationes, quas ille in juventute ſua legerat, ſcripti habebantur. *Adeo ut in lege Domini voluntas ejus, & ipſius mandatis jugi meditatione nocte dieque incubuit.* Meditabatur nempe in ætate puerili quod ſenex devotus impleret. *Ailr. Devotio autem hæc tam altas radices in infantia regiæ ſobolis egit in quos fructus ætate adultiori maturuerit proxime videamus. Hinc enim factum eſt, ut in bellis, reliquiſque ſuis difficultatibus, quas non paucas*

paucas parvasve sustinuit, semper intrepide se gereret; neque minimis copiis magnas latronum acies aggredi vereretur. Deo enim non sibi confidit, & orationibus plus tribuit quam armis. Orationibus, inquam, quibus nunquam non insistebat, quibusque inter pericula vota insuper accumulavit. Cœnobium Wiltunense *votum solvit in prælio ad illum locum factum.* Sancto Thomæ *in India Orientali donaria misit ex voto, quod fecerat cum exercitus Danorum Londini hyemavit, debita. Hunt.* Athelneiæ *Monasterium, dum ibi lateret Deo promissum est. Idem de Shaftsburiensi, aliisque dicendum est. Sed non id solum ipsi tribuendum est, quod postquam omnia Monasteria Danorum rabie vel destructa prorsus, vel incolis penitus destituta essent, ipse quædam reparaverit, alia de novo condiderit; sed magis in illius honorem cedit, quod Monachos, viros pietati & religioni deditos aliunde accersiverit, qui toti genti suæ devotionem instillarent, & docerent. Non solum pietatis domicilia construxerit, sed & iis devotionem intulerit; sed ipsam in his regionibus ex integro restituerit, & in seminariis suis primus plantaverit. Quod non Cœnobiis tantum, sed Ecclesiis plerisque majoribus, privilegia, reditus, ornamenta, dona regalia,* (quorum numerum quis enunciare potest!) *contulerit, gloriæ à magnificentia vel liberalitate aucupio ab invidis fortasse tribui poterit. Sed alia sunt quæ ad Regiam pietatem (ultra omnium quos legimus exempla) pertinere unice videantur. Quid est, quod redituum, quos possidebat, omnium, dum pace frueretur, mediam semper partem Dei servitio accensuerit? Decimam fructuum, quos largitus erat, partem à populo suo Deus exegit. Decimas primo è propriis fundis, deinde & à tota regione, concessit Regis nostri Pater Æthelwulphus; & ob hanc suam largitatem ab omnibus erat maxime celebratus. Ælfredus quanto plus dilexit, tanto etiam plura donavit. Sibi frugi, Deo beneficus largiter in cælis fænerabatur.* Qui vero vult eleemosynam dare, à seipso primum incipiat. Etiam quod à proprio corporis sui & mentis servitio Deo offerret prudenter excogitavit. Nam non minus de hac re, quam de externis Deo offerre proposuit. Quinetiam dimidiam partem servitii mentis & corporis, in quantum infirmitas & possibilitas, & suppetentia permitteret, diurno scilicet ac nocturno tempore, totisque viribus, se redditurum Deo spospondit. *Et præstitit, cum tantum temporis orando, & meditando; legendo, scribendoque assidue impendit. Quantillum sibi reservavit, qui Deo tantum, tantum etiam subditis, & eorum necessitatibus impendit? sed holocaustum sese obtulit, sub dimidii specie, Regis nostri pietas. Quod enim officii nomine subditis factum est Dei etiam gratia, & in ejus honorem & gloriam cedere existimatur. Sed hæ Monachorum fortassis, non Regum virtutes censendæ sunt; illud sane majori admiratione dignum, quod Regis animo tot negotia imparia fuerint; ut etiam orationi & meditationi vacaret. Sed aliud vere regium pietatis exemplum dabimus. Hoc est, quod*

quod ob Christi amorem seipsum, animumque suum tam perfecte vicerit, ut crudelissimis, maximeque barbaris inimicis, non tantum pepercerit, sed condonaverit; adeoque vindictæ omnis, etiam cum in potestate sua essent, desiderium abjecerit, ut in numerum subditorum, amicorum, imo & filiorum acceperit. Odium adversus inimicorum truculentissimos amor Dei extinxit. Nec sibi, nec Saxonibus, Anglisve suis, sed Christo belligeravit. Cumque Paganos, verbo, opere, exemplo (ecqua vero gens tam barbera quæ talibus argumentis resisteret?) in ovile Christi frustra, si tamen frustra, invitaverat; tandem ei à Numine concessum est, ut integrum exercitum uno Die, una hora, sed volentes, sed sponte sua cedentes, ad domini sui cænam compulerit. Non iræ propriæ, non suorum sanguinis ultioni, non existimationi suæ (minime solicitus, ne qui hostes teterrimos facilitati Regis illudere, arbitrarentur) indulsit: sed Christi causam agens, eique vindictam (prout ipsemet præcepit) reservans, nec apostasiam vel hypocrisin eorum metuens, religionis mysterium, pacem, regionisque propriæ partem, iis, animi mira generositate commisit. Et hac ipsa spiritus eorum subegit; atque è piratis colonos, è latronibus subditos, è Paganis Christianos effecit; barbariem, latrocinia, feritatem devicit; homines vero clade sua fælices tum ad temporalis tum æternæ fælicitatis consortium admisit.

3. *Neque solus hic sive fructus sive præmium devotionis suæ præcocis: Aliud non minus admirabile consequutus est. Quod, ut olim Salomon, à Deo sapientiam petens, etiam, quam non petiisset, scientiam, & omnium fere rerum notitiam accepit. Prudentiam civilem abunde arguunt Reipublicæ nova & à fundamentis posita institutio; novæ leges, novi Magistratus, nova totius regni efformatio. Oeconomiam Salomonis mirata est supra alias ipsius virtutes Sabæa, noster quoque familiæ administrationem etiamnum usitatam, &, ut speratur, perpetuo in Regiis nostris duraturam condidit. Sed & in rerum naturalium cognitione, Salomoni, etsi non omnino fortasse æqualis, simillimus certe evasit. Venatores, Aucupes, Piscatores suos ipse docere non poterat, nisi & ipsimet major & secretior earum artium esset cognitio; nec aliunde illa scientia Regiæ soboli inter Anglos natæ & educatæ, neque assidue in iis exercitationibus versatæ, nisi Bezaleelis instar, qualiscunqne sua experientia etiam à numine uberiore cognitione ornaretur. Architectos, aurifices, gemmarios, aliosque artifices ipse adhuc doctior instruxit; & in hoc certe doctior, quod utilibus studuit, & ad usum, commodumque tum sui tum humani generis omnia sua retulit. Non sibi sed aliis laboravit, aliis scivit, aliis vixit. Sed & Dei donum erat incredibilis illa versus ipsum apud exteros veneratio, apud suos autem amor & confidentia. Ad militiam ejus Frisii, Veteres-Saxones, aliæque à piratarum oppressione liberiores gentes magno numero confluxerunt; ad ejus fabricas & alia opera quantus alienigenarum concursus, ex iis judicare licebit, qui ex aliis partibus eruditioni, studiis*

devotioni-

devotionique suæ inserviebant. Nuperæ Monasteriorum, & Universitatis Oxoniensis institutioni è sua gente unus tantum, Sanctus Neotus, si tamen ille Westsaxo, adhibebatur; reliqui omnes aliunde accersiti. Suorum autem versus ipsum tanta erat charitas, & confidentia; ut nulla pericula timerent, nulla prælia vel difficultates recusarent, dum ipse iis præsens, eosve duceret. Laborant Historici populi lætitiam exprimere tum primo ipsum è secessu Æthelingeiensi emergentem conspexissent. Viso Rege, *inquit Asserius,* sicut dignum erat, quasi redivivum post tantas tribulationes recipientes immenso gaudio repleti sunt. Obviaverunt Regi dilectissimo, visoque lætati sunt immenso cordis tripudio. *Sim. Dun. & alii.*

4. *Maxima vero precum suarum (prout mihi videtur) merces erat corporis illa puritas,* Spiritus *Sancti templo digna, ardentissima sua oratione unice obtenta; adversus enim hostem teterrimum præliaturus frustra suis viribus innisus divinam opem instantissime poposcit. Castitati vero consequendæ alienam prorsus & generosiorem methodum sibique, prout arbitror, vel soli, vel primo usurpatam, aggressus est. Mirabilis in juvene Regio, pulchro, vegeto, castitatis ardor; magis vero admirandum, quod tanti eam æstimavit, ut ægritudinis continuæ pretio redimendam censeret. Jejuniorum corporisque castigationum vel applausus metuit, vel vires tardiores declinavit; secreta hæc sua, & interna, sed efficacissima, libidinis extinctio. Non velitabatur, aut eminus rem egit; unico ictu cupidinem non devicit, sed delevit. Morbumque morbo, sed delectabilem infenso, impium innocenti, periculosum sano commutavit. A Deo gratiam hanc donumque impensissime exorasse, an qualicunque tædio potius comparasse, dicetur? non sentium accumine libidines emisit, non gelavit frigore, sed intra corpus stimulis acrioribus, & sublimiori patientia, tanquam nobiliori medicamento, usus est. tanti ab* Rege *nostro habebatur esse castum, tantique remedium orationibus acquisitum æstimabatur, ut ipsum penitus, neque post nuptias curari voluit, sed mutari tantum. Conscientiæ securitati acerbissimi doloris molestia posthabita, expertum notumque remedium relinquere nolebat; quodque tam salutare tutumque expertus est, etiam adversus alias tentationes adhibere satagebat. Et licet non jam ut cupidinis fortasse deleterium, at reliquarum cupiditatum frænum, humilitatis incentivum, patientiæ exercitium, libertatisque suæ tropæum reservabat.* In prima juventute, antequam conjugem duceret, cum se à carnali desiderio abstinere non posse cerneret, in Ecclesiis diu prostratus orare solebat, quo Deus propter suam misericordiam mentem illius amore suæ servitutis multo robustius per aliquam infirmitatem, quam posset sustinere, non tamen quo eum indignum & inutilem in rebus mundanis faceret, ad se penitus convertens corroboraret. Cumque hoc sæpius magna mentis devotione ageret, post aliquantulum intervallum fici dolorem

Dei

Dei munere incurrit. In quo diu & ægre per multos annos laborans, etiam de vita desperabat; quousque oratione facta à se penitus amovit. Nam cum quodam tempore divino nutu Cornubiam venandi causa adiret; & ad quandam Ecclesiam orandi causa divertisset, in qua Sanctus Guerir requiescit, & nunc etiam Sanctus Neotus, sublevatus est. Ibi enim diu in oratione tacita prostratus ita Domini misericordiam deprecabatur: quatenus stimulos præsentis & infestantis infirmitatis aliqua qualicunque leviori infirmitate mutaret; ea tamen conditione, ut corporaliter exterius illa infirmitas non appareret, ne inutilis & despectus esset. Oratione autem finita cœptum iter arripuit, & non multo post tempore, ut in oratione deprecatus fuerat, se ab illo dolore medicatum esse divinitus sensit. Sed eo amoto alius infestior in nuptiis eum arripuit; qui à vicesimo ætatis suæ anno usque ad 45. eum die & noctu incessabiliter fatigavit. *Asser. Tanta cum poterat apud numen Rex noster, nihil tamen aliud postulavit quam animi corporisque puritatem, sapientiam, dotesque Christiano Principi decoras; Deus autem insuper ipsum Uxore lectissima, & vere venerabili, proleque ex omni parte parentibus quam simillima, remuneravit.*

5. *Proxime videamus animi sui celsitudinem vere incomparabilem. Tumorem illum non intelligo, quem seculi typhus, ambitio, vel adulatio, sed magnitudinem, quam spirituale commercium, & incoctum religione pectus, producit. Hujus vero etiam ab ipsa juventute plurima extant exempla. Patrimonium à Patre inter Fratrem Ætheredum, ipsumque in medio legatum est; quod per aliquot annos Fratri absque vel contestatione vel querela permisit. Ætheredum vero fratrum seniorum morte ad Regnum (prout pater dispofuerat) evectum rogavit coram Regiæ donationis testibus, ut de hæreditate illa demum partienda cogitaret, & Ælfredo suam restitueret partem.* His auditis Frater restitit, contestans hoc non posse, nec agere velle, ut impartiatur; eo quod tam diutino tempore in propria retinuerat possessione. *Repulsam patienter ferens Ælfredus postulavit, ut saltem dimidiam partem sortiretur terrarum à Danis, utriusque communibus copiis, recuperandarum. Sed nec hoc permisit Ætheredus; illud solum concedens, ut, se mortuo, Ælfredus in totum Regnum, prout Æthelwulfus eorum pater ordinaverat, succederet. tunc autem temporis Ætheredus juvenis, robustus, &, ut videtur, liberis ex Uxore susceptis auctus, tenues regnandi spes Ælfredo monstravit. Acquievit tamen Ælfredus, utcunque injuria alteri accumulata oppressus, etiam cum in maxima esset apud populum gratia & æstimatione; tantum vero absuit à jure suo vel gladio, vel alio quovis tumultu asserendo, ut semper fratri conjunctissimus vixerit; & in omnibus pacis bellique negotiis continuo fratri adfuerit, neque ei suspectus, neque ipse de fratre conquestus. Fratre deinpost quinque annos è vulnere, quod in prælio Meretunensi acceperat, defuncto;*

Ælfredus

Ælfredus neque imperium propere arripuit, neque Magnatum, ut acciperet, obſecrantium votis vel ambitioſe annuit, vel magis ambitioſe denegavit. Sed convocatis omnibus Principibus, Regnique Proceribus, jus ſuum declaravit. Singuloſque obteſtatus, ut ſi ad alium quemvis jure potiori regnum pertinere arbitrarentur, illum protinus nominarent, ſerio proteſtatur ſe nullius jura invaſurum; quinimo ſibi cordi futurum ſi ab onere illo & temporibus periculoſis eorum conſenſu eximeretur. Cum vero unanimi ſuffragio omnes teſtarentur ipſius unici eſſe jus regnandi, neque alium quemvis poſſe illud legitime ante ipſum exigere; rurſuſque obſecrarent ut humeros oneri ſupponeret; haud amplius tergiverſatus operi laborioſo, difficili, & periculis obſito, ſemet alacriter accinxit. Eadem generoſitate, qua receperat, etiam imperii reditus, æque ac negotia adminiſtravit; victu, rebuſque ſuis, ſibi tantum parcus, aliis liberalis, & verſus Deum profuſus. Non enim contentus unico voto redituum omnium partem mediam Dei ſervitio addixiſſe; neque alteram ſibi integre reſervavit. Sed quod è neceſſariis ſupererat ſumptibus partim advenis ex omni gente, unicuique ſecundum propriam dignitatem, mirabili diſpenſatione laudabiliter, & (*ſicut ſcriptum eſt* Hilarem datorem diligit Deus) *hilariter impendebat.* Diebus feſtis ſolennibus quanta munera ſuis Epiſcopis, Ducibus, atque militibus contulit, quis enarret? tunc pauperes jubilando exultabant, tunc orphani & viduæ nimio cordis gaudio applaudebant. *Sim. Dun.* Largitate profuſus erat, *inquit Aſſerius, poſtquam quæ ipſi contuliſſet, annumeraverat. Taceo quæ dona Pontifici Romano, Patriarchæ Hieroſolymorum Abeli, Sancti Thomæ in India Orientali Eccleſiæ contulerit; quorum vel tranſvectio non minimo conſtabat. Annon arbitrabimur Gothrunnum, ſuoſque Duces regia benignitate magis quam armis devictos? Ecquid generoſius eſſe poterat, quam quod Hæſteni perjuri, fœdifragique, uxorem & filios in caſtris captos, non tantum liberos, ſed egregiis muneribus donatos & auctos dimiſit? Infinita ſunt beneficentiæ à rege frugaliſſimo factæ exempla. Ad ejus in bello invictum animum tranſeamus. Vix fratri ſuo juſta perſolverat, cum ad reprimendam hoſtilis exercitus impreſſionem fere imparatus evocaretur. Multo certe (ut fere) copiis inferior acerrime ad Wiltunam, exitu non infelici, dimicabat. Verum quia vulgus animi magnitudinem victoriis & ditione ſubacta, paulo ſapientiores belli gerendi ſive peritia ſive aſtutia, plerumque metiuntur; videamus quo modo Rex noſter in bellis tum ſuſcipiendis, tum regendis ſe geſſerit. Et hoc inter prima, quia inter Monarchas valde inuſitatum, obſervatu dignum: Quod bella non niſi coactus, & ad patriæ defenſionem, vel adverſus piratas, ſuſceperit. Pluris ille hominum, etiamſi latronum, vitas, quam hodierni Chriſtianorum Chriſtiani, æſtimant. Plus apud ipſum humanitas, quam apud alios religio, valuit. Nunquam ille alieni appetens, vel triumphorum ambitioſus, ſed officio ſolo & neceſſitate ductus cum pacem, quam diu licuiſſet, coluerat,*

bella maximo vigore & animi propensitate suscepit, parique prosecutus est. neminem vero, quia debiliorem, magis imparatum, injuriis scilicet opportuniorem; neque sub qualicunque incerta juris disputabilis specie, vel levi offensione provocatus lacessivit. Non omnia armis vindicanda arbitrabatur; quamdiu enim à West-Saxonia sua manus inimici abstinerent, ægre commotus; nec nisi à Regulis sibi feudatariis instantissime invitatus bello contendit. Susceptum vero strenue & impigre administravit. Adversus gentem bellicosam, Ducesque tum animosos tum peritos supra quinquagesies, novies etiam primo regni anno, acie justa præter equitationes sive velitationes innumeras, contendebat. Raro pugnam detrectavit; nunquam, licet aliquoties victus, locumque prælii deserere coactus, fusus tamen, vel in fugam præcipitanter actus legitur: sed cum hostes fortiores cerneret, recessim in locum aliquem munitiorem se suosque subduxit. Cum Ælfredo etiam victo, etiam jacente erat luctandum. Plerunque post fugam importabilis, & memoria repulsæ circumspectior, & ardore vindictæ audacior. *Malms. Unde factum est, ut mira alacritate & ardore Saxones suis auspiciis prælia capessivisse, in ipsius solicitudine & providentia confisi, notantur. Ipse autem, sicut à clade minime desperabundus vel anxius, ita nec à victoria securus, vel tumidus; non omnia in victos sibi licita arbitrabatur, sed acerrimo sudore & sanguine partam victoriam modestissime prosequutus est. Non enim bellum circumquaque intulit, sed contentus à suis exegisse, in alias regiones subducentes se hostes insequutus non est. Devictos ad Exoniam Danos & in Merciam refugientes ulterius non exagitavit; sicut nec in prælio Æshdunensi superatos & in Essexiam se conferentes. Neque Northumbris rege destitutis semet obtrusit, sed Guthricum à Sancto Cuthberto in somnio cuidam commendatum etiam ipse imposuit. Ericum à Godrunno injuste East-Anglis præfectum, contentus ejus qualicunque fidelitate, minime deturbavit. Bene & ad subditorum utilitatem regnandi cupidus non amplitudine dominii, sed industria, modestia & benefaciendi conscientia solummodo delectatus est.*

6. *Animi celsitudinem illud etiam attestatur, quod nullis adversis succumbat, nullis laboribus frangebatur. Quietis appetentissimus ærumnis continuo exagitabatur; totumque ejus regimen* inextricabiles laborum labyrinthos *vocat Malmsburiensis.* Semper tribulationibus hujus mundi afflictus *fortissime rempublicam regebat. Duo vero sunt, quæ virtutem ejus mirabiliter illustrant: & primum quidem, quod omnia fere solus præstitit.* Rex ipse impigre in omnibus actionibus aderat, nota virtutis suæ specie alienos territans, & suos corroborans. Solus adversum pectus hostibus inferre, solus inclinatam aciem restituere. *Malms.* Neque in reliquis ejus studiis, quibus ille desudavit, principes eum sequi voluerunt. Sed ille solus divino fultus amminiculo, velut unicus gubernator, navim suam ad portum, quamvis cunctis suis lassis nautis

perdu-

perducere contendit. *Asser. Omnes siquidem è propriis humeris onera rejiciebant, malebantque alieni sudoris præmio frui; non odio vel contemptu, sed confidentia & amore principis, propria vero socordia. Unde duplici ille difficultate laborabat; tum ut res ipsas bene ordinaret, tum instrumenta ipsemet efficeret, quibus bene ordinata exequeretur. Neque minus laboris cum suis, quam inimicis, suscipiendum erat.*

7. *Difficillimum vero erat, quod & secum habuit contendere; Primum Sanctis certamen est contra vitia; alterum contra passiones & affectus; tertium vero quodammodo contra ipsum corpus & naturam. Salomoni vitio vertitur quod à corpore se vinci passus sit. Magnum erat quod Rex noster à Deo in juventa morbum ausus sit petere; majus quod adultus ab eo liberari non postulaverit; quod vero morbo non impediente, nec remorante negotia sua, omnia tanquam in sanitate, imo plura quam quis alius vel integerrime sanus perficeret, animo soli cælitus animato debetur. Ælfredus corpus suum subegit, & quadantenus contra naturam de infirmitate, & seipso, æque ac de fortuna, de inimicis, deque suis, triumphavit. Et suo exemplo documentum nobis reliquit, non à corpore animam, sed ab animo corpus dependere.*

8. *Hinc orta est insuetata illa mentis tranquillitas, dicam an alacritas, imo & jucunda hilarisque comitas, qua versus familiares usum fuisse testantur historici. Quod omnia sua negotia sine molestia, sine confusione, metu, vel iracundia placide transegerit.* Quod inter stridores lituorum, & fremitus armorum leges suas, *pacisque occupationes molitus fuerit, & contexuerit. Et quod tot libros vel ipsemet scripserit, vel transtulerit, in tam paucis annis, & inter plurimas occupationes etiam & bella; neque enim ante annum 887. legere & interpretari inceperat. Prætereundum vero non est hæc summum judicii prudentiæque suæ encomium; quod Regni negotia tam solerter ordinaverat, ut tantum temporis studiorum assiduitati relinqueretur. In ordinem justum debitumque redactæ res suæ propria vi & innato robore cursum tenuerunt; raroque manum reparatricem postularunt.*

8. *Hoc denique ad laudis suæ cumulum accedit; quod, cum feracior gleba pessimas, æque ac optimas, herbas procreare soleat; & qui majoribus virtutibus producendis idonei, nec minoribus vitiis luxuriare sæpissime dignoscantur: Noster vero nullis vel levissimis culpis reprehendi legitur: quinimo vix erat quod vel Sanctissimus Neotus corripiendum reperiret. Neque crimen illud, quod adeo severe taxavit, sed officii, quod & ab aliis præstabatur, qualiscunque neglectus; & ardoris juvenilis in laboriosa potius quam quieta impetus. Tale denique, quod inter culpas vix esset numerandum, si à viro seculi sui Sanctissimo non fuisset notatum.*

9. *Ne quis vero arbitretur, nos, non veritatis amore, sed ut materiæ nostræ tantummodo serviremus, hæc omnia in Regis nostri encomium protulisse;*

lisse; inter Appendices *primo loco subjecimus testimonia à Reverendo Episcopo Chalcedonensi dudum collecta. Ut totius eruditorum orbis judicio nostrum plane conformari omnibus patescat. Appendices vero addendas judicavimus, ut ex iis nonnulla, quæ in ipsa histori serie minime interrupta continentur, uberius comprobarentur.*

De Testamento *vero* Ælfredi *monendus est lector, illius exemplar à nobis haud usquequaque probari. Saxonice suo tempore extitisse insinuat Harpsfeildius. Alii ex Annalibus Wintoniensibus dicunt ipsum bina scripsisse testamenta; quod vero non est omnino absimile. Hoc enim ipsum, quod ex editionibus Parkeri & Camdeni damus, è duobus, iisque diversis temporibus scriptis, confectum arbitramur. Prima enim pars tunc condita videtur, cum imperium primo susceperit, altera vero non longe ante vitæ suæ finem; cum Liberis, sua cuique, hæredia in ipsa legaverit.*

Genealogiam Egberti, qua demonstratur ipsum ex omnibus Wodeni posteris, qui hanc regionem primi invaserant, relictum, omisimus; tum quia præter nomina nihil pene occurrat, tum quia à Speedo nostro satis eleganter describitur. E quo etiam, utpote diligentissimo harum rerum investigatore, multa in Ælfredi stemmate accepimus.

Autoris

AUTORIS
AD
ÆLFREDUM
SUUM.

DUm te perpetuo gens Barbara Marte fatigat,
Nec vacat (Armipotens Ælfrid) ab hoste manus:
Et dum Barbaries belli comitata furorem
Corripit heu! sacri quicquid in orbe fuit:
Jura, Dei cultus, mores, bona dulcia pacis,
Musæ, Artes, Merces, te faciente, vigent.
Magne pater Patriæ, Regum, Regnique Britanni
Quantus eras, vetitum jam fore scire, dolet.
O quam mente capax! O quam virtute coruscus!
Exuperant nostram quam tua facta fidem!
Culmina summa tenus Diadema nepotibus auctum
Tradis, per modicum quod fuit ante tibi.
O qui fit! virtute parem cum vix tulit orbis,
Te mundo tantum delituisse tenus?
Maluit hoc siquidem fatum ignorare nepotes,
Res potius quam non credere posse tuas.

APPENDICES

AD

HISTORIAM

VITÆ

Regis Ælfredi Magni.

1. Encomia Ælfredi à Reverendo Episcopo Chalcedonensi collecta in libro, quem *Flores Historiæ Ecclesiæ Gentis Anglorum* appellavit.

2. Testamentum Regis Ælfredi à Reverendissimo Parkero, & Camdeno editum.

3. Præfatio Ælfredi in Pastorale Sancti Gregorii à se in linguam Saxonicam traductum.

4. Brevis quædam Chronologia ab ipso Rege (ut videtur) conscripta.

5. Ætatis rerumque gestarum Ælfredi ordinata, quantum fieri potuit, supputatio.

6. Periplus Ohtheri, ut & Uulstani, ab Ælfredo in præfatione traductionis suæ Orosii historiæ, descriptus.

7. Stemma Ælfredi, quo demonstratur Regem nostrum Serenissimum CAROLUM II^{um} legitimum esse ipsius Ælfredi hæredem, prout asseritur lib 3^{ii} § ultimo.

APPENDIX I.

R. Ep. Chalcedonensis Nicolaus Smith, in floribus Historiarum plurima de Ælfredo authorum diversorum encomia collegit; hunc in modum ipsemet Præfatus.

HIc, inquit, solus ex omnibus Regibus Anglis, ob res maximas in bello & pace gestas Magni cognomen, idque jure optimo adeptus est. Laudesque, quas in omni genere tum Catholici, tum Protestantici scriptores ei tribuunt, mea quidem sententia, excedunt laudes, quæ cuivis Regi hactenus datæ sunt.

Edgarus Rex in Orat. apud Spelmannum Conc: tom. 1. pag. 477. ait; Sanctæ memoriæ atavus meus Alvredus.

Ethelwardus Hist. l. 4. c. 3.. Magnanimus Ælfredus Rex Saxonum, immobilis Occidentalium postis,. Vir justitia plenus, acer in armis, sermone doctus, divinis super omnia documentis imbutus. Nam ex latino Rhetorico phasmate in propriam verterat linguam volumina numero ignoto, ita varie, ita præoptime, ut non tantum expertioribus, sed & audientibus, liber Boetii lachrymosos quodammodo suscitatet motus.

Ordericus Vitalis, l. 4. Probitate & liberalitate, laudabilique providentia omnes Angliæ Reges præcedentes & subsequentes, ut reor, excellit.

Marianus ad an. 900 tradit, eum fuisse famosum, bellicosum, viduarum, pupillorum, orphanorum, pauperumque provisorem; studiosum, Poetarum Saxonicorum peritissimum; suæ genti charissimum, affabilem hominibus, liberalissimum; prudentia, fortitudine, justitia, temperantia præditum; in infirmitate, qua laborabat, patientissimum; in exequendis judiciis indagatorem discretissimum; in servitio Dei vigilantissimum & devotissimum.

S. Ealredus in Genealogia Regum Angliæ. Anglorum decus, regum gemma, virtutum exemplar, cæteris fratribus suis junior ætate, sed annosior virtute; unde & à Patre plus diligebatur ob morum similitudinem, & spiritualis cujusdam gratiæ privilegium, quæ in eo adhuc puero mirabiliter refulgebat, &c.

Huntingd. De Alfredo nihil breviter dici potest, quia multa fecit, & miranda.

Camd. ex Annal. Wint. Præsente gloriosissimo & invictissimo Rege Alfredo, cujus in omni ore, quasi mel, dulcorabitur memoria.

Polidorus Verg. Erat Alvredus tam rebus externis laudandus, quam domesticis institutis admirandus-- summo ingenio, summaque prudentia-- maximis bellis atque laboribus perfunctus. Primum de Christiana religione, deinde de liberalium omnium artium disciplinis, postremo de republica, bonisque hominum moribus bene mereri maxime studuit-- nullo non virtutis genere claruit, clarissimus item omnium Regum bellicis artibus.

Baronius ad an. 888. Rex maxime Pius-- Magnus merito nuncupatus.

Harpsfeildus. De Alfredo, si pro meritis & dignitate viri dicerem, justum res illius opus, prolixumque postulatent.

Florilegus. Ælfredus juvenis admirandæ probitatis-- cunctis fratribus suis forma decentior, vultu serenior, verbis & moribus gratiosior, omnibus amabilis & affabilis.

Nauclerus. Alfredus pietate, munificentia, & literarum amore celebris.

Trithemius. Elfredus Rex Anglorum, vir in omni conversatione sua Christianissimus, prudentia & eruditione scripturarum quoque celeberrimus.

Leslæus. Alvredus Anglorum Rex, optimus Princeps.

Gordon. Jam Angliæ regnum ab Heptarchia in Monarchiam, præsertim per Alfredum reductum, florebat; atque inter præcipua Europæ regna numerabatur.

Pet. de Ickham. Ælfredus 29 annos laboriosissime sed fortissime regnum tenuit: hic inter omnes antecessores & successores suos sapientissimus. In armis strenuus,

in consilio providus, in servitio Dei vigilantissimus, &c. *Idem & Simeon Dunelmensis, aliique.*

Foxius e Florent. Wigorn. Famosus, bellicosus, victoriosus, viduarum, pupillorum, & orphanorum, pauperumque provisor studiosus, poetarum Saxonicorum peritissimus: suæ genti charissimus, affabilis omnibus, liberalissimus: prudentia, fortitudine, temperantia, justitia præditus: in infirmitate, qua continue laborabat, patientissimus, &c.

Camdenus Vocat eum clarissimum, & pientissimum Regem.

Spelmannus. Rex celeberrimus: fortissimus tanquam Leo rugiens: insignis Princeps: virtute & rebus gestis magnus ab autoribus appellatus: Pius, inclytus, felix, imo inter perpetuas ærumnarum acerbitates victor, triumphator, nunquam satis laudatus. In Gloss. verbo Lex, plurima congessit summa cum Regis admiratione.

Seldenus. Rege Ælfredo felix seculum vere philosophabatur.

Reusnerus. Vir summo ingenio, summaque prudentia, bellicis item artibus longe clarissimus.

Speedus. Ælfredus ille vere regum exemplar & specimen.

Balaus. Ælfredus magnus, egregiæ indolis & formæ adolescens, ad literas natus. Vir incomparabilis.

Twinus. Inclitus Rex de cœlo elapsus.

Daniel. Ælfredus speculum regum.

Parkerus. Prudentissimus Rex summo splendore, & tanta, quantam perraro videt ætas, dignitate: qui non pacis solum laudibus floruit, sed belli quoque gloria circumfulsit, omnem curam, industriam, cogitationes denique omnes, in disciplinarum studium consumsit. Quis unquam illo aut pacis amantior est habitus, aut belli laude illustrior?

Foxus. Inter omnes Saxonicos reges hucusque nullus repertus est, qui præferri, aut pæne conferri posset cum Ælfredo; ob maximas & eximias illius dotes, dignas summa celebritate: sive intueamur ejus fortia facta aut multiplices labores pro patria susceptos, sive pias & insignes virtutes, junctas cum pia & tenera cura reipublicæ: sive consideremus præclaram ejus in bonis literis eruditionem, una cum ardenti studio eam promovendi in toto regno suo. Summas etiam laudes ei tribuit ob continentiam, fortitudinem, doctrinam, ac tandem concludit; hic fortis, pius ac doctus Rex Christiane regnum suum rexit: ac multa plura ibi habet summa cum Regis nostri admiratione.

Hæc generalia, singulares ejus virtutes videamus.

1. De eruditione. *Asser.* Pæne omnium librorum notitiam habuit. *Ethelwerdus.* Sermone doctus, divinis super omnia documentis imbutus. *Hovedenus.* Rex literatus. *Ingulfus* omnibus literis apprime instructus. Usque ad profundam omnium liberalium artium scientiam penetravit. *Marianus.* Librorum omnium notitiam habebat. *Malmsb.* Liberales artes totis medullis imbibit, in tantum ut nullus Anglorum fuit, vel intelligendo acutior, vel interpretando elegantior: plurimam partem Romanæ bibliothecæ Anglorum auribus dedit.

Florilegus. In arte venatoria, aucupatoria, inque omnium peritia & felicitate incomparabilis, sicut & in aliis domi, fuit.

Balæus. Ita doctus evasit, ut Grammaticus, Philosophus & Rhetor, Historicus, Musicus & Poeta non vulgaris haberetur: imo Architectus & Geometer perfectissimus.

Camdenus. Ælfredus Rex Orosii historiam in Anglicam linguam transtulit, atque hoc mirabilius in Ælfredo, quod non solum continuis bellis sed etiam valetudine adversa fuit; ut qui semper vel fico vel aliquo intraneorum morbo agitaretur: neque solum ille doctus fuit, sed & undique doctos accersivit; ut Plegmundum ex Mercia — atque Oxoniensis Academiæ vel fundator, vel (ut aliis placet) restitutor & instaurator fuit.

5. *De ejus pietate. Asserius.* Cursum diurnum (i. e. celebrationes horarum) ac deinde Psalmos quosdam & Orationes multas, quas in uno libro congregatas, in sinu suo die noctuque, sicut ipsi vidimus, secum inseparabiliter orationis gratia, inter omnia vitæ præsentis curricula ubique circumferebat: erat sedulus sanctorum locorum visitator, etiam ab infantia orandi & eleemosynam dandi gratia, diu in oratione tacita prostratus, &c. ut supra in epilogo libri tertii.

Florentius,

Florentius. Alfredus in ſervitio Dei vigilantiſſimus & devotiſſimus, &c. Idem & plura, ſed quæ ſuperius ſcripta ſunt. Eadem reliqui Hiſtorici ſcribunt.

Edgarus in oratione ſua apud Parkerum & Spelmannum. Sanctæ Memoriæ atavus meus Ælfredus, ut Eccleſiam ditaret, non theſauris ſuis, non patrimonio, non ſumtibus, non reditibus parcendum putavit.

Malmsbur. Rex intentus eleemoſynis privilegia Eccleſiarum, ſicut pater ſtatuerat, roboravit; & trans mare Romam, & ad S. Thomam in India multa munera miſit, dimidiam portionem omnium cenſuum, &c. ut ante dictum eſt. l. 3. §. 76.

§. *De ejus juſtitia*. *Malmsb*. Pacem infudit Provinciæ ut etiam per publicos aggeres, &c. ut libro 2°. §. 27.

Twinus. Scientia politica inclitus Ælfredus in legibus ferendis pollebat.

Lambardus exiſtimat mirabiles utilitates reipublicæ allaturum, ſi ſolidas Ælfredianarum legum imagines teneremus.

Somnerus. Ab æquitate & juſtitia longe lateque fuit celeberrimus.

§. *De fortitudine*. Præter ea quæ jam ſcripta ſunt.

Colmanus (antiquus Hiſtoricus) apud Balæum. Quinquaginta ſex vicibus terra marique cum Danis conflixit.

Idem *Hardingus*. *Spelmannus*, & alii.

Hunting. *Cui veſtis ſudore jugi, cui ſica cruore*
Tincta jugi.

Ac tandem ſic Danos devicit, ut Camdenus ex antiquo ſcriptore; Alvredus Rex ita Danos contudit, ut darent ad libitum obſides, quod terra exirent, vel Chriſtianitatem reciperent. Quod & factum eſt. Nam rex eorum Guthrum cum triginta Proceribus, &c. ut lib. 1. §. 61.

Aſſerius. Octies in uno anno cum Danis pugnavit, in quibus 8 præliis unus Rex, novem Duces cum innumeris cohortibus periere. Exceptis quotidianis & nocturnis eruptionibus (equitationibus alii.)

De Rege noſtro ita admirabundus Spelmannus. Zachæi æſtuans ardoribus dimidiam partem cenſus ſui annui in pios erogavit uſus, temporiſque partem tertiam, hoc eſt dierum ſingulorum naturalium horas octo ſtudiis ſacris & orationibus deſtinavit. O ſtuporem omnium ætatum Alfredum! cujus dum *Religionem* intuemur, nunquam exiiſſe videtur Monaſterio; dum *bella & militiam*, nullibi verſatus eſſe quam in caſtris, 52. enim fertur dimicaſſe præliis; dum ſcripta ejus & lucubrationes, vitam tranſegiſſe in Academia; & dum Regni populique ſui adminiſtrationem, nihilo unquam ſtuduiſſe niſi in foro & ſenatu juſtitiæ promovendæ, legibuſque bonis faciendis: liceret utinam ſingulatim omnia enarraſſe.

R. *Chalcedon*. His omnibus Ælfredi laudibus adde, quod à nullo ſcriptore ullius vitii notatur.

Alia de Ælfredo teſtimonia.

Fr. Junius. F. F. Ælfredus Angloſaxonum Rex inclytus, non minorem apud poſteros ex reverentia ſtudiis exhibita, quam ex regni adminiſtratione, conſecutus eſt famam.

Caxton. **King Alfred reigned 30 years, and a good King he had been, and wel coude chaſtiſe his enemies, for he was a good Clerk and let make many bokes. And a boke he made of English of adventures of Kings, and of batails that had ben done in the lond: and many other bokes of geſtes he let hem write that were of grete wiſdom and good lerning: thurgh which bokes many a man may him amende that will hem reade.**

Harding. **Alfrede King was of this regioun**
That brother was to the noble Elthride
A perfect Clerk proved in opinion
As Clerks could diſcern, and proved.
In Knighthood alſo approved and notified
So plenerly, that no man knew his peer
So good a Knight he was and ſingulere.

In batails many in his fathers daies
And also in his brethren time all three
He fought full ofte, and bare him wel alwaies
That for his dedes and singularitee
He was commended among the eminitee
Within the land and out, as well was know
His fame among the people hye was blowe.

Skinner. Ælfredus invictus, pius & inclytus Anglo-Saxonum Rex, qui res suo tempore perturbatissimas & afflictissimas prudentia sua & fortitudine restituit, composuit & pacavit.

TESTA-

APPENDIX II.

Testamentum Alfredi Regis.

EGo Ælfredus divino munere, labore ac studio Athelredi Archiepiscopi, nec non totius Westsaxoniæ nobilitatis consensu pariter & assensu, Occidentalium Saxonum rex, quos in testimonium meæ ultimæ voluntatis complementi, ut sint advocati in disponendis pro salute animæ meæ, regali electione confirmo tam de hæreditate, quam Deus ac principes cum senioribus populi misericorditer ac benigne dederunt, quam de hæreditate, quam pater meus Æthelwulfus rex nobis tribus fratribus delegavit, videlicet Æthelbaldo, Ætheredo, & mihi; ita, quod qui nostrum diutius foret superstes, ille totius regni dominio congauderet. Et si contigerit, quod Æthelbald primogenitus patris nostri primus in fata decesserit, tunc recognoscat Ætheredus cum totius Westsaxoniæ nobilitate; quod sint nobis in testes de nostræ portionis in regno participatione, in die coronationis Ætheredi regis, quem in regem super nos post mortem Æthelbaldi fratris nostri primogeniti erigere toto nostro conamine insistemus, secundum assecurationem, quam nobiscum fideliter fecit; videlicet, quod idem rex Ætheredus nostras distributiones nobis esse permitteret; sicut eas habuimus ante ipsius Ætheredi fratris nostri postgeniti coronationem. Fidelitas vero nobiscum ab ipso promissa de hæreditaria distributione, erat modo consimili confecta; videlicet, quod de terris & dominiis, quæ rex ipse Ætheredus omni nostro juvamine, & potestate, hominumque nostrorum sibi adquisierit: & etiam de dominiis, quæ sibi jure hæreditario contingunt, nobis fraternali affectione competenter impartiretur. Veruntamen, si contigerit, quod Ætheredus succedat in regnum; idem & ipse compromitteret. Quando vero ita Deus disposuit, ut Ætheredus regali diademate coronaretur, tunc ipsum Ætheredum rogavi coram omnibus testibus nostris, videlicet quod de sua hæreditate nobis impartiri recognoscat; & quod mihi meam distribuat partem. Ipse vero his auditis statim mihi restitit contestans, se hoc non posse; nec agere vellet, ut impartiatur: ex quo illud tam diutino tempore in propria retinuit possessione. Hoc tamen mihi spoponderat; quod terras & dominia, quæ ipse nobis auxiliantibus, & populo nostro in suam ditionem perquisiverit; & hæreditatem, ad quam nascitur, post dies suos nemini in possessionem daret, ut suæ congauderet hæreditati, solummodo me excepto: sicque querimoniam contra fratrem remisi per verba prædicta complacatus. Si vero contigerit (quod absit) quod nos omnes impiissimorum Paganorum in manus inimicorum nostrorum Danensium inciderimus; tunc nobis est specialiter recognoscendum, disponere salubriter pro filiis nostris, quod unusquisque eorum successive unus post alium nostrum hæreditatem possideat, & terris ac possessionibus nostris congaudeat; quemadmodum ipsa hæreditas, terræ, possessiones & dominia nobis condonata fuerunt. Propterea nos in unum congregati sumus apud Suinburnam, ubi pronunciavimus in cognitione totius Westsaxoniæ principum, dominorum ac seniorum, quod ipsi fideliter testimonium perhibeant: videlicet, quod quis nostrum diutius superviveret, quod ipse legat alterius filiis ipsas terras, quas nosmet ipsi nostra virtute ac potestate conquesti sumus, & terras ipsas, quas rex Æthelwulfus nobis donavit; dummodo Æthelbald fuerat superstes, præter illud quod nobis tribus fratribus pater noster rex Æthelwulfus delegavit. Et super hoc unusquisque nostrum alteri fidem firmavit, quod quis nostrum diutius vitam viveret, quod ipse alterius terras possideret, & dominia, & omnia, quæ sui erant, præter illam partem, quam uterque nostrum filiis alterius legavit. Et si contingat, quod Ætheredus rex viam universæ carnis fuerit ingressus, ex tunc præter me non est quis, qui super hæreditatem scripturam habeat vel testimonium: nec quod sit aliquis alius hæres præter me. Quod si aliquis hæreditatem prædictam acclamaverit, jus suum perdet, nisi citius de hoc testes adducat. Et tunc audivi, quod omnes cognati mei in soporem mortis resoluti erant. Et ita hæreditas Æthelwulfi regis patris mei ad me devoluta est per chartam inde confectam, in Concilio nostro generali apud Langdene: quam quidem chartam libere legere jussi coram

coram testibus totius Westsaxoniæ. Quando vero relecta fuerat, tunc mandavi illos omnes, qui aderant, & securitatem mihi facere præcepi pro meo amore, si unquam audirent de aliquo vel cognoscerent, qui de hæreditate mea aliquod jus acclamare juste posset, quod nunquam ad meum auditum antea pervenit. Et iterum locutus sum ad eos in hæc verba: Rogo vos dilectissimi, quod nemo pro amore aut odio mei parcat veritatem annunciare, sed summopere consentiat veritati. Quia mea voluntas non est, aliquem meorum consanguineorum in aliquo dishæritare. Et tunc omnes principes & seniores populi mei sub firma attestatione dixerunt, quod nunquam ad eos devenit notitia de aliquo, qui justiorem haberet titulum, quam ego: nec cogitare noverunt de aliquo, neque in scripturis invenire potuerunt, & in seisinam meæ hæreditatis me iterum imponentes dixerunt: Ecce, jam habes tuam hæreditatem iterum in manibus tuis. Nunc de bonis & possessionibus conde testamentum tuum; lega & dona tuo proximo sanguini vel amicis tuis & cognatis sicut tibi placuerit. Et omnes illi firmitatem irrevocabilem mihi fecerunt, & subscripserunt, ipsos nunquam hereditatem meam alicui homini aliter pervertendo daturos, præterquam egomet legabo die proximo jam instante. Unde ego Ælfredus divino munere Occidentalium Saxonum rex, præsentibus testibus intentionem meæ ultimæ voluntatis in præsentiarum profero, ut implementum sortiatur post proprium in fata decessum. In primis concedo meo seniori filio Edovardo illas terras apud Stratnet in Triconshire & Hortingtune cum tota libera terra, quam Leofus a nobis perantea tenuit apud Carentunt, & apud Kilsantune, & apud Burnham, & apud Wedmore. Insuper ego confirmo custodi de Leodre, quod ipse illud habeat secundum assignationem a vobis prælocutam, cum terra illa apud Kintune, nec non cum omnibus ad illud pertinentibus. Ulterius prædicto concedo custodi terras illas apud Kantune, & apud Bedewind, & apud Benesey, & apud Husseburne, & apud Suttune, & apud Leodrian, & apud Altune, cum omnibus liberis terris, quas in Cantio possidemus, & apud inferiorem Husseburn, & apud Kyseldene. Do illas terras meo principaliori servienti apud Wintoniam, secundum assignationem; secundam quam illud pater meus prædicto servienti per prius quam affectuose delegavit. Alterum vero feodum, quem ego Egulpho dedi usque ad certum tempus apud inferiorem Husseburne, prænominato servienti concedo. Insuper do meo juniori filio terras illas apud Ederingtune, & apud Dene, & apud Mene, & apud Ambresbiry, & apud Done, & apud Stureminster, & apud Zeule, & apud Cruerne, & apud Withchurch, & apud Axanmuthe, & apud Brannescumbe, & apud Columtune, & apud Tiryfird, & apud Milleburne, & apud Exammynster, & apud Suthwinthe, & apud Lintune, cum omnibus terris ad illud pertinentibus: quæ sunt omnes, quas sub cœlo ibidem possideo; solummodo Tryconschire excepto. Insuper meæ filiæ concedo primogenitæ villam de Welero; & meæ filiæ postgenitæ concedo villam de Clere, & de Condevere; & meæ minori filiæ villam de Weligo, & de Asketune, & de Chippenam. Athelmo vero fratris mei filio do villam de Edingburn & de Cumptune, & de Erundele, & de Bedingn, & de Dingham, & de Burnham, & de Thumesfelde, & de Aschongum. Et fratris mei filio Æthelwaldo concedo villam de Godelming, & de Guldeford, & de Stemingham. Et Osfertho cognato meo do villam de Beccaule, & de Ritheramfeld, & de Diccanlingum, & de Suttune, & de Bullingminster, & de Angemeringum, & de Feltham; nec non & omnes terras ad illud pertinentes. Insuper concedo Alswytho villam de Lamborne, & de Wantingh, & de Ethantdune. Præterea duobus filiis meis libras lego mille: cuilibet eorum 500 libras. Et primogenitæ meæ, postgenitæ, & minori, nec non Alswitho; ipsis quatuor lego libras 400 cuilibet eorum 100 libras. Ulterius cuilibet armigerorum meorum 100 marcas. Singulis eorum per se 100 marcas. Veruntamen concedo Athelmo, Æthelwaldo & Osfertho, etiam cuilibet eorum 100 marcas. Insuper do Æthelredo principi militiæ meæ unum gladium, & 2000 marcas, Et meo sequestri, cum quo jam Pascha imminente pactum firmavi, do ducentas libras, ut ipse det & distribuat inter omnes illos, ubi placitum est sibi subire sepulchrum, secundum dispositionem, quam egomet sibi ad præsens conficio. Insuper Archiepiscopo do centum marcas; & Esno Episcopo, & Werfertho Episcopo, & Assero episcopo de Schireburn; cuilibet eorum centum concedo marcas, ad dandum & distribuendum pro me & pro patre meo. Et præter hoc, quod ipse perantea assignabat, etiam ego assigno ducentas libras, quinquaginta presbyteris per totum regnum meum: & 50 solidos cuilibet Deo servienti per totum

totum regnum meum: & 50 solidos ad distribuendum inter pauperes: & 50 solidos Ecclesiæ, in qua corpus meum traditur sepulturæ. Et ultra ista nescio utrum plus fuerit ad legandum. Spero revera, quod plus non fuerit inventum. Si vero plus repertum sit, disponatur prout superius disponendum censuimus. Et volo, quod Armigeri mei cum valectis, & omnes, qui eum ipsis in servitio meo, existunt, ista distribuant modo supradicto: nec alio modo distribuant, quam superius præscripsimus, coram hærede meo: cui præ cæteris majorem quantitatem de bonis & possessionibus meis prælargitus sum; secundum quod donare potui. Et tali concessioni multi nobiles conscripserunt; & coram præsentibus omnibus his testibus istæ donationes & concessiones in scriptis erant redactæ. Et modo principibus regni mei dedi in mandatis, omnibus videlicet, qui inveniri poterant, quod illi impedimentum non inferant: quoniam voluntas mea de prædictis implendi capiat effectum divina fretus virtute. Et volo, quod illi homines, qui prædictas possident terras, observent verba, quæ de patris mei hæreditate rediguntur in scriptis, in quantum possunt, & in quantum de futuro firmius poterunt. Etiam volo, quod, si ego alieni dedi, vel feodum aliquem ad tempus accommodavi; quod illi meis cognatis, vel suis illud ostendant. Insuper volo, quod illi homines, quibus ego meas liberas terras delegavi; non alienent illas a mea cognatione, ultra dies suos; & volo, quod transeant, diebus suis meæ propinquiori cognationi; nisi ex seipsis procreati fuerint filii legitimi. Et tunc ex meo beneplacito permaneant virili sexui, ab ipsis primogenito; quamdiu unus ex eis vixerit super terram. Nam & pater meus eodem modo suam legavit hæreditatem. Quod si aliquo modo accidet; ut perveniant terræ prædictæ in manus mulierum; tunc volo, quod post obitum earum reddantur consanguinitati meæ virili ex earum visceribus descendenti; si ita fuerit, quod ipsas has terras vita comite in propriis manibus retinere voluerit. Si vero aliter acciderit, tunc ultra dies suos fiet ita, sicut per prius delegavimus. Ulterius dico, quod reddatur ab ipsis pro sustentatione victus consanguineorum meorum, quibus oportet me prædictas terras legare; utrum sint masculi vel fœminæ, secundum quod mihi melius videtur. Et ego in nomine Domini exhortor, & in nomine omnium sanctorum, quod nemo consanguineorum meorum in posterum contra aliquem meæ consanguinitatis laboret quovis modo; quoad ea, quæ ego ipsis dedi perantea pariter & legavi. Et mecum tota nobilitas Westsaxonicæ gentis pro recto jure consentiunt; quod me oportet dimittere eos ita liberos; sicut in homine cogitatio ipsius consistit. Et ego pro amore Dei, & pro salute animæ meæ, volo, quod ipsi sint in possessione libertatum suarum; & omnis cognatio eorum. Et ego in nomine Dei sacri in mandatis committo; quod ipsis nemo contradicat; neque eum armis, potestate, nec virtute, neque alio resistendi modo; quod illi non poterunt seisinare, vel introducere quemcunque illis placuerit in eorum terras, possessiones & dominia. Et volo, quod homines mei dent domino de Domrahani suas terras liberas, & suas libertates, sic, quod ipsi seisinent quemcunque illi placuerit pro me & pro Elfleda; & pro amicis suis, quibus ipsa gratitudines tenetur impendere; & pro vivorum ac defunctorum omnium necessitates habentium salute; & quod habeant illas, ut possint stare pro animæ meæ salute; & quod talis pia donatio fit in remissionem omnium peccatorum meorum; & ita desiderans altissimum humiliter deprecor; ut mea delicta & eorum pœnas mihi misericorditer relaxet. AMEN.

APPENDIX III.

Ðis is seo foresspræc hu S. Gregorius þas boc gedite þe man Pastoralem nemnað.

ÆLfred Kyning hateð gretung Wulfsige Biscop his worðum lofice ⁊ freondlice; ⁊ þe cyðan hate; þ me com swiðe oft on gemynd; hwylce witan geo weron geond Angelcyn; ægðer ge godcundra hada ge woruldcundra; ⁊ huge sæliglica tida þa wæron geond Anglecyn; ⁊ hu þa cyningas þe þone anweald hæfdon þæs folces; Gode ⁊ his ærendwritum hyrsumodoo; ⁊ hu hi ægðer ge heora sybbe ge heora sydo; ⁊ ge heora anweald innan borde gehealdon; ⁊ eac ut hira eðel rymdon; ⁊ hu him þa speow; ægðer ge mid wige ge mid wisdome. And eac þa godcundan hadas hu georne hi wæron ægðer gcymbe lara; geymbe leornunga; ⁊ ymbe ealle þa þeowdomas þe hi gode sceoldon; ⁊ hu man ut on borde wisdome ⁊ lare hider on land sohte; ⁊ hu we hi nu sceoldon ute begitan; gif we hi habbā sceoldon. Swa clæne heo wæs oðfeallen on Angelcynne; þ swiðe fewa wæron be beonan Humbre þe hira ðenunge cuðon understandan on Englisc; oððe furðon an ærendgewryt of ledene on Englisc areccan; ⁊ ic wene þ naht monige begeondan Humbre næron. Swa feawa heora wæron; þ ic furþon anne ænlepne ne mæg geþencan besuðan Thamise þa þa ic to rice feng. Gode ælmightigum sy þanc; þ we nu ænigne an steal habbað lareowa. Forþam ic þe beode; þ þu do swa ic gelyfe þ þu wylle; þ þu þe þissa woruld þinga to þam geæmtige; swa þu oftost mæge; þ þu þone wisdome þe þe God sealde þær þær þu hine befestan mæge befæst; geþenc hwilce witu us þa becomon for þisse worulde; þa þa we hit na hwæðer ne selfe ne lufedon; ne eac oðrum mannum ne lyfdon. Þone naman anne we lufdon; þ we cristene wæron; ⁊ swiðe feawa þa þeawas. Þa ic þis eal gemunde; þa gemuode ic eac hu ic geseah ær þam þe hit eal forhergod were ⁊ forbærned; hu þa circan geond eal Angelcyn stodon maðma ⁊ boca gefylled; ⁊ eac micel mæniu godes þeawa; ⁊ þa swiðe lytle feorme þara boca wiston; forþam þe hi hira nan. þing ongitan ne mihton; forþam þe hi næron on hira agenge þeode awritene. Swilce hi cwædon ure yldran þa þe þas stowa ær heoldon; hi lufedon wisdome ⁊ þurh þone hi begeton welan ⁊ us læfdon. Her mon mæg gyt geseon hira swæð; ac we him ne cunnon æfter swyrgean; forþam we habbað ægðer forlæton ge þone wela ge þone wisdom; for þam þe we noldon to þam spore mid ure moda onlutan. Þa ic þa þis eall gemunde; þa wundrode ic swiðe þæra godera witena þe geo wæron geond Angelcyn; ⁊ þa a alias gretun.

Hæc est Præfatio (ostendens) quemadmodum Sanctus Gregorius hunc librum fecit, quem homines Pastorale nuncupant.

AELfredus Rex optat salutem Wulfsigeo episcopo dignissimo benevole & amanter. Et te scire volo quod mihi sæpeoumero in mentem venit, quales sapientes diu abhinc extiterunt in Anglica gente, tam de spirituali gradu, quam de temporali, quamque fœlicia tum tempora fuerunt inter omnes Angliæ populos, quemadmodumque reges qui tunc gubernationem habebant plebis, Deo & ejus voluntati scriptæ obsecundarint, utque in sua pace, & bellicis suis expeditionibus, atque regimine domestico, domi se semper tutati fuerint, atque etiam foris nobilitatem suam dilatavetint, quomodoque tunc temporis tam sapientia quam prudentia floruerint. Præterea de gradu spirituali homines, quam diligentes fuerint tam docendo, quam discendo, omnibusque officiis (exequendis) quæ Deo præstare debebant. Insuper quemadmodum extranei sapientiam & doctrinam hic in hac nostra terra quondam quæsierint: nosque jam (versa vice) peregrinari oportet ad eam adipiscendam, adeo funditus concidit apud gentem Anglicanam, ut paucissimi fuerint cis Humbrum qui vel preces suas communes, in sermone Anglico intelligere potuerant, vel scriptum aliquod è Latino in Anglicum transferre. Tam sane pauci fuerunt, ut ne unum quidem recordari possim ex australi parte Thamesis, tum cum ego regnare occæperam. Gratiæ Deo omnipotenti sint, quod nunc tandem aliqui in sede sint qui docere queunt. Quamobrem te jubeo ut facias (quemadmodum te facturum credo) nimirum ut tu qui mundana hæc illis profundis quam potes sæpe, eam sapientiam quam tibi deus largitus est, illis ubicunque poteris vicissim impertias. Cogita quales pœnæ super nos tandem venturæ sunt propter hunc mundum, cum neque nosmetipsi sapientiam adamaverimus, neque eam aliis reliquerimus. Nomina tantum diligimus, quia Christiani nuncupamur, paucissimi vero officiis Christianorũ defungimur. Hæc omnia quoties in memoriam revoco, subit etiam cogitatio, quemadmodum cuncta hic in Anglia viderim, priusquam deleta fuissent omnia & incensa, utpote templa per omnem Anglicanam gentem steterint ornamentis, & libris instructa, magnaque insuper multitudine servorum Dei repleta. Quamvis certe fructum perexiguum ex libris suis perceperint, quandoquidem intelligere illos nequibant, eo quod patrio sermone neutiquam conscriberentur. Qui qoidem hac oratione usi sunt majores nostri, qui hæc quondam loca obtinuerunt, sapientiam adamaverunt, & per illam opes sibi conflarunt nobisq; reliquerunt. Quorum sapientiæ impressam nos veluti orbitam vidimus, sed eam adipisci non potuimus. Nam & opes & sapientiam plane perdidimus, quoniam ingenii nervos omnes ad ejus contemplationem contendere noluimus. Cum igitur hæc omnia cogitatione complecterer, magnopere admirabar præclaros illos sapientes qui diu abhinc per universam

bec be fullan ealle geleornod hæfdon ꝥ hira þa nanne dæl noldon on hira agenge þeode wendan; ac ic þa sona eft me sylfum andwyrde ⁊ cwæð; hi ne wendon ꝥ æfre men sceoldon swa recelease wurðan; ⁊ seo lar swa oðfeallan. For þære wilnunge hi hit forleton; ⁊ woldon ꝥ her þe mara wisdome on lande wære; þi we ma geþeoda cuðon. Þa gemunde ic hu seo æ wes ærest on Ebreisc geþeode fundon; ⁊ eft þa Grecas geleornodon; þa wendon hi hit on hira agenge þeode ealle; ⁊ eac ealle oðra bec; ⁊ eft Ledenware swa some siððan hi hit geleornodon; hi wendon ealle þurh wise wealhstodas on heora agenge þeode; ⁊ eac alle oðra cristene þeoda sumne dal hira on hira agenge þeode wendon. For þi me þingð betere gif geow swa þincð; ꝥ we eac sume bec þa þe nied beþyrfysta syn eallum mannum to witanne, ꝥ we þa on ꝥ geþeode wendon þe we ealle gecnawan mægen; ⁊ gedon swa we swiðe eaðe magon mid godes fultume; gif we þa stylnesse habbað, ꝥ eall seo geoguð þe nu is on Angelcynne freora manna; þara þe þa speda hæbben; ꝥ hi þam befeolan mægen syn to leornunga oðfæste, þa hwile þe hi nanre oðerre note nemægen; oð fyrst þe hi wel cunnen englisc gewrit aræden. Læremon siððan furðor on leden geþeode; þa þe man furðor læran wylle; ⁊ to herran hade don wylle. Þa ic gemunde hu seo lar leden geþeodes ær þysum afeallen wæs g ond Angelcyn; ⁊ þeah manega cuðon Englisc gewrit arædan. Þa ongan ic gemong oðrum mislicum ⁊ monigfealdum bysgum þisses kynerices; þa boc wendan on englisc þe is ge. emned on leden Pastoralis; ⁊ on englisc Hirde-boc; hwilum word be worde; hwilum andgit of andgite; swa swa ic hi geleornode æt Plegmunde minum Arcebiscope; ⁊ æt Assere minon biscope; ⁊ æt Grimbolde minum mæsse preoste; ⁊ æt Johanne minum mæsse preost. Siððam ic hi þa geleornod hæfde swa swa ic hi forstod swa ic hi andgitlicost areccan mahte; ic hi on englisc awende; ⁊ to æl'cum biscep stole on minum rice wylle ane on sendan; ⁊ on ælcre bið an æstel se bið on fiftigum mancessa; ⁊ ic bebeode on godes naman ꝥ man þone æstel fram þære bec ne do; ne þa boc fram þam mynstre; uncuð hu lange þær swa gelærede biscepas syn. Swa swa nu gode þanc wel hwær sindon. For þi ic wolde ꝥ hi ealne weg æt þære stowe wæren; buton se biscop hi mid him habban wylle; oððe heo hwær to læne sy; oððe hwa oðre bi write.

versam gentem Anglicanam floruerunt, atque illos libros penitus omnes perdidiscerant, quamobrem noluerunt horum partem aliquam in patrium sermonem transferre. Veruntamen protinus mihimetipsi respondebam, viz. quod majores illi nostri neutiquam opinati sunt, homines unquam adeo socordes futuros, aut rem literariam in tantum unquam prolapsuram? ideoq; consulto id omisisse, existimantes eo uberiorem hac in terra sapientiam futuram, quo plures l[illegible]stris linguæ pernoscerentur. Tum vero v[illegible] mihi in mentem legem Dei primum in Hæbræo sermone fuisse inventam, atque postea Græcos cum eandem didicissent, eam universam, & alios insuper omnes libros in suam linguam vertisse, nec non latinos etiam, quamprimum ipsi eam intelligentia comprehendissent, per prudentes interpretes suo sermone eandem expressisse; eodemque modo omnem undique Christianam plebem partem ejus aliquam in linguam domesticam transtulisse. Quapropter optimum censeo, (si tu quoque sic existimas) ut nos libros aliquos, quos maxime necessarios arbitrabimur, qui ab omnibus intelligantur, eosdem in linguam quam omnes intelligunt convertamus: efficiamusque (quod certe ope divina perfacile poterimus si pace perfruamur) ut omnis juventus quæ nunc est gentis Anglicæ (eorum præsertim hominum qui liberi nati sunt, opesque habent quibus eos ad id alere possunt) literis addiscendis addicatur: utque prius artem nullam imbibant, quam Anglica poterint scripta perlegere. Postea autem homines in latinis literis eos instituant quos volunt amplius erudire, atque ad altiorem gradum provehere. Cum itaque mecum considerabam, quomodo isthæc doctrina sermonis latini per omnem gentem Anglicanam antehac obsolevisset (quamvis plurimi potuissent Anglica scripta legere) tum inter alia varia ac multiplicia negotia hujus regni, cœpi librum hunc vertere in sermonem Anglicanum: (qui latine Pastoralis nuncupatur, Anglice vero the Heardmans Book) aliquando verbum de verbo capiens, interdum autem sensum ex sensu, sicut egomet ea didisceram à Pleimundo Archiep. meo, & Asserio antistite meo, necnon Grimbaldo, & Johanne mihi à sacris. A quibus postea quam librum ita didicissem, ut penitus perciperem quemadmodum facillime ad ejus intelligentiam pervenire possem, in Anglicum sermonem eum converti, & ad unamquamque episcopi sedem in regno unum misi, superque singulos libros stilum, qui est, quinquaginta mancussæ. Et ego præcipio in Dei nomine ne quis de libris hunc stilum tollat, neque librum de templo, incertum cum sit, quam diu futuri sunt tales eruditi Præsules, quales nunc (honos Deo) ubique sint. Quapropter volo uti libri sui semper in locis remaneant, nisi illos Pontifex habere voluerit, aut commodatos alicui dederit, donec alii ex illis describantur.

Liber Loquitur.

Ðis ærýndgewrit Augustinus ofer sealtne sæ suðan brohte; egbugendum swa hit ærfore adihtode drihtnes cempa Papa rihtspel monig Gregorius gleaw mod geond wod þurh sefan; snýtro; searo; þanca hord. Forþam he mancýnnes mæst gestrinde rodera wearde Romwarena betst manna; modyeligost mærða gefrægost. Siððan me on englisc Ælfred cýning awende worda gehwilc; & me his writerum sende; Suð & Norð. Forþam he het him swilcra ma brengan be þære býsýne ꝥ he his biscopum sendan meahte; forðam hi his sume be þorftan þa þe leden spræce læste cuðon.

Hoc scriptum Augustinus trans salsum mare ab Austro ad incolas hujus regni pertulit: sicut illud antea præparaverat servus domini Papa Romanus, rectus vicarius gubernans, Gregorius: consideratæ vir fortitudinis absque furore, summo sensu, sapientia, consilio præditus, immensus thesaurus, quoniam is generis humani partem maximam cœlo lucrifecit: Romanorum vir optimus, mentis magnitudine abundantissimus, majestate liberrimus. Postquam me in Anglicum sermonem Ælfredus rex convertisset ad verbum, me per Austrum & Aquilonem suis scriptoribus delegavit, mandans illis uti secundum exemplar plures tales describerent, eum nimirum in finem, quo episcopis suis illos mittere posset. Quandoquidem quibusdam ex suis Antistitibus pernecessarii essent futuri, qui linguam latinam minus intelligerent.

Fragmentum

Appendix IV.

Fragmentum Historiæ Regum *West-Saxoniæ*, quæ ab *Ælfredo* Rege scripta fuisse videtur, in omnibus codicibus MSS. *Bedæ* Saxonicis extare dicitur.

Tha wæs agangen fram Cristes acennednysse cccc ⁊ [a] xciiii wintra þa Cerdic ⁊ Cynric his sunu comon upp æt [b] Cerdices oran mid fif scipum. ⁊ se Cerdic wæs Elesing. Elesa [c] Gewissing. Gewis Wiging. Wiging Freawining. Freawine Freoþogaring. Freoþgar Bronding. Brond Bældæging. Bældæg Wodening. Wes ymbe syx gear ðes þe hi upp coman geeodan West Seaxna rice. þ wæron ða ærestan Cyningas þe West Seaxena land on Wealum geeodan. ⁊ he hæfde þ rice sixtyne [d] gear. ⁊ þa geforþ he. ⁊ þa feng his sunu Cynric to þam rice. ⁊ hit heold [e] xxvii wintra. þa he forþferde. þa feng [f] Ceawlin his sunu to. ⁊ heold seofon winter. þa he geforþ. þa feng [g] Ceol to ðam rice. ⁊ heold syx gear. þa he geforþ. þa feng Ceolwulf to his broðor. ⁊ he ricxade seofontyne gear. heora cynn gæð to Cerdice. þa feng Cynegyls Ceolwulfes broðer suna to rice. ⁊ hæfde an ⁊ þrittig wintra. ⁊ he onfeng ærest [h] fulluhte West Seaxna Cyninga. Ða feng Kenwalh to rice ⁊ heold hit [i] þrittig winter. se Cenwalh wæs Cynegelses sunu. ⁊ þa heold Seaxburg his Cwæn an gear þ rice æfter him; Ða feng Æscwine to rice. þæs cyn geþ to [k] Cerdice. ⁊ he heold twa gear. þa feng Centwine to West Seaxna rice. Cynegelsing. ⁊ ricsade nigon gear þa feng [l] Ceadwala to þam rice. þæs cynn gæð to Cerdice. ⁊ he heald iii gear; Ða feng [m] Ine to þam rice. þæs cynn gæð to Cerdice. ⁊ he heold [n] twa ⁊ þrittig winter. Ða feng Æthelheard to rice [o] ⁊ heold feowertine winter; Ða feng Cuþred to [p] þæs cynn gæð to Cerdice. ⁊ he heold syxtyne [q] winter. þa feng Sygebyrt to [r] þæs cyn gæð to Cerdice. ⁊ he heold an gear; ða feng Cynewulf to rice. ðes cyn gæð to Cerdice. ⁊ he heold an ⁊ ðirttig [s] geara. ða feng Beorhtric to rice [t] ⁊ he heold syxtene gear. Ða feng Ecbyrht to þam rice ⁊ heold seofon ⁊ þrittig geara ⁊ seofen monað. ⁊ þa feng Æðelwulf his sunu to. ⁊ heold [u] nigontoþe healf gear. ⁊ se Æðelwulf wæs Ecgbyrhting. Ecbyrht Ealhmunding. Ealhmund [x] Eafing.

a xciii.
b Portus Cerdici Matth. Westm. p. 94. Malmesb. p. 12.
c Elesa Esling Esla ge Wising. B.
d Wintra C.
e xxvi. C.
f Ceol. B.
g Ceolwulf his broþur. B.
h Fulwihte. C.
i xxxi. B. & C.
k Cerdice. C.
l Ceadwalle. C.
m Ine to Seaxna rice. B. to West Seaxna rice. C.
n xxxvii. wintra. B. & C.
o þæs cyn gæþ to Cerdice. C.
p gear. C.
q wintra. C.
r ðes cyn gæþ to Cerdice. C.
s nigonteoþe. B. & C.
t nigonteoþe.
u Eafing Eafa. Eopping Eoppa B.

Postquam transacti erant à Christi nativitate quadringentæ & nonaginta quatuor hyemes, tum Cerdicus & Cinricus filius ejus appulerunt ad Cerdici [a] portum cum quinque navibus. Ille autem Cerdicius fuit filius Elesæ, Elesa Wisi, Wisus Wigingi, Wigingus Freawini, Freawinus Freothogari, Freothogarus Brondi, Brondus Bældegi, Bældægus Wodi: circa sexennium ex quo huc appulerant, invaserunt Occidentalium Saxonum provinciam, iique erant primi Reges, qui Occidentalium Saxonum regnum inter [b] Wallos perdomuerant: tenuit autem illud Regnum sedecim annos, & tunc obiit: Deinde accepit ejus filius Cinricus regnum, tenuitque viginti & septem hyemes, & tandem obiit. Accepit postea Ceaulinus ejus filius regnum, tenuitque septem hyemes, quo mortuo accepit regnum Ceolus: tenuitque sex annos: illo mortuo, accepit regnum frater ejus Ceolwulfus, & rexit septendecim annos: horum genealogia [c] convenit Cerdicio. Dein accepit regnum Cynegylsus, Ceolwulfi fratris filius; tenuitque triginta hyemes & unam. Atque is primus Occidentalium Saxonum Rex baptismum suscepit. Deinde accepit regnum Kenwalhus, tenuitque triginta hyemes. Ille Kenwalhus fuit Cynegelsi filius. Tum postea regnum Seaxburga ejus Regina tenuit per anni unius spatium illo defuncto. Dein accepit regnum Æscwine, cujus genealogia convenit Cerdicio, & biennium tenuit. Accepit postea Centwine regnum Occidentalium Saxonum Cynegelsi filius, rexitque novem annos. Tum accepit Ceadwala regnum, cujus genealogia convenit Cerdicio, & tenuit triennium. Deinde Iaa accepit regnum, cujus genealogia convenit Cerdicio, & ille quoque tenuit triginta, & duas hyemes. Tum Æthelheard accepit regnum, & tenuit quatuordecim hyemes. Cuthrædus postea regnum accepit, cujus genealogia convenit Cerdicio, tenuitque sedecim hyemes. Accepit porro regnum Sigebirtus, cujus genealogia convenit Cerdicio, tenuitque anni unius spatium. Cinewulfus postea accepit regnum, cujus genealogia convenit Cerdicio, tenuitque triginta annos & unum. Tum accepit regnum Beorhtricus, tenuitque annos sedecim. Tum capessit regnum Ecbirthus, tenuitque triginta annos & septem, septemque menses: dein capessit regnum Æthelwulfus ejus filius, tenuitque novemdecim annos cum semestri. Ille autem Æthelwulfus fuit filius Ecbirhti, Ecbirhtus Ealhmundi, Ealhmundus

a Malmesb. in lib. de Reg. ait, cum quinque ceolis, with five keels.
b Nam contra Wallos pugnabant. wiþ Wealum gefuhtan. Chron. Sax. in ann. CCCCXV. cum Britonibus, inquit Wigornensis, ad ann. 495. fortasse contentus, Walli autem sunt Britonum progenies.
c Sax. vedes, hoc est, refertur ad Cerdicum.

Eaba Eopping. Eoppa Ingilding. Ingild Cenreding. ⁊ Ine Cenreding. ⁊ Cuþburh Cenreding. ⁊ Cwenburh Cenreding. Cenred Ceolwalding. Ceolwald Cuþwulfing. Cuþwulf Wining. Cuþwine Celming. Celm Cynricing. Cynric Creoding. Creoda Cerdicing. Þa feng Æþelbald his sunu to rice, and heold * fif gear. Þa feng Æðelbyrht to his broþor. ⁊ heold fif gear. Þa feng Æþered his broþor to rice. ⁊ heold fif gear. Þa feng Ælfred hyra broþer to rice. ⁊ þa wæs agangen his ylde þreo ⁊ ðrittig wintra. ⁊ þreo hund. ⁊ six ⁊ hund nygantig wintra. þæs þe his cyn ærest West Seaxnaland on Wealum geeodon.

* i. C.

Eabæ, Eaba Joppæ, Joppa Ingildi, Ingildus Cenredi, & Ine Cenredi, & Cuthburhtus Cenredi, & Cwenburghus Cenredi, Cenredus Ceolwaldi, Ceolwaldus Cuthwulfi, Cuthwulfus Wini, Cuthwinus Celmi, Celmus Cynerici. Cynericus Creoddæ, Creodda Cerdici. Tum capessit regnum filius ejus Æthelbaldus, & quinquennium tenuit. Dein capessit regnum Æthelbertus ejus frater, & is quoque tenuit quinquennium, deinde Ætheredus ejus frater regnum accepit, & tenuit quinquennium. Denique capessit regnum illorum frater Ælfredus postquam hujus ætatis triginta & tres hyemes transactæ fuerint, & tricenæ nonaginta & tres hyemes, ex quo majores sui primo Occidentalium Saxonum provinciam contra Wallos (pugnaturi) invaserant.

Chronologia

APPENDIX V.

Chronologia vitæ Regis Aelfredi.

A.C. A.Ælf.

849. 1. NAtus est *Ælfredus* e Patre *Etheluulpho*, & matre *Osburga* filia *Oslaci*, in *Wanatinga* Comitaru Bearroccensi.

850. 2.

851. 3. *Ceorl* Domnaniæ Comes vicit Danos in Uuiccanbeorg. Æthelstanus Rex (Etheluulphi F.) & Ealhere Comes Danos Sandwici vicerunt, & novem naves eorum ceperunt. Alius Danorum exercitus 350 navibus Tamesin ingressus *Londinum* cepit, & Bertulfum Merciorum Regem fugavit; inde Suthriam profectus *Aclea* ingenti prælio ab Ethduulpho & Ethelbaldo ejus F. prostratus est.

852. 4. *Bertulpho* Merciorum Regi defuncto successit *Burrhedus*.

853. 5. Burrhedus Etheluulphi auxilio Wallos devicit. Etheluulphus Ælfredum Demetiæ Regem constituit, (*Hist. Brit.*) & Romam misit. Qui a Leone IV. Pontifice confirmatus, & in Regem unctus est. Etheluulphus filiam suam Burrhedo uxorem dedit. Ealchere & Uuada (Athelstano prius defuncto. Hard.) acerrime cum Danis in Insula Taneto pugnarunt, & uterque occisus est.

854. 6.

855. 7. Indict. III. Sanctus Eadmundus East-Anglorum Rex unctus est. 8 Kal. Jan. an. ætatis suæ 14. a Nunbercho Episcopo. Etheluulphus totum suum regnum decimavit Non. Novemb. Romamque, Ælfredum secum ducens, profectus est.

856. 8. Etheluulphus Roma rediens Juditham in uxorem duxit Non. Octob. (Chron. Bertin.) in patriam reversus non nisi ad regni partem admissus est. Testamentum condit.

857. 9.

858. 10. Etheluulphus obiit Id. Jan. cum regnasset annos 19, & 6 menses, (parvum Chron.) cui apud West-Saxonas succedit Ethelbaldus, qui Juditham novercam uxorem ducit.

859. 11.

860. 12. Ethelbaldus moritur cum annos 5 regnasset, post obitum vero patris 2 & 6 menses, Regnum totum occupat Ethelbertus. Piratæ Wintoniam diripiunt, sed a Comitibus Hantunensi & Bearroccensi vincuntur, & ad naves compelluntur. *Secuti sumus in hac supputatione Chronicum Sax. & Asserium; probabilius tamen est ipsum anno 861 obiisse.*

861. 13. Juditha Franciam petens a Baldwino Flandriæ Forestario capta est, & anno 862. ei nupta, & Patri reconciliata.

862. 14. Obiit Sanctus Swithunus.

863. 15.

864. 16. Dani in Taneto hyemantes cum Cantuariis paciscuntur; pactis autem ruptis Cantiam Orientalem gravissime opprimunt. Baldwinus primus Flandriæ Comes factus est. Tilii Chron.

865. 17.

866. 18. Ætheiberto mortuo succedit Ætheredus. Danorum exercitus magnus East-Angliam appulit, ibique hyemavit. Equester vero factus

867. 19. Northumbros invadit; Osbertum & Ællam Eboraci cum toto eorum exercitu indic palmarum delet. Ealstanus Episcopus Shirburnensis obiit. Egbertus a Danis Rex Northumbris præficitur. Floren.

868. 20. Ælfredus uxorem ducit. Pagani Notenghaminm capiunt, cum Merciis paciscuntur, & abscedunt.

869. 21. Pagani Eboracum adeunt, ibique per annum integrum commorantur.

870. 22. Pagani

A. C. A. Ælf.

870. 22. Pagani ab Eboraco Theotfordiam inter East-Anglos transeunt. Edmundus Rex adversus eos viriliter pugnans, fugatur, & deinde Martyrio coronatur. Florilegus asserit novum exercitum sub Hinguar & Hubba in Scotiam appulsum, regiones omnes Septentrionales diripuisse, & inde Theotfordiam (cædem Lothbroci Patris eorum vindicaturus) adisse. Ceolnothus Archiepiscopus obiit, cui successit Ætheredus.

871. 23. Relicta East-Anglia Pagani Redingam occuparunt; pugnatum est Englefeildæ, Redingæ, Æscedunæ, Basingæ, Meretunæ; ubi vulneratus Ætheredus post Pascha obiit. Ælfredus Rex factus est. Pugnavit Wiltunæ, & novies eodem anno; quibus prælis Rex Danorum unus, & novem Comites occisi sunt. Ingulphus aliique Autores rejiciunt mortem Etheredi in annum sequentem.

872. 24. Pagani Londoniam adeunt, & Mercii cum iis pacem feriunt.

873. 25. Inde Torkeseyam, Merciique rursus cum iis pactum ineunt.

874. 26. Repandunum (insigne Monasterium, quo sepulti erant Merciorum Reges) penitus exscindunt, coguntque Burrhedum Merciorum Regem patriam suam deserere, Romamque cedere, ubi paulo post moriebatur.

875. 27. Pars Paganorum cum Halfdene Northumbriam petunt; reliqui cum Godrunno, Askitello & Amundo Grantbrygyam adeunt. Ælfredus in navali pugna cum 7 Piratarum navibus, unam cepit, reliquas fugavit. Rollo Angliam invadit. Asser.

876. 28. Pagani Werhamum pergunt, pactisque & obsidibus posthabitis, Excestriam. Halfdanus Northumbriam inter suos partitur. Rollo Normanniam ingreditur; xv Cal. Decemb. Hoved.

877. 29. Pagani ad Werhamum relicti partim pedibus partim navibus, quarum 120 perierunt ad Swanawic, Excestriam contendunt; ubi ab Ælfredo obsessi juramenta, novosque obsides dant, se West-Saxoniam relicturos. Merciamque redeuntes eam inter se dividunt in mense Augusto.

878. 30. Pagani (pactis omnibus & juramentis ruptis) inopinato immediate post Epiphaniorum festum Chippenhamium (West-Saxoniæ fere meditullium) expugnant, totamque regionem misere diripiunt. Ælfredus paucis suorum fidelissimorum comitatus per Sylvas & Paludes se abscondit; Hinguaris & Halfdeni frater (Hubba sc. nam ille tertius erat frater, Asser. Hinguar, Haldene, & Hubba. Floril. Hinguar & Haldenus. Hoved.) ab Ælfredianis ad Kinwith occisus, & corvus (vexillum) captus: occisi e Danis 840. (Chr. Sax.) 1200 alii. Post Paschatis festum Ælfredus Arcem Æthelingeiæ construxit; & ad Pentecosten acerrimo prælio Danos ad Eddandune devicit; quorum Rex Godrun cum 30 Ducibus, & exercitus maxima parte baptizatus, Reliqui Anglia excesserunt. Rex Godrunno & suis Christianis concedit East-Angliam (& Northumbriam Floril.)

879. 31. Pagani Cirenceestriam petunt. Alius exercitus Fullenhamiæ hyemavit. Deneberto Episcopo Wintoniensi defuncto successit Dunuulphus. Floren.

880. 32. Cerenceestria relicta East-Angliam petunt, eamque inter se partiuntur. Exercitus novus Fullenhamia relicta Franciam adit. Shaftsburiam urbem Rex condidit.

881. 33.

882. 34. Ælfredus contra 4 piratarum naves prælium iniit; binas cepit, reliquæ se submiserunt. Asser. Cuthredus e servo factus est Rex Northumbrorum. Rex Ælfredus Sancti Cuthberti Ecclesiæ contulit totam terram inter Tinam & Teisam. Floril.

883. 35. Marinus Papa factus Ælfredo plurima donaria misit, & Scholam Anglorum a tributo liberam fecit, (aliqui in annum sequentem rejiciunt.) Asserio Shireburnensi Episcopo successit Suithelmus, qui Regis eleemosynam ad Sanctæ Thomæ in India Orientali Ecclesiam detulit, Johannes Scotus Erigena in Angliam venit. Floril. Etiam

Sanctus

A.D. A.Ælf.

Sanctus Grimbaldus, ut videtur, a Rege in Angliam invitatus, anno proximo huc accessit.

884. 36. Pagani Roscestriam obsidentes à Rege fugati. Rex ad ostium Sturæ sedecim (Chr. Sax. alii tredecim) Paganorum naves cepit: sui tamen aliquanto postea negligentius agentes damnum passi sunt. Orientales Dani pacem cum Ælfredo violarunt. Obiit Papa Marinus. Asserius Menevensis aliique viri eruditi ab Ælfredo accersiti videntur.

885. 37.

886. 38. Ælfredus Londinum in potestatem suam redactam & restauratam, Ætheredo commisit; omnesque Saxones dispersi ad ipsum redierunt. Synodum Londini celebravit, cui interfuit Grimbaldus, finita Synodo Oxonium missus videtur.

887. 39. Æthelelmus Wilton. Comes Regis eleemosynam Romam detulit. Rex in Festo Sancti Martini coepit librorum lectioni & interpretationi operam dare. Monasteria in Æthelingeay, & Septonia construxit. Hoved. Abel Patriarcha Hierosolymitanus donaria ei misit. Suithelmi iter in Indiam huic anno refert Brompton.

888. 40. Becca Comes West-Saxonum Regis eleemosynam Romam detulit: obiit Ticini Regis soror Ethelswitha: obiit Æthelfredus Archiepiscopus Dorobornensis, & Ethelwoldus Comes. Neustria Normannis ad habitandum data.

889. 41. Duo leprosi (vox Saxonica etiam pedites significare potest) Romam cum literis missi. Rex Ecclesiæ Wigorniensi quædam confert.

890. 42. Beornhelm Abbas cum eleemosynis Romam missus. Guthrun obiit. Plegmundus Archiepiscopus Cantuariensis consecratus est. Uulferus Archiepiscopus Eboracensis obiit.

891. 43. Tres Scoti ad Ælfredum ab Hibernia veniunt. Formosus Papa electus est.

892. 44. Ad hunc annum referunt aliqui invasionem Paganorum. Floril.

893. 45. Pagani e Francia cum 250 navibus Appuldreæ ad Limenem fluvium arcem ædificant, Hæstenus etiam Middletonam accedit cum 80 navibus. Guthredus Rex Northumbrorum obiit. Rex rempublicam ordinat, novasque leges, novamque totius regionis partitionem, instituit.

894. 46. Northumbri & East Angli Regi novo juramento se obstrinxerunt, hi etiam obsidibus: quibus tamen neglectis cum Paganis conspirarunt. Rex autem inter binos in Cantio exercitus se medium collocans eorum prædationes impediit, tandemque exercitum Appledorensem prælio equestri superavit. Fusi in East-Angliam se receperunt, & Northumbris adjuncti Devoniam navibus petierunt. Hæstenus Beamfletæ se munivit, quæ, ipso prædatum egresso, a Regiis expugnata est. Paganorum exercitus omnes Sceoburiæ muniunt castra: unde regionem usque ad Sabrinam prædantur, & Buttingtonæ diu obsessi, tandem (sed non sine notabili damno) erumpunt: Et per diversas partes fugientes tandem in East-Angliam conveniunt, novumque conficiunt exercitum: qui Cestriam magnis itineribus inopinato invadit. Guthredus Rex obiit Sim. Dunelm.

895. 47. Dani Cestriam deserentes partes Walliæ boreales deprædantur: unde per Northumbros East-Angliam regrediuntur, & Merleiæ confident: & eorum pars West-Saxoniam invadentes pene ad internecionem delentur, pars vero naves in Ligeam flumen trahunt.

896. 48. Ligea in partes a Rege divisa, Dani naves deserunt; & Quatbrigiam petunt,

897. 49. Ubi a Regiis devicti, pars in Franciam discedunt, pars in East-Angliam, totus denique exercitus fusus & dispersus est. Dum hæc fiunt, piratæ Northumbri & East-Angli West-Saxoniam rursus invadunt; adversus eos vero Rex nova Navigiorum genera suopte ingenio fabricari curat; quibus piratas penitus superat. Bonifacius Pontifex Romanus.

A.D. A.Ælf.
898. 50. Per tres annos pestis acerbe grassata multos e Regis famulitio, & exercitu delet. Stephanus Pontifex. Eastano Episcopo Londinensi succedit Theodredus. Obiit Guthred Northumbrorum regulus in Festo Sancti Bartholmæi. Ethel.
899. 51. Romanus, Theodorus, Johannes Pontifices. Æthelwaldus Sciréburnensis Episcopus obiit. Hoc anno Regem Ælfredum obiisse dicunt aliqui. Hoved.
900. 52.
901. 53. Obiit Rex Ælfredus, 5. Cal. Nov. hoc est Festo S. Simonis & Judæ.

Historici nostri inter se non conveniunt de initio Regni Regis nostri, nec de ejus obitu: quod maxime verisimile est, & antiquissimos scriptores, sequuti sumus; neque enim ipsos conciliandi ratio ulla succurrit. Chron. Sax. Asserius, Florentius, H. Huntingdonius, Ethelwerdus, Florilegus, Sim. Dunelm. regni initio annum 871. Ingulfus, Malmsb. Hovedenus an. 872. Jo. Brompton an. 873 assignant. De obitu etiam discrepant. Chron. Saxon. mortuum dicit, anno 901, 6 noctes ante Festum Omnium Sanctorum. Postea vero non sibi satis constans, an. 941 hæc habet. *Hic Rex Æthelstanus vi Kal. Nov. obiit: quadragesima prima circiter hyeme, unica nocte excepta, ex quo Ælfredus Rex defunctus est.* Adeo ut hic asserere videatur Regem Ælfredum, anno 900 mortuum. Asserii continuator (quisquis ille fuerit) anno 900. 7 Cal. Novemb. cum regnasset 29 annos cum dimidio, anno ætatis 49, Indict. 4. & Sepultum dicit Wintoniæ in Ecclesia Sancti Petri, Sepulchro de lapide porphyrio pretiosissimo. Ingulfus anno Regni 29 obiisse dicit. Ethelwerdus (quantum ipsum intelligo) 901, septimo die ante Festum Omnium Sanctorum. Florentius an. 901. annis 29 & 6 mensibus Regni sui peractis, Indict. 4. feria 4. 5 Cal. Novemb. & Wintoniæ in Novo Monasterio sepultus est. Et hæc valde consona. Annus enim 901 erat Indict. 4. & D litera Dominicalis, unde sequitur, quod 5. Cal. Nov. sit feria quarta. Floril. anno 900. postquam 29 annos & 6 menses regnasset, 5 Cal. Novemb. feria 4. Indict. 5. Sepultus Wintoniæ in Novo Monasterio. Malmsb. anno 901, priusque sepultum in Episcopatu, quod suum Monasterium erat imperfectum, mox in Novum Monasterium traductum. Huntingd. Cum regnasset 28 annos & 6 menses. Hovedenus 899, 29 annis & 6 mensibus Regni sui peractis, Indict. 4. 5 Cal. Novemb. mortem obiit: & Wintoniæ in Novo Monasterio sepultus est. Sim. Dunelm. anno 899, cum regnasset annis 28. Brompton, cum regnasset an. 28. & dimidium. Hinc autem sequitur eos in ætate sua inter se non constare. Nam cum omnes conveniant ipsum anno 849 natum, necesse est ut an. 900 esset, ætatis suæ quinquagesimus secundus, cum tamen Asserii continuator, annos 49 vixisse scribit.

In

APPENDIX VI.

In Præfatione ad Traductionem Orosii ab Ælfredo Rege in Linguam Saxonicam.

Ohthere sæde his hlaforde Ælfrede Kyninge þæt he ealra Norðmanna Norðmest bude; he cwæð þæt he bude on þæm lande norþweardum wiþ þa west sæ· he sæde þeah þæt þæt land sy swiðe oorþ þanon· ac hit is eall weste buton on feawum stowum· stice mælum wiciað Finnas· on huntaðe on wintra· ⁊ on sumera on fiscoðe be þære sæ.

He sæde þæt he æt sumum cyrre wolde fandian hu lange þæt land norð rihte læge. oððe hwæþer ænig man be norðam þæm westene bude:· þa for he norð rihte be þæm lande· let him ealne weg þæt weste lande on þæt steor bord· ⁊ þa wid sæ on bæc bord þry dagas· ða wes he swa feor norð swa swa hwæl huntan fyrrest farað:· þa for he þa gyt norðryhte· swa he mihte on þæm oðrum þrim dagum geseglian· þa beah þæt land wer east rihte· oððe sio sæ in on þæt land· he oyste hwæþer· buton he wyste þet he þer bad westan winder oððe hwon norðao· ⁊ segled þaoon east be lande· swa swa he mihte on feowor dagum geseglian· þa sceolde he bidan ryhte norðan winder· forðan þæt land þær beah suðrihte· oððe seo sæ in onþæt land· he nyste hwæþer· þa sægled he þanon suðrihte be laode· swa swa he mihte on fif dagum geseglian:·

Ða læg þær an micel ea up in ꝥ land· pa cyrdon he up in on ða ea· for þæm hy ne ðorston forð be þære ea seglian· for onfriðe· for þæm þæt land wæs eall gebun on oðre healfe þære ea:· Ne mette he ær nan gebun land· syððao he fram his agnum hame for· ac him wæs ealne weg weste land on þæt steorbord butan fisceran ⁊ fugeleran ⁊ huntan· ⁊ þæt wæren ealle Finnas· ⁊ him wæs á widsæ on þæt bæc bord:·

Ða Beormas hæfdon swiðe well gebun hyra land· ac hi ne dorston þær on cuman:· Ac þara Terfinna land þæs eall weste· butan wær huntan gewicodon· oððe fisceras· oððe fugeleras:· Fela spella him sædon þa Beormas· ægþer ge of hyra agenum lande ge of þæm lande þe ymbe hy utan wæran· ac he nyste hwat þæs soðes wæs· for þæm he hit sylf ne geseah:· Ða Finnas him þuhte ⁊ þa Beormas spræcon neah an geðeode:·

Swiðost he for ðider· to eacan þæs landes sceawunge· for þæm horshwælum· for þæm hi habbað swiðe æðele ban on hyra toðum:· Ða teþ hy brohton sume þæm cyninge· ⁊ hyra hyd bið swiðe god to sciprapum:· Se

Htherus dixit Domino suo Ælfredo Regi; se omnium Northmannorum locis maxime septentrionalibus habitare, in illa regione, quæ ad Aquilonem oceano occidentali terminatur: dixit Terram illam occidentalem longe versua Aquilonem esse porrectam, & desertam esse totam præter paucos quosdam locos, quibus Finni aliquot, qui hyeme venatu, æstate piscatu vitam degunt.

Dixit se aliquando voluisse explorare quousque terra illa versus Aquilonem extenderetur; vel si qua gens magis versus septentrionem à deserto habitaret: atque ea propter se recta septentrionem versus profectum, à dextris semper terram illam desertam tenuisse, & oceanum à sinistris trium dierum navigatione: quo tempore se appulisse septentrionem versus ad ultimum illius loci quem Balænarum captores adire solent: Inde se adhuc versus Septentrionem, quantum tribus diebus oavigare poterat, progressum fuisse, ibique terram versus Orientem recta fuisse porrectam: nescire autem se num intra terram illam mare sit: Hoc autem se scire, quod ibi commoratus est, expectans ventum ab occidente vel partim à Septentrione flantem. Tunc autem dixit se versus orientem prope littus navigasse quantum pótuit quatriduo: tunc vero coactum expectare ventum recta borealem: quoniam terra illa australis erat, nescire autem se an mare io istam terram se extendat: tunc autem se recta versus Austrum prope littus navigasse quantum quinque diebus potuit.

Ibi vero conspexit permagnum fluvium, qui in terram longissime penetraret: ad ejus ostia se substitisse, neque ausum flumen subire metu incolarum: erat enim terra illa ex altera parte fluminis multum habitata: neque occurrebat ei terra ulla, ab eo tempore quo domo profectus est, præter banc, incolis referta. Sed à dextris semper erat terra deserta; nisi forte alicubi piscatores, aucupes & venatores pauci reperiebantur, qui etiam omnes erant Finoi, & à sinistris semper fuit oceanus.

Dixit Biarmios plurimos terram ipsorum habitare, ipsum vero oon ausum fuisse eam appellere. Terfinnorum autem regionem fuisse desertam, oisi quod aliquot venatores, piscatores, vel aucupes ibi habitarent. Biarmios dixit multum de terra sua secum collocutos, & de terris circumviciois; se autem nescire num verum dixerint, cum propriis oculis ea ipsemet non vidisset. [a] Arbitrari vero se Finoos & Biarmios eadem lingua uti.

Ipsum vero has regiones præcipue adiisse, capiendorum Hippopotamorum gratia; quorum dentibus magoi pretii ossa insunt; horum dentium aliquot Regi dooo dedit: coria etiam eorum ad funes nauticos conficiendos valde sunt commoda. Balænarum

hwæl bið micle læssa þan oðre hwalas· ne bið he lengra þonne syfan elna lange· ac on his agnum lande is se betsta hwæl huntað. þa beoð eachta ⁊ feowertiges elna lange· ⁊ þa mæstan fiftiges elna lange· þara he sæde þæt he syxa sum ofsloge syxtig on twam dagum.

He wæs swiðe spedig man on þæm æhtum þe heora speda on beoð· þ is on wildrum:· He hæfde þa gyt· ða he þone cyning sohte· tamra deora unbebohtra syx hund:· Ða deor hi hatað hranas:· þara wæron six stæl hranas· ða beoð swiðe dyre mid Finnum· for ðæm hy foð þa wildan hranas mid:· He wæs mid þæm fyrstum mannum on þæm lande· næfde he þeah ma þonne twentig hryðera· ⁊ twentig sceapa· ⁊ twentig swina· ⁊ þæt lytle þæt he erede he erede mid horsan:· Ac hyra ár is mæst on þæm gafole þe þa Finnas him gildað· þæt gafol bið on deora fellum· ⁊ on fugela feðerum· ⁊ hwales bane· ⁊ on þæm sciprapum þe beoð of hwæles hyde geworht ⁊ of seoles:·

Æghwilc [a] gylt be his gebyrdum· se byrdesta sceall gildan fiftyne mearðes fell· ⁊ fif hranes· ⁊ an beran fel· ⁊ tyn [b] ambra feðra· ⁊ berenne kyrtel oððe yterenne· ⁊ twegen sciprapas· ægþer sy syxtig elna lang· oþer sy of hwæles hyde geworht· oðer of sioles:·

He sæde þæt [c] Norðmanna land wære swyþe lang ⁊ swiðe smal:· Eal þæt his man aþer oððe ettan oððe erian mæg· þæt lið wið ða sæ· ⁊ þ is þeah on sumum stowum swiðe cludig· ⁊ licgað wilde moras wið eastan ⁊ wið upp on [d] emnlange þæm byrnum lande:· On ðæm morum eardiaþ Finnas· ⁊ þæt byne land is [f] easteweard bradost· ⁊ symle swa norðor swa smælre:· Eastewerd hit mæg bion syxtig mila brad oððe hwene brædre· ⁊ middeweard þrittig oððe bradre· ⁊ norðeweard he cwæð· þær hit smalost wære þ hit mihte beon þreora mila brad to þæm more· ⁊ se mor syðþan on sumum stowum swa brad swa man mæg on twam wucum oferferan· ⁊ on sumum stowum swa brad swa man mæg on syx dagum oferferan:·

Đonne is to emnes þæm lande suþeardum on oðre healfe þæs mores· Sweoland [h] oþ þæt land norðeweard· ⁊ to emnes þæm lande norðeweardum Cwena land:· Ða Cwenas hergiað hwilum on þa Norðmen ofer ðone mor· hwilum þa Norðmen on hy· ⁊ þær sint swiðe micle meras fersce geond þa moras· ⁊ berað þa Cwenas hyra scypu ofer land on þa meras· ⁊ þanon hergiað on þa Norþmen. hy habbað swiðe lytle scypa ⁊ swiðe leohte:·

lænarum hoc genus aliis balænis multo minus est neque enim septem ulnas facile excedit. Balænas autem optime etiam in patria sua venatu capi, quæ quadraginta octo, nonnullæ etiam quinquaginta ulnas excedunt: dixitque se sextum fuisse, qui sexaginta bidui spatio interfecerit.

Vir erat prædives earum opum, quæ illis iu locis opes æstimantur, feris scilicet. Quum ad Regem accesserat habuit cervos domitos (quos Rangiferos appellant) sexcentos, nec tamen emptos: horum etiam sex erant, qui apud Finnos admodum chari sunt, eo quod per eos cervos indomitos capiant. Inter primores illius regionis erat, nec tamen ei plures viginti bovibus, & viginti ovibus, & viginti suibus. Parum vero illud agri quod colebat, equis colebat: census autem eorum præcipuus est ex tributo, quod Finni ipsis pendunt: quod consistit in pellibus ferinis, avium plumis, Balænarum ossibus, & funibus nauticis è Balænarum & Phocarum coriis confectis.

Unusquisque reddit secundum facultates suas; ditissimus communiter reddit quindecim martium pelles, cervorum rangiferorum quinque, ursi unam, ac decem modios plumarum, cum tunica è pellibus ursinis vel lutrinis, atque duobus insuper funibus nauticis quorum uterque sit sexaginta ulnas longus; alter autem è Balenarum, è Phocarum alter corio confectus.

Norwegiæ regionem dixit admodum longam esse & angustam. Et quicquid ejus soli pecorum pasturæ vel arationi est idoneum, id omne jacet circa maris littus; quod & ipsum aliquibus in locis est valde saxosum. Et sic deinceps per cultam terram sunt montes vasti ac culturâ destituti; quos [e] hic & illic habitant *Finni*. Terra culta latissima est ad meridiem; & quo magis inde tendat in Aquilonem, eo semper magis est contracta. Ad partem meridionalem censetur sexaginta millia passuum & aliquanto amplius in latitudinem patere; circa medium triginta milliaria superat: & Aquilonem versus, inquit ille, ubi angustissima est, non videtur tria milliaria usque ad montes excedere. Montes aliquibus in locis tantæ sunt latitudinis, ut non nisi duarum hebdomadum itinere possint transcendi; in aliis non latiores, quam qui sex diebus superari possunt.

Ex adverso huic regioni ad Austrum, ex altera parte montium, sita est *Suecia*; & ex adverso regioni ad septentrionem *Quenlandia*. Queni nunc in *Normannos* transmontanos rapinam exercent; nunc vicissim *Normanni* in illos. Sunt quoque inter montes lacus quidam ingentes, salsedinis expertes; in quos, lembos, quos habent exiguos ac leves, [i] *humeris impositos* terra transportant *Queni*: atque hac ratione despoliant *Normannos*.

a Gylt be, &c. i. e. *pendit pro ratione natalium suorum; nobilissimus tenetur pendere.*
b Ambra, i. e. *cados vel bathos.*
c Northmanna, i. e. *Normannorum*
d On Emnlange, *adverbialiter, æquali longitudine cum.*
e *Desunt in Saxonico.*
f Eastweard, i. e. *Orientem versus: ita etiam in proxima periodo.*
g *Ad verbum*: æqualiter cum regione *& sic rursus in clausula proxime sequente.*
h *Sax. usque ad regionem illam Septentrionem versus.*
i *Desunt in Saxonico.*

Oþere

Ohthere sæde ꝥ sio scir hatte [q] Halgoland þe he on bude. He cwæð ꝥ nan man ne bude be norðan him. Þonne is an port on suðeweardum þæm lande þonne man hæt [r] Sciringes heal. þyder he cwæð ꝥ man ne mihte geseglian on anum monðe gyf man on niht wicode ⁊ ælce dæge hæfde ambyrne wind ⁊ ealle þa hwile he sceall seglian be lande. ⁊ on þæt steorbord him bið ærest Ira land ⁊ þonne þa igland þe synd betwux Ira lande ⁊ þissum lande. Þonne is þis land oð he cymð to Sciringes heale ⁊ ealne weg on þæt bæcbord norðwæge by suðan þone Sciringes heal fylð swið mycel sæ up in on þæt land seo is bradre þonne ænig man ofer seon mæge ⁊ is Gotland on oðre healfe ongean ⁊ siððan Sillende. Seo sæ lið mænig hund mila up in on þæt land.

And of Sciringes heale he cwæþ ꝥ he seglode on fif dagan to þæm porte þe mon hæt æ Hæðum se stent betwuh *Winedum* ⁊ Seaxum ⁊ Angle ⁊ hyrð in on Dene. Ða he þiderweard seglode fram Sciringes heale þa wæs him on æt bæcbord Denamearc ⁊ on ꝥ steorbord wid sæ þry dagas. And þa twegen dagas ær he to Hæþum come him wæs on þæt steorbord Gotland ⁊ Sillende ⁊ iglanda fela. On þæm landum eardodon Engle ær hi hider on land comon ⁊ him wæs þa twegen dagas on þæt bæcbord þa igland þe in Denemearc hyrað.

Wulfstan sæde ꝥ he gefore of [a] Hæðum þæt he wære on Truso on syfan dagum ⁊ nihtum þæt þæt scip wæs ealne weg yrnende under segle. *Weonodland* him wæs on steorbord ⁊ on bæcbord him wæs Langaland ⁊ Læland ⁊ Falster ⁊ Sconeg ⁊ þas land eall hyrað to Denemearcan ⁊ þonne Burgenda land wæs us on bæcbord ⁊ þa habbaþ him sylf cyning.

Þonne æfter Burgenda lande wæron us þas land þa synde hatene ærest Blecinga eg ⁊ Meore ⁊ Eowland ⁊ Gotland on bæcbord ⁊ þas lande hyrað to Sweon.

And *Weonod* lande wæs us ealne weg on steorbord oð *Wisle* muðan.

Seo *Wisle* is swiðe mycel ea ⁊ hio tolið *Witland* ⁊ *Weonodland* ⁊ þæt *Witland* belimpeð to Estum ⁊ seo *Wisle* lið ut of *Weonodland* ⁊ lið in Estmere ⁊ se Estmere is huru fiftene mila brad.

Þonne cymeð Ilfing eastan in Estmere of þammere þe Truso standeþ in staðe ⁊ cumað at samod in Estmere Ilfing eastan of Eastlande ⁊ wisle suðan of *Winodlande* ⁊ þonne benimð wisle Ilfing hire naman ⁊ ligeð of þæm mere west ⁊ norð on sæ for ðy hit man hæt *Wislamuð*.

[k] *Ohtherus* dixit provinciam, quam incolit ille, dici *Halgolandiam*: aliumque neminem, affirmante eodem, ulterius ad plagam Septentrionalem habitare. Ad austrum à regione illa portus est quidam, cui nomen *Sciringes-heal*; quo, inquit ille, non potest quis navigio trajicere uno mense, si noctu cursum sistens, quotidie vento utatur secundissimo. Sic autem naviganti per littus occurrit à dextra primum [l] *Jutlandia*, deinde Insulæ illæ, quæ *Jutlandiæ* interjacent & huic regioni: [m] atque ita juxta littus hujus regionis pergenti, donec appulsum fuerit ad *Sciringes heal*, est à sinistra isthæc regio. Prope *Sciringes-heal* in regionem illam penetrat ingens fretum, quod latius est, quam ut littus ejus ulterius uno prospectu possit discerni: huic è regione objacet ex altera parte *Gotlandia*, ac deinde *Sillandia*. Hoc freto ad centena aliquot milliaria alluitur regio illa interior.

Dixit insuper se à *Sciringes-heal* quinq; dierum navigatione appulisse ad portum, quem vocant *Hathe*; qui positus est inter *Vandalos*, *Saxones* & *Anglos*, quorum imperio est subjectus. Inter illuc navigandum à *Sciringes-heal* fuit illi à [n] dextra Danemarchia, à [o] sinistra per cursum triduanum Oceanus: & biduum antequam ad *Hathe* pervenisset, [p] sinistorsum habuit *Gotlandiam*, *Sillandiam*, & Insulas non paucas. Hanc regionem incoluerunt *Angli* priusquam huc [in Britanniam] venerunt, & eodem biduo erant illi à læva manu Insulæ illæ, quæ ad *Danicam* spectant ditionem.

Wulfstanus dixit, se discessisse Hætho [Slefwico] & spatio quinque dierum & noctium Trusum appulisse, navigio interim semper velificante: & à dextria sibi semper fuisse Wandaliam, & à sinistra Langlandiam, Sælandiam, Falsteram, & Seoniam. Omnes autem hæ regiones ad Danemarchiam pertinent: ulterius etiam naviganti à sinistris est [b] Burgenda-landia, quæ Regem habet proprium.

Post Burgenda-landiam avicinavimus ad terram dictam Blecingam: & ad Meoram & Eoulandiam, & Gotlandiam à sinistria: & hæc terra ad Suiones pertinet.

Et Weonadland (Wandalia) semper erat nobis à dextris usque ad Wisle (Vistulæ) ostium.

Wisle autem est flumen permagnum, juxtaque ipsum jacent Witland & Weonadland. Witland vero pertinet ad Estos. *Wisla* autem descendit ex *Weonodlandia*, descenditque in *Estmeriam* (sive lacum *Estorum*) quæ quidem *Estmeria* lata est ad minus quindecim milliaria.

Deinde venit *Ilfinga* ab oriente in *Estmeriam*, (sive lacum *Estorum*) ad cujus lacus ripam ponitur *Truso*: & simul influunt in *Estmeriam*; *Ilfinga* orientaliter ab Eastlandia. Et *Wisla* australiter à *Weonodlandia*. Tunc autem *Wisla* nomen adimit ab *Ilfinga*, descenditque à lacu Occidentem & Septentrionem versus in mare: ideoque appellatur *Ostium Wislæ*.

k Ohtherus *Dani forte scribunt Hotherus.*

l *Sax. utrobique Iraland. Sed videtur Jutland debere legi.*

m *Ad verbum. Tum est regio hæc donec ad* Sciringes-heal *ventum fuerit, & continuè ad sinistram, Norwegia (vel ad septentrionem) per austrum à* Scirengea-heal: *quæ intelligi non possunt.*

n o p *Hæc contra rem ipsam in Saxonico poni videntur: nam* bæcbord *est sinistra* o p steorbord *est dextra.*

q *Halgolandia in gradu 66 lat. Hack.*

r *Scyros eosdem fuisse putat Cluverius, quos Prussios appellamus; & tunc* Scyringes-heal *sive Scyrorum angulus Gedanum fuisse probabile est.*

a *Videtur esse oppidum quod Æthelwardus Haithabi dictum putat, hodie Slefwic.*

b *Quærendum annon hinc Burgundi.*

Þæt Eastland is sƿiðe mẏcel· ⁊ þær bið sƿiðe manig burh· ⁊ on ælcere byrig bið cyninge· ⁊ þær bið sƿyðe micel hunig ⁊ fiscað· ⁊ se cyning ⁊ þa ricostan men drincað myran meolc· ⁊ þa unspedigan ⁊ þa þeoƿan drincað medo:· Þer bið sƿiðe mycel geƿinn betƿeonan him· ⁊ ne bið þær nænig ealo gebroƿen mid Estum· ac þær bið medo genoh:· And þær is mid Estum ðeaƿ· þonne þær bið man dead· þæt he lið inne unforbærned mid his magum ⁊ freondum monað· gehƿilum tƿegen· ⁊ þa Cyningas ⁊ ða oðre heah ðungene men· sƿa micel lengc sƿa hi maran speda habbað· hƿilum healf gear· ꝥ hi beoð unforbærned· ⁊ licgað bufan eorðan· on hyra husum· ⁊ ealle þa hƿile þe þæt lic bið inne· þær sceal beon gedrync ⁊ plega oð þone dæg þe hi hine forbærneð:· Þonne þy ylcan dæg hi hine to þæm ade beran ƿillað· þonne todælað hi his feoh þæt þær to lafe bið æfter þæm gedrynce ⁊ þæm plegan· on fif oððe syx hƿilum on ma· sƿa sƿa þæs feos andefn bið:· Alecgað hit þonne for hƿæga on anre mile· þone mæstan dæle fram þæm tune· þonne oðerne· ðonne þæne þriddan· oþ þe hyt eal aled bið on þære anre mile· ⁊ sceall beon se læsta dæl nyhst þæm tune þe se deada man on lið:· Ðonne sceolon beon gesamnode ealle þa menn þe sƿyftoste hors habbað on þæm lande· for hƿæga on fif milum oððe on syx milum fram þæm feo:· Ðonne ærnað hy ealle toƿeard þæm feo· þonne cymeð se man se þæt sƿifte hors hafað to þæm ærestan dæle ⁊ to þæm mæstan· ⁊ sƿa elc æfter oðrum· oþ hit bið eall genumen· ⁊ se nimð þone læstan dal se nihst þæm tune þæt feoh geærneð· ⁊ þonne rideð ælc his ƿeges mid þa feo· ⁊ hyt motan habban eall· ⁊ forþy ðær beoð þa sƿiftan hors ungefoge dyre:· And þonne his gestreon beoð þus eall aspended· þonne byrð man hine ut· ⁊ forbærneð mid his ƿæpnum ⁊ hrægle· ⁊ sƿiðost ealle his speda hy forspendað mid þan langan legere þæs deadan mannes inne· ⁊ þæs þe hy be þæm ƿegum alecgað· þe þa fremdan to ærnað ⁊ nimað:· And þæt is mid Estum þeaƿ· þæt þær sceal ælces geðeodes man beon forbærned· ⁊ gyf þar man an ban findeþ unforbærned· hi hit sceolan miclum gebetan:· And þær is mid Eastum an mægð· þæt hi magon cyle geƿyrcan· ⁊ þy þær licgað þa deadan men sƿa lange· ⁊ ne fuliað· ꝥ hy ƿyrcað þone cyle hine on· ⁊ þeah man asette tƿegen fætels full ealað oððe ƿæteres· hy gedoð· ꝥ oþer bið oferfroren· sam hit sy summor sam ƿinter·

Terra Orientalis illa est admodum ampla; ibique plurima sunt oppida, atque in unoquoque oppido Rex est; ibi etiam est magna mellis & piscium copia. Rex insuper & viri opulentissimi lac equinum bibunt; pauperes autem & servi aquam mulsam: multum vini est etiam intereos: nulla autem cerevisia in Esto brasiatur, medonis (hydromelis) vero satis habetur.

Orientalibus etiam mos est, ut quando quis obierit, intus [domi] jaceat non crematus, inter cognatos & amicos per mensem: quandoque per duos. Reges etiam, & alii illustres viri, eo diutius quo plures habuerint facultates: quandoque [scil.] per dimidium annum non cremantur: jacent autem super terram in domibus suis. Et quamdiu cadaver intus fuerit, habendæ sunt compotationes & ludi usque in cremationis diem. Die vero quo [*defunctum*] ad rogum exportant, bona ejus dividunt, quantum post compotationes & ludos ejusmodi supererit, in quinque, sive sex, quandoque in plures [*partes*,] sicut bonorum fuerit proportio [*vel*, pro modo facultatum.] Deinceps deponunt maximam eorum partem uno saltem à [*defuncti*] villa milliari; tunc alteram partem; deinde tertiam: donec totum intra illud milliaris spatium fuerit collocatum. Minima autem ipsorum pars erit villæ proxima, ubi mortuus homo situs fuerit. Exinde congregantur omnes (equos habentes velocissimos) per regionem illam: saltem per quinque aut sex à bonis illis milliaria [*degentes*.] Tunc omnes currunt bona versus: pervenit autem equum qui habuerit velocissimum ad primam & præcipuam partem: & sic singuli quique, alter post alterum, donec totum fuerit ablatum. Ipse autem minimam aufert partem qui ad portionem villæ proximam currendo pervenerit. Posthac unusquisque cum sua bonorum parte abequitat, eamque sibi vendicat in solidum. Hinc fit, ut equi veloces sint ibi mire chari. Quando vero omnia ejus bona consumta fuerint, tunc [*mortuum*] exportant, & comburunt cum armis & vestibus. Et plerunque omnes ipsius opes insumuntur diutina mortui hominis intus reservatione. Quod autem per viam collocatur, extranei illi adequitant & asportant. Apud Orientales etiam mos est, ut unusquisque regionis incola crematur. Et si quando vel ossium unum non combustum compertum fuerit, id graviter vindicent. Orientales etiam quandam habent frigoris efficiendi facultatem: atque hinc fit, quod ibi mortui homines tamdiu maneant incorrupti: à *frigore* [*scilicet*] in eos inducto. Et si quis ponat duo vascula cerevisiæ vel aquæ, efficere possunt, ut utrumque glacietur, sive sit æstas sive hyems.



Series

APPENDIX VII.

Series familiæ & posterorum Regis Ælfredi, usque ad Serenissimum nostrum Regem Carolum II.

Stemma Primum.

§. I. ÆLFREDUS uxorem duxit *Alswitham* fœminam Sanctam & Venerabilem, filiam *Æthelredi* **muchil** sive Magni, Comitis Gainorum, & *Eadburgæ*, e stirpe regia Merciorum. E qua tulit

1. *Æthelfledam Æthelredo* Comiti Merciorum nuptam, filiam habuerunt *Alwinam*.
2. *Æthelweardum* literarum scientia clarissimum, qui cœlebs obiit.
3. *Æthelgeofvam* Abbatissam Shaftsburiæ.
4. *Ælsthritham Baldwino* calvo Flandrorum Comiti nuptam: filios habuerunt Athulfum & Arnoldum *Senem* dictum, filias vero Elswitham & Ermentrudem. Arnoldi filius erat *Baldvinus Juvenis*. Baldvini *Arnulphus*. Arnulphi *Baldwinus barbatus*. Baldwini *Baldwinus pius*: hujus filia erat *Matildis* Guilielmi Victoris uxor.

    Guilielmus Victor liberos habuit *Robertum Courthose*, *Gulielmum Rufum*, *Richardum*, *Cæciliam* Abbatissam Cadomensem (omnes sine prole defunctos) &

    Henricum Beauclerc, quem *Henricum Primum* nominamus; qui uxorem duxit *Matildem* Malcolmi tertii Canmoir dicti Regis Scotorum filiam. E qua liberos tulit Guilielmum & Richardum, ambos in mari submersos in inventute, & *Matildem* primo nuptam Henrico Imperatori, denuo *Geofrido Plantagenetæ*, ex quo filium suscepit *Henricum Secundum*.
5. *Edwardum Seniorem*.

§. II. *Eduuardus Senior* tres duxit uxores.

1. *Eguuinam* Berkeri filiam, quam matrimonio minus solenni sibi adjunctam quidam ejus concubinam fuisse dicunt: ex ea tulit liberos, sed omnes sine prole defunctos,
    1. *Æthelstanum* nobilem illum Regem.
    2. *Ælfredum* ante Patrem defunctum.
    3. *Editham* (quam aliqui *Beatricem* vocant) *Sythrico* Regi Northumbrorum nuptam.
2. *Ælfredam* Ethelelmi Comitis filiam, quæ ipsi peperit
    1. *Elsuardum* Principem eruditissimum, Oxoniæ, ut videtur, educatum & mortuum, anno 924.
    2. *Edwinum* mari submersum.
    3. *Elfledam* vitam monasticam Ramseiæ (ubi & Abbatissa postea facta est) ingressam.
    4. *Eguuinam* Carolo Smplici Francorum Regi nuptam.
    5. *Ethelhildam* in Wiltonensi cœnobio Monacham.
    6. *Eadhildam* Hugoni Magno Parisiorum Comiti, Hugonis Capeti Patri, nuptam.
    7. *Edgitham* Othonis Magni Imperatoris uxorem! liberos habuit Ludolphum Sueviæ Ducem, Guilielmum Moguntiæ Archiepiscopum, Luidgardim Duci Lotharingiæ nuptam, & *Methildem* Abbatissam illam Magnam Quintelineburgi (Quedlinburg) cui Quæstor Ethelweardus historiam suam nuncupat; ut & Witichindus, ni fallor, suam
    8. *Elgivam* cuidam Duci Italo nuptam.

adgi-

3. *Eadgivam* filiam Comitis Sighelmi: quæ ipsi peperit
   1. *Edredum*, Regem strenuum, magnanimum & pium, qui liberos habuisse dicitur Bertfridum & Elfredum: de quibus nihil amplius scriptum reperimus.
   2. *Eadburgam* Wintoniensi cœnobio Monacham.
   3. *Eadgivam* Ludovico Aquitanico nuptam.
   4. *Edmundum*.

§. III. *Edmundus* uxorem duxit Elfginam, unde tulit
   1. *Edwyum*, cui nupta *Elfgiva* libros non peperit.
   2. *Edgarum*.

§. IV. *Edgarus*, uxores duxit
   1. *Ethelfledam Candidam* Ordmari filiam: ex qua habuit
      1. *Edwardum Martyrem* dictum a noverca trucidatum.
   2. *Elfridam* (Elfthrytham) Ordgari filiam, ex qua tulit
      1. *Edmundum* in pueritia mortuum.
      Edgitham filiam Wiltunensi cœnobio Monacham.
      Wulfritham etiam ejus filiam dictam reperio, Religiosam, & pro Sancta habitam.
      2. *Ethelredum*.

§. V. *Ethelredus* duas habuit uxores,
   1. *Elgivam* Thoredi Ducis filiam: liberos tulerunt
      1. *Æthelstanum*.
      2. *Egbertum*, Utrumque sine liberis mortuum.
      3. ÆDMUNDUM. v. §. VI.
      4. *Edredum*. De quo nihil constat.
      5. *Edwyum* a Canuto Dano insidiose trucidatum.
      6. *Edgarum*.
      7. *Filiam* Æthelstano Comiti nuptam
      8. *Edgitham* Edrico Streano Merciorum Duci proditori nequissimo nuptam.
      9. *Elfginam* uxorem *Vghtredi* Audacis dicti, Comitis Northumbrorum. Filiam habuerunt Aldgitham nuptam Maldredo Crinanis filio. Aldgithæ filius erat Cospatric, qui metu Gulielmi Regis in Scotiam fugiens Comitum Dunbarræ & Marciæ stirpis initium dedit.
      10. *Godam* nuptam Waltero de Maigne Normanno, quorum filius Rodulfus. Comes Herefordensis factus, cujus filius Heraldus Baro de Sudeley creatus est.
   2. *Emmam* Richardi II. Normannorum Ducis filiam. Filios tulit
      1. *Edwardum* dictam *Confessorem*.
      2. *Elfredum* insidiis Haraldi & Godwini occisum.

§. VI. Edmundus ferreum-latus dictus uxorem habuit
   1. *Algitham* Sigeferthi Northumbrensis, Oxoniæ insidiis Edrici interfecti, viduam: liberos habuit
      1. *Edwardum* Exulem sive Exlegem dictum: qui uxorem duxit Agatham filiam Henrici IV. Imperatoris; liberos habuit
         1. *Edgarum* Atheling sive nobilem.
         2. *Edmundum*.
         3. *Alfthrytham*.
         4. *Christianam*. Omnes sine prole mortuos.
         5. MARGARETAM. §. VII.
      2. *Edwinum*, quem aliqui *Edmundum* vocant,

§. VII. MARGARETA Sancta dicta nupsit Malcolmo III. Scotorum Regi Canmoir (Macrocephalos) dicto. E quo permultos tulit liberos
   1. *Edvardum* paucis diebus ante Patrem in prælio occisum
   2. *Ethelredum* prima pubertate mortuum.

3. *Edmun-*

3. *Edmundum* qui vitam religiosam amplectebatur.
4. *Edgarum* Regem Scotiæ.
5. *Alexandrum* primum, Virginem dictum, Regem itidem Scotiæ.
6. *Mariam* nuptam Eustachio Comiti Boloniæ, & Gothofredi Hierosolymorum Regis fratri, cui filiam peperit Stephano Angliæ regi nuptam.
7. *Matildem*, bonam dictam, Henrico Beauclerc, quem primum nuncupamus, nuptam.
8. *Davidem*.

§. 8. David I. uxorem duxit
1. Matildem filiam & hæredem Voldiosi Comitis Huntingtoniæ & Northumbriæ. Filium tulit
1. *Henricum*, Qui, licet vivo Patre moreretur, ex Adama Comitis Warenniæ filia uxore sua, liberos tulit
1. *Malcolmum* IV. Virginem dictum, sine prole & uxore mortuum.
2. *Adamam, Margaretam*, & *Matildem* filias.
5. *Guilielmum* Regem, qui Leo dictus est. Uxorem habuit Ermengardam Comitis Beaumontis filiam, Neptem Guil. Conquestoris. E qua tulit *Joannam* Nobili cuidam Anglo, & *Isabellam* Comiti Norfolciæ, & *Margaretam* summo Angliæ Justitiario collocatas. Et
Alexandrum II. qui, mortua sine prole uxore *Joanna*, duxit *Mariam* filiam Comitis Ingeliani, e qua unicam sobolem tulit
Alexandrum III. qui e Margareta filia Henrici III. Anglorum Regis tulit;
1. *Alexandrum*.
2. *Davidem*.
3. *Margaretam* magno Norvegiæ Regi nuptam, e quo tulit *Margaretam*, qui sine sobole mortui sunt; adeo ut ad hæreditatem & Regnum vocatus est *Johannes Balliolus* e familia Davidis Comitis Huntingdoniæ.
6. *Davidem* Comitem Huntingdoniæ.

§. IX. *David* Huntingtoniæ Comes duas habuit filias,
1. *Margaretam*, Alano Gallovidiano nuptam, habuit filiam
1. *Dervogillam* Joanni Baliolo nuptam, Northmanno, & Comiti de Harcourt, Dampvill & Horne. Filium habuerunt
Joannem Baliolum Scotiæ regem ab Edwardo primo factum: qui filium habuit
Edwardum Baliolum sine prole mortuum.
2. *Isabellam*, Rob. Bruseo cognomento nobili, Anglo genere, Carictæ Comiti nuptam, qui filium habuerunt
Robertum Bruseum. Is autem
1. *Robertum Bruseum* Scotiæ Regem.
2. *Davidem Bruseum*. 3. *Nigellum*. 4. *Thomam*. 5. *Alexandrum*. Hi tres in Anglia capite mulctabantur.

§. X. Robertus Bruseus Scotiæ Rex habuit uxores
1. Sororem Comitis Hullenstein, quæ ei peperit
1. *Davidem* II. Regem Scotiæ, qui è Joanna, Eduardi Regis Angliæ filia liberos non tulit. Sicut nec a Margareta Joannis Logy filia, quam alteram duxit uxorem.
2. *Margaretam*.
3. *Matildem*.
2. Sororem Comitis Marrensis Elizabetham (ni fallor) nominatam; ei peperit
Marjoriam Waltero Stuarto nuptam: qui ex ea tulit
1. Robertum Stuartum II. Regem Scotiæ

§. XI. Robertus Stuartus (dictus Robertus secundus) Rex Scotiæ primus e Stuartorum familia, qui Regnum Scotiæ obtinuit, uxorem habuit
1. *Euphemiam* Comitis Rossensis filiam; quæ ei peperit
1. *Davidem* Comitem Ernevallis (Strathernæ.)
2. *Gualterum* Comitem Atholii, qui duos habuit liberos Robertum, & M. Filiam.

3. *Eli-*

3. *Elizabetham.*
4. M. Filiam, quæ & aliam M. filiam peperit.
2. *Elizabetham* Concubinam filiam Adami Mnre, quæ ei tulit
1. *Eufemiam* Joanni Leoni nuptam.
2. *Margaretam*, (ut videtur) Joanni Dnnbarro nuptam,quæ peperit M. filiam.
3. Filiam etiam Alexandro Comiti Roſſenſi nuptam, quæ Eufemiam in juventute mortuam ſolam peperit.
4. *Robertum* Albaniæ Ducem, qui filium habuit
Mordoeum, & hic filios
1. *Gualterum.*
2. Alexandrum.
3. *Jacobum.*
5. Alexandrum, cujus filius
Duncanus.
6. *Johannem* Regem Scotiæ, quem infælix Anglis & Gallis nomen mutare coegerunt nobiles, eumque Robertum tertium vocari voluerunt.

§. XII. *Robertus* III. Rex Scotiæ ex Anabella uxore liberos tulit
1. *Davidem*, qui Marjoriam filiam Archibaldi Douglaſſi duxit, vitiis omnibus contaminatus in carcere moritur.
2. *Filiam* nuptam Comiti Anguſio
3. *Donaldum*
4. *Jacobum* I. Scotiæ Regem.

§. XIII. Jacobus Primus, Rex Scotorum uxorem duxit Joannam Beanfort, filiam Joannis Beaufort Comitis Somerſetenſis, filii Joannis de Gaunt; ex qua tulit
1. *Margaretam* Ludovico, Franciæ Delphino nuptam.
2. *Leonoram* Sigiſmundi Ducis Auſtriæ uxorem.
3. Filiam Comiti Veræ Zelando datam
4. Filiam Britanniæ Duci. alias
5. Comiti Huntlæo &
6. Comiti Mortonio nuptas,
7. *Alexandrum* in pueritia mortuum.
8. *Jacobum* Regem Scotiæ.

§. XIV. Jacobus Secundus Rex Scotiæ, uxorem duxit Mariam Ducis Geldriæ filiam, e qua ſuſcepit
1. Filiam
2. Filiam alteram nuptam Jacobo Hamiltonio Comiti Araniæ; quibus nati ſunt
1. Filia una nupta Stuart Comiti Lenoxiæ: qui genuerunt
Matthæum Comitem Lenoxiæ: cui nati ſunt
1. Filia nupta Baroni Tulibarno.
2. Filia nupta Comiti Atholiæ.
3. Joannes Dux d'Aubigny
4. Matthæus Comes Lenoxius, qui filios habnit
1. Henricum D. d'Darley, qui Reginam Mariam duxit.
2. Carolum.
2. Jacobus Comes Araniæ, qui filinm habuit
Jacobum Araniæ Comitem, Ducem Caſtelli- Herauld, qui liberos habuit
1. *Jacobum*
2. *Johannem*
3. *Claudium*, cui etiam filius natus erat.
4. *Barbaram* Jacobo D. Flemingo nuptam, & matrem Joannæ Fleming.
5. *Agnetem* Comiti Huntlæo nuptam, quibus nati ſunt
1. *Georgius* Comes Huntlæus
2. *Alexander*
3. *Alius* filius
4. Filiæ duæ.
6. *Davidem*. & 7 *Joannam* nuptam Comiti de Montegomerio
3. *Johannem* Comitem Marriæ.

4. *Alexander*

4. *Alexander* Dux Albaniæ, qui duos habuit filios è filia Comitis Orchadum
   1. Alexandrum Moraviæ Episcopum,
   2. Joannem Albaniæ Ducem.
5. *Jacobum III.*

§. XV. *Jacobus III.* Rex Scotiæ duxit Margaretam Christierni primi Regis Daniæ filiam; quæ ipsi peperit
1. Filium
2. Filiam
3. *Jacobum IV.*

§. XVI. *Jacobus IV.* Scotiæ Rex, duxit Margaretam Henrici VII Regis Angliæ Filiam. E qua tulit
1. Arthurum
2. Alexandrum
3. Jacobum V.

Margareta vero post obitum Regis Jacobi IV, maritum sumsit Archibaldum Douglas Comitem Angusiæ; quibus nata est
   1. Margareta Douglassia nupta Matthæo Stuart Comiti Lenoxiæ, quæ ei peperit
      1. Henricum Stuart Comitem Lenoxiæ, qui genuit maritum *Mariæ Scotorum Reginæ.*
      2. Carolum, qui filium genuit . . .

§. XVII. Jacobus V. uxorem duxit Magdalenam, Francisci I. Francorum Regis filiam; & liberos habuit
1. *Jacobum*
2. *Arthurum*
3. *Mariam* Reginam & hæc
   1. Jacobum VI. Magnæ Britanniæ Regem.

§. XVIII. Jacobus VI. Scotiæ, Britanniæ vero totius Rex Primus, ex Anna Regis Danorum filia tulit
1. Henricum ante nuptias in juventute mortuum.
2. Carolum I.

§. XIX. Carolus I. ex unica uxore Henrietta Maria, Henrici IV. Franciæ Regis filia tulit

§. XX. CAROLUM SECUNDUM quem Deus diu nobis conservet.

Stemma Secundum

Regis nostri Serenissimi; per Reges Angliæ initium sumens ab Henrico Primo, *&* Matilde Bona, *Sanctæ* Margaretæ *filia: quibus in priori schemate ab* Ælfredo *series deducta est.*

§. I. HENRICUS Primus & MATILDIS bona liberos habuerunt, Guilielmum & Richardum in juventute submersos, & *Matildem* primo Henrico IV. Imperatori nuptam, è quo nullam sobolem reliquit: deinde vero *Geofrido Plantageneta* Comiti Andegavensi, Apr. 3. 1127. eique peperit

1. Henricum II.
2. *Geofridum* Comitem Nannetensem in Britannia Armorica.
3. *Gulielmum* Comitem Pictaviensem.

§. II. Henricus II. uxorem habuit Elianoram Guilielmi Ducis Aquitaniæ hæredem, liberos autem

1. *Guilielmum* anno 1156. quinquennem mortuum.
2. *Henricum*, qui ex uxore Margareta Ludovici Francorum Regis filia liberos nullos fortitus ante Patrem mortuus est
3. Richardum I. Cuorde-Lyon dictum, Oxoniæ natum anno 1157. primo *Aliciæ* Ludovici VII Francorum Regis filiæ desponsatum; Postea vero Berengariam uxorem sortitum, sine prole legitima mortuam.
4. *Geofridum*, qui Constantiam Conani Britanniæ Ducis filiam & hæredem duxit, è qua tulit
   1. *Arthurum* Ducem Britanniæ, & Patrui sui Ric. I. hæredem legitimum, à Rege vero Johanne, ut dicitur, interfectum.
   2. *Elianoram*, quæ in carcere obiit anno tertio Regni Regis Henrici III.
5. *Philippum*, in infantia, ut videtur, mortuum.
6. *Johannem* Regem Angliæ: qui ex *Alicia* & *Isabella* (quam *Hawisiam* aliqui vocant) liberos nullos habuit: ex alia vero *Isabella* Hærede Ailmeri Comitis Engolismensis tulit
   1. Henricum III. anno 1208 natum.
   2. *Richardum*, Regem Romanorum & Imperatorem in terra Sancta creatum, Maii 27. 1257. uxores habuit
      1. *Isabellam* Gulielmi Marshalli Comitis Pembrochiæ filiam, è qua liberos habuit
         1. *Henricum* Viterbii occisum.
         2. *Johannem* sine prole etiam mortuum.
      2. *Santiam* Raimondi Comitis Provinciæ filiam, quæ ei peperit *Edmondum* Cornubiæ Comitem & alios
   3. *Beatricem* sine prole mortuam.
   3. *Joannam* Alexandri II. Scotorum Regis uxorem.
   4. *Eleanoram* Guilielmo Mareshallo juniori, postea vero Simoni Montfortio Comiti Leicestrensi nuptam, quæ ipsi plures filios peperit, sed qui in Francia plerique mortui sunt.
   5. *Isabellam* Frederico II. Imperatori nuptam, liberos habuerunt Henricum & Margaretam.

§. 3. Henricus III. ex uxore Eleanora Raymondi Provinciæ Comitis filia tulit

1. Edwardum I. anno 1239.
2. *Edmundum* Crouch-back dictum, i. e. vel Gibbosum, vel Cruce in tergo signatum (Regem Siciliæ & Apuliæ dictum) Comitem Lancastriæ, Leicestriæ, & Derbeiæ; duas habuit uxores Avelin Comitis Albemarliæ filiam, sine

fine prole mortuam; & Reginam *Balniam*, Roberti Comitis Artefiæ filiam, quæ tulit

1. *Thomam* Lancaftriæ Comitem fine fobole mortuum.
2. *Henricum* Monumethenfem, patrem
   Henrici primi Ducis Lancaftriæ.
3. *Johannem* fine prole mortuum
4. *Mariam* Henrico Perceio nuptam, quæ ei peperit
   Henricum Perceium primum Comitem Northumbriæ.

3. *Richardum*. 4. *Johannem*. 5. *Guilielmum*. 6. *Henricum*: omnes fine prole mortuos.

7. *Margaretam* Alexandro III. Scotorum Regi nuptam,
8. *Beatricem*, Johanni primo Britanniæ Duci nuptam, liberos habuit
   1. *Arthurum* Ducem Britanniæ,
   2. *Johannem* Comitem Richmondiæ.
   3. *Petrum*;
   4. *Blanciam* Roberti Comitis Artefiæ uxorem.
   5. *Eleanoram* Monacham, & 6. *Mariam* Guidoni Comiti de St. Paul nuptam.
   7. *Katharinam* in infantia mortuam.

§. IV. Edwardus I. *Longæ-tibiæ* dictus uxores duxit

1. *Eleonoram* Ferdinando III. Regis Caftiliæ filiam, anno 1254. liberos vero habuit
   1. *Johannem*. 2. *Henricum*. 3. *Alphonfum* omnes in pueritia mortuos.
   4. Edvvardum II. dictum de Caernarvon, quia ibi natum, anno 1284. primum Walliæ principem a Patre creatum.
   5. *Eleonoram* Henrico tertio Comiti Barriæ nuptam; è quibus natus eft Edwardus Comes Barriæ, unde etiam exierunt plures Comites & Duces illius Regionis. *Henricus* Epifcopus Trecenfis; *Helena* Comiti Blefenfi nupta: & *Joanna* Johanni Warrenio Surreiæ Comiti nupta.
   6. *Joanna* dicta Aconenfis, quia ibi nata, nupfit Roberto Clare Ruffo dicto Glocestriæ Comiti: cui peperit
      1. *Gilbertum* in Scotia interfectum improlem.
      2. *Eleanoram* Hugoni Spenfer primum, deinde Guilielmo Zouch nuptam.
      3. *Margaretam* Petro Gavefton, poftea vero Hugoni Audley Glocestriæ Comiti nuptam.
      4. *Elizabetham* nuptam 1° Johanni filio & hæredi Richardi de Burgh Ultoniæ Comiti, iterum Theobaldo Domino Verdon: denique vero Rogero Damary.

   Poftea etiam nupfit Domino Radulpho Monthermere, unde Montacutiorum familia orta eft
   7. *Margareta* Duci Brabantiæ nupta
   8. *Berengaria* 9. *Alicia*. Memorantur tantum a quibufdam Hiftoricis.
   10. *Maria* in Cœnobio Ambresburienfi religiofa.
   11. *Elizabetha* nupta primum Johanni Comiti Hollandiæ, poftea vero Humfredo Bohun Herefordienfi Comiti; mater Johannis, Humfredi, & Edwardi, fine prole mortuorum; & Guilielmi patris Humfredi illius familiæ ultimi; Eleanoræ etiam Jacobo Ormoniæ Comiti, & Margaretæ Hugoni Courtney Devoniæ Comiti nuptarum.
   12. *Beatrix*. & 13. *Blancia* de quibus filent fere noftri Hiftorici
2. *Margaretam* filiam Philippi Audacis regis Franciæ, quæ ei peperit
   1. *Thomam* de Brotherton dictum, Comitem Norfolcienfem, & Angliæ Marefhallum, bis maritum, & numerofa prole auctum.
   2. *Edmundum* Woodftochiæ natum Cantiæ Comitem, qui Margaretam Domini Wakes de Lydel filiam duxit.
   3. *Eleanoram* in pueritia mortuam.

§. V. Edvvardus II. Ifabellæ Philippi Pulchri Francorum Regis filiæ maritus, ex ea tulit

1. Edvvardum III.
2. *Johannem* de Eltham nominatum, fine prole vel nuptiis mortuum

3. *Johannam* Davidi II. Scotorum Regi nuptam, fine fobole mortuam.
4. *Eleonoram* Reginaldi II. Geldriæ Comitis uxorem.

§. VI. Edvvardus III. duxit Philippam Guilielmi Hanoviæ Comitis filiam, an. 1327. prolem habuit
1. *Edwardum*, qui princeps niger dictus Johannam duxit Edmundi Comitis Cantiani filiam, ex qua tulit
1. *Edwardum* in pueritia mortuum.
2. *Richardum* Regem Angliæ fecundum dictum, fine prole mortuum.
2. *Wilhelmum* in pueritia mortuum.
3. *Lionellum*, qui uxores duxit
1. *Elizabetham* Guilielmi ultimi Comitis Ultoniæ filiam & hæredem ; ficut & hæredem Gilberti de Clare, unde factus eft ipfe Dux Clarencius, filiam unicam tulit Philippam Edmundo Mortimer Marciæ Comiti nuptam, Matrem Rogeri Comitis; qui Annam Cantabrigiæ Comitiffam, & Richardi Ducis Eboracenfis (Edwardi IV. Patris) matrem.
2. Violantam Galeazzi Mediolani Ducis filiam
4. *Johannem* de Gandavo (of Gaunt) dictum : qui uxores habuit
1. *Blanciam* filiam Henrici Ducis Lancaftriæ (filii Edmundi Crouchback) Leiceftriæ, Darbeiæ, & Lincolniæ, è qua tulit
1. Henricum de Bullingbrook poftea Angliæ Regem Henricum IV. dictum
2. *Philippam* Johanni I. Portugalliæ Regi nuptam.
3. *Elizabetham* Johanni Holland Huntingtoniæ Comiti, dein & Domino Johanni Cornwal nuptam
2. *Conftantiam* Petro Caftiliæ Regis hæredi nuptam ; qui ex ea Katharinam Reginam Caftiliæ tulit.
3. *Catharinam* Beaufort Pagani Roet filiam & cohæredem, matrem
1. *Johannis* Comitis Somerfeti ; Patris Johannis Ducis Somerfetenfis, cujus filia Margareta nupta Edmundo. Duci Richmondiæ peperit Henricum VII.
2. *Thomæ* Exoniæ Ducis.
3. *Henrici* Epifcopi Wintonienfis & Cardinalis.
4. *Joannæ* primo Roberto Ferrers, dein Radulpho Nevil Weftmerelandiæ primo Comiti nuptæ.
5. *Edmondum* de Langley Cantabrigiæ Comitem, & poftea Eboraci Ducem, uxorem duxit Ifabellam, Petri Caftiliæ Regis filiam, unde natus eft ;
1. *Richardus* Plantagenet Dux Eboracenfis maritus Annæ Mortimer ; e quo matrimonio natus eft
1. Edvvardus IV. Rex Angliæ.
2. *Georgius* Dux Clarenciæ, ex Ifabella Warwici Comitiffa binos fufcepit liberos Edwardum Warwici Comitem, & Margaretam Comitiffam Sarisburiæ, fine prole mortuos.
3. *Richardus* Gloceftriæ Dux, poftea Angliæ Rex, Richardus III. nominatus, Annam Comitis Warwici filiam, ex qua fufcepit Edwardum in pueritia mortuum, duxit
4. Rutlandiæ.
6. *Wilielmum* de Windfor dictum in pueritia mortuum.
7. *Thomam* de Woodftock, Buckinghamiæ & poftea Gloceftriæ Ducem creatum, qui duxit Eleanoram filiam & hæredem Humfredi de Bohun ; e qua tulit, 1. Humfredum Buckinghamiæ Comitem. 2. Annam nuptam primo Edmundo Staffordiæ Comiti, eique peperit Humfredum Buckinghamiæ Ducem, deinde Guilielmo Bourchier Euenfi Comiti, cui tulit Henricum Comitem Effexiæ. 3. Joannam uxorem Gilberti Talbot.
8. *Ifabellam* nuptam Ingelranno Domino de Coucy, Comiti de Soiffons, poftea Archiduci Auftriæ, & Duci Bedfordiæ.
9. *Joannam* desponfatam Alphonfo XI. Caftiliæ Regi.
10. *Blanciam*. 11. *Mariam* Johanni Montefortio Britanniæ Duci nuptam. 12. *Margaretam* Johanni de Haftings Comiti de Pembroke nuptam : omnes, ut videtur, fine prole mortuas.

§. VII. Hen-

§. VII. Henricus IV. duas duxit uxores, secundam Joannam Caroli I. Navarræ Regis filiam, sine liberis mortuam. Primam vero Mariam Humfredi de Bohun filiam, quæ ipsi peperit

1. Henricum V. Regem Angliæ: qui e Catharina Caroli VI. Franciæ Regis filia tulit

 Henricum VI. Angliæ Regem, qui duxit Margaretam Renati Hierosolymorum, &c. Regem, quæ

 Edwardum unicum filium ei peperit intempestive mortuum.

 Ejus autem vidua nupsit *Oweno-ap-Tudor*, eique protulit 1. *Edmundum* Richmondiæ Comitem qui uxorem duxit *Margaretam* filiam Johannis Ducis Somersetensis; quæ ipsi peperit Henricum VII. Et 2. *Casparem* Comitem Pembrochiæ.

2. *Thomam* Ducem Clarencium sine liberis mortuum.
3. *Johannem* Bedfordiæ Ducem sine prole itidem defunctum.
4. *Humfredum* Ducem Glocestriæ, Bonum vulgo dictum.
5. *Blanciam* Ludovico Rheni Palatino nuptam
6. *Philippam* Johannis Danorum Regis uxorem.

§. VIII. Edvvardus IV. uxorem habuit anno 1464. Elizabetham Graiam, Richardi Woodvill Comitis de Rivers,& Jaquelanæ Ducissæ Bedfordiæ filiam, quæ ei peperit

1. *Edwardum* quintum,
2. *Richardum* Ducem Eboracensem,
3. *Georgium* Ducem Bedfordiæ, omnes vel in infantia vel pueritia defunctos
4. Elizabetham Henrico VII. nuptam.
5. *Ceciliam* Vicecomiti de Wells nuptam sed sine prole defunctam.
6. *Annam* Thomæ Howard Ducis Norfolciæ uxorem, quæ duos peperit filios sed sine prole defunctos.
7. *Brigidam* Dartfordiæ cœnobio religiosam
8. *Mariam* quæ innupta defuncta est.
9. *Margaretam* in infantia mortuam.
10. *Catharinam* Gulielmo Courtney Devoniæ Comiti nuptam.


§. XIX. Henricus VII, & Elizabetha uxor ejus susceperunt

1. Arthurum sine liberis mortuum
2. Henricum VIII. natum Junii 20. an.1491.
3. Edmondum in pueritia mortuum.
4. Margaretam Jacobo IV. Scotorum Regi nuptam.
5. Elizabetham triennem morte obreptam.
6. Mariam Ludovico Francorum Regi, post ejus obitum Carolo Brandon Duci Suffolciæ nuptam.
7. Katharinam in infantia mortuam.

§. X. Henricus VIII. Rex Angliæ, 1509. e pluribus uxoribus liberos tulit

1. E *Catharina* Ferdinandi Hispaniarum Regis filia
 1. *Henricum*. 2. *Alium filium* in infantia mortuos
 3. Mariam natam 1518. Reginam Angliæ Philippo II. Hispaniarum Regi nuptam, sine liberis mortuam.
2. Ex *Anna* Thomæ Bolleni Comitis Wiltoniæ filia
 Elizabetham Angliæ Reginam innuptam.
3. E *Jana* Domini Johannis Seymeri filia
 Edwardum VI. Angliæ Regem sine prole mortuum.
4. Ex *Anna* Gulielmi Clivensis Ducis sorore,
5. *Katharina* Edmundi Howardi filia, nullos.

Corrigenda



Corrigenda & Addenda.

PRæf. §. 3. l. 20. deprædandi saturitas insatiabilem.

§. 6. Annot. effigiem; quam & Saxonem repræsentare, nisi Witichindus aliter populum eum descripsisset, affirmare non dubitarem.

Ibid. Annot. §. anno 527. quorum, vel Merciorum, tutelæ.

Præf. §. 8. annot. b. Germaniæ nationes, ipsomet afferente ep. 141. ad Zachariam P. se quinque populis in circuitu Fuldæ prædicasse.

Ibid. ad finem. Et ipse *Edgarus* in charta apud Reynerium, p. 15. & Appendicis scripto 83. *Temporibus Antecessorum meorum Regum Anglorum condita Monasteria tam Monachorum quam Virginum pro remedio animæ meæ reparare, & servorum, & ancillarum Dei numerum multiplicare decrevi. Et jam quadraginta septem Monasteria cum Monachis & Sanctimonialibus constitui. Et si Christus tamdiu mihi vitam concesserit, usque ad quinquagesimum, &c.* Et de Æthelstano Malmsb. l. 2. c. 6. *Nova Monasteria quot & quanta fecerit, scribere dissimulo. Illud non transilam quod vix aliquod in Anglia vetustum fuerit, quod non vel ornamentis, vel ædificiis, vel libris, aut prædiis decoraverit, &c.* Quæ verius fortasse de Rege nostro Ælfredo dici poterant.

Præf. §. 11. b. l. 11. coll. vicis maritimorum oppidorum.

Pag. 1. Annot. l. 34. Moribundus filio suo dixisse fertur; fœlicem ipsum esse futurum; si regnum, quod multa rexerat industria, ille (alius) consueta genti illi non interrumperet (corrumperet) ignavia. Fox.

Pag. 2. Annot. a l. 27. Asserit Chronici Saxonici Interpres; qui perperam in latina sua traductione interposuit *Egbertus*, contra fidem & mentem codicis sui. Chronicon enim ipsum Æthelstanum Æthelwulfi filium diserte nominat. Quod paulo supra dictum est de Æthelstani morte valde probabile est, cum non ita diu postea Æthelbaldus una cum Patre Danos in Suthreia (Æthelstani ditione) maximo prælio devicerit. Florilegus quidem dicit Æthelstanum Episcopum simul cum Ealhero apud Sandwicum pugnasse; sed error est, cum nullibi reperitur Æthelstanus Episcopus. Aelstanus vero (quem ille forte intellexerit) non ad Sandwicum sed Pedredæ ostium cum Danis præliatus est, licet ante 25 annos cum Æthelwulfo Cantios devicerat.

Pag. 3. annot. Ælfredum à plerisque Autoribus, dum viverent fratres, *Clitonem* tantummodo fuisse dictum reperio; & in Chronicis, quæ edidit Caxtonus, Alurede that Dolsine was called; quod idem, quod *Clito* significare arbitror. Nam cum Annales istos è Gallico idiomate traductos esse constat, fieri potest, ut *Delfinum* (apud eos hæredem Regni indigetantem) Ælfredo nostro applicarent.

Ibid. annot. l. 19. Negligentiam ejus versus subditos.

Pag. 7. annot. lin. penult. adscripsisse asserit. Sed &

Pag. 8. De Juditha ex Annalibus Bertinianis, & Capitularibus Regum Francorum: *Edilwulf Roma rediens* Judith *filiam Caroli Regis mense Julio desponsatam, Kalendis Octobribus in Vermeria palatio in matrimonium accipit: & eam, Hincmaro Durocortori Rhemorum Episcopo benedicente, imposito capiti ejus diademate, Reginæ nomine insignit. Quod sibi, suæque genti eatenus fuerat insuetum. Patratoque regiis apparatibus utrinque atque muneribus matrimonio, cum ea* Britanniam, *regni sui ditionem, repetit.* Extat benedictionis hujus formula inter capitularia, *Tom.* 2°. p. 309. quibus etiam dicitur; Quod in Concilio, Anno 862. art. 5. Carolus *querebatur filiam suam* Judith *viduam à Balduino furatam; qui cum ab Episcoporum Concilio antea fuisset excommunicatus in Hlotharii ditionem secesserat, ab eoque contra Regem protegeretur.* Ibid pag. 166. videntur autem paulo post intercessione Nicolai Papæ & Baldwinus, & Juditha Carolo conciliati, p. 789. Chronicon Saxonicum silet de nuptiis Judithæ cum Æthelbaldo; sed habentur apud Asserium, & videntur à Flodoardo confirmari.

Pag. 9. l. penult. Alii vero eos Æthelredo tribuunt.

Pag. 11. ad annot. *Dacia* enim (quæ *Mediterraneam* & *Ripensem* continet) pro limitibus habebat *Tibiscum* & *Jaziges* ab occasu: à Septentrione *Sarmatas*, *Bastarnas*, & *Carpatum* montem: ab ortu *Roxolanos*, & *Hierasum* flumen: à meridie *Danubium*. Continebat partem *Hungariæ*, *Transylvaniam*, *Moldaviam*, & *Walachiam* totas.

Pag. 18. l. 5. alibi reperio. Johannes scilicet Serlo, anno 1160. Canonicus Eboracensis inter alia scripsit librum, *De morte Sumerledi Regis Manniæ.* Alius itidem *Sumerledus* Argadiæ Comes adversus Malcolmum (Virginem dictum) notatur rebellis.

Ad p. 21. Annot. Reperio tamen *Ceolwulphum* nonnulla pro Monasterio *Wigorniensi* præstitisse. v. Monastici Tom. 1. p. 139. *Ceolwulfus Rex Merciorum, Werefritho Episcopo, & familia Wigorniensi petente, totam parochiem Hwicciorum à pastu equorum Regis, & eorum, qui eos ducunt, & ab omnibus aliis gravibus consuetudinibus,* anno Dom. 874. *absolvit*

Ad pag. 31. de Hubba. When the Danis found Hubba his body ligging dede, they entred it, and made upon it a great logge, and let call it Hubbelowe, and so it is called into this day and it is in Devenshire Chronicon, quod edidit Caxtonus. Quo tamen Hubbam Chipenhamiæ fuisse occisum asseritur. Ethelwerdus ait Healfden occisum ab Odda Duce Devoniæ, spolia vero interemtorum Danis cessisse.

Ad pag. 36. De Gurmundo. Florilegus ad ann. 921. dicit Reginaldum, sive Regnaldum (qui tantum negotii Edmundo Regi postea facessit) fuisse natione Danum, filium illius Gurmundi de quo

sæpe

ſæpe dictum eſt. Acſi Godrunnus (Gormundus) filium ſuum Regem Northumbriæ conſtituiſſet: ſed multitudo illa Danorum partes Angliæ Boreales poſſidentium cum Haldeno Regionem illam occupavit, & Regnaldus ille filius fuiſſe videtur (quod ait Huntingdonus) Gudſridi Regis Danorum. Antiquus vero quidam Autor ſic tranſtulit titulum primum fœderis illius Ælfredi & Guthrumni. **Let the bounds of our dominion ſtretch unto the Thames, thence to Lee, even to the head of the ſame water; and ſo ſtreight to Bedford; and finally going along by the river of Ouſe, let them end at Watling-ſtreet.** Quæ interpretatio noſtræ ſententiæ favere videtur.

Ad pag. 74. De Trihingis, Arbitror etiam tripartitionem Comitatus Lincolnienſis in *Lindiſſam*, *Hoylandiam*, & *Keſteven* fuiſſe in Trihingas.

Ad pag. 145. De Aſſerio inſuper notandum eſt. Regem noſtrum in præfatione ad traductionem ſuam Paſtoralis Gregorii, æque ac in Teſtamento, Aſſerii Epiſcopi ſui meminiſſe. Scripta autem fuit illa præfatio, poſt annum 900; cum ibi mentionem facit etiam Plegmundi Archiepiſcopi non ante illum annum electi. Ibi vero non dicitur ipſum fuiſſe Shireburnenſem, neque Meneventem; ſed illum ipſum fuiſſe, qui Regia vitam ſcripſerit, dubitari non poteſt, cum ſtudiorum ſuorum fuiſſe adjutorem Rex ipſe ibi fateatur. Si quis dicat ipſum fuiſſe à Rege noſtro in Epiſcopatum Shirburnenſem promotum circa annum 893, quo tempore à curia ad ſedem ſuam recedens, Regis vitam ſcribere deſiit; & in Epiſcopatu eodem uſque ad annum 910 vixiſſe, prout ſtatuit Chronicon Saxonicum; difficultates non ſolvit, ſed diſrumpit; hiſtoricoſque noſtros omnes confundit.

Pag. 100. l. 4. Qui dotatus erat.

Pag. 152. Annot. l. 1. & Annon ipſi Cantabrigienſes hanc originem agnoſcant, cum vocibus fere ſemper Gallicis, **Commencement**, **Penſioner**, **Siſer**, &c. utuntur?

INDIX.

INDEX.

A.

Cimbri

D.

De

Inge-

Re-

INDEX.

R.

S.

U Scho-

Penes

INDEX.

F I N I S.

sæpe dictum est. Acsi Godrunnus (Gormundus) filium suum Regem Northumbriæ constituisset: sed multitudo illa Danorum partes Angliæ Boreales possidentium cum Haldeno Regionem illam occupavit, & Regnaldus ille filius fuisse videtur (quod ait Huntingdonus) Gudfridi Regis Danorum. Antiquus vero quidam Autor sic transtulit titulum primum fœderis illius Ælfredi & Guthrumni. **Let the bounds of our dominion stretch unto the Thames, thence to Lee, even to the head of the same water; and so streight to Bedford; and finally going along by the river of Ouse, let them end at Watling-street.** Quæ interpretatio nostræ sententiæ favere videtur.

Ad pag. 74. De Trihingis, Arbitror etiam tripartitionem Comitatus Lincolniensis in *Lindissam*, *Hollandiam*, & *Kesteven* fuisse in Trihingas.

Ad pag. 145. De Asserio insuper notandum est. Regem nostrum in præfatione ad traductionem suam Pastoralis Gregorii, æque ac in Testamento, Asserii Episcopi sui meminisse. Scripta autem fuit illa præfatio, post annum 900; cum ibi mentionem facit etiam Plegmundi Archiepiscopi non ante illum annum electi. Ibi vero non dicitur ipsum fuisse Shireburnensem, neque Menevensem; sed illum ipsum fuisse, qui Regis vitam scripserit, dubitari non potest, cum studiorum suorum fuisse adjutorem Rex ipse ibi fateatur. Si quis dicat ipsum fuisse à Rege nostro in Episcopatum Shirburnensem promotum circa annum 893, quo tempore à curia ad sedem suam recedens, Regis vitam scribere desiit; & in Episcopatu eodem usque ad annum 910 vixisse, prout statuit Chronicon Saxonicum; difficultates non solvit, sed disrumpit; historicosque nostros omnes confundit.

Pag. 100. l. 4. Qui dotatus erat.

Pag. 152. Annot. l. 1. & Annon ipsi Cantabrigienses hanc originem agnoscant, cum vocibus fere semper Gallicis, **Commencement, Pensioner, Sizer**, &c. utuntur?

INDIX.

INDEX.

A.

S   Æl-

Athel-

 Cimbri

D.

De

E.

F.

Inge-

T 2 Mo-

R.

S.

INDEX.

F I N I S.

